


ACTA TOMICIANA.

TOMUS SEPTIMUS.

A. D. MDXXIV-MDXXV.

ACTA TOMICIANA.

TOMUS SEPTIMUS.


TOMUS SEPTIMUS EPISTOLARUM. LEGATIONUM. RESPONSORUM. ACTIONUM ET RERUM GESTARUM.

SERENISSIMI PRINCIPIS SIGISMUNDI PRIMI, REGIS POLONIE ET MAGNI DUCIS LITHUANIE.



PER STANISLAUM GORSKI, CAN. CRACOVIEN. ET PLOCENSEM.

A. D. MDXXIV-MDXXV.



Anni Domini Millesimi Quingentesimi Vigesimi Quarti memorabilia.

Sublatio immunitatum antiqui thelonei et mandatum, ut omnes thelonea solverent, etiamsi immunitates concessas haberent. Ex cod. mss. bibl. Rogalinensis.

Decreta erat occlusio viae in Silesiam et Marchiam mercatoribus.

Missi fuerunt in Prussiam archieps. gnesnen., vladislavien. et culmen. epi., palatinus calissiensis ad foedus conficiendum cum ducibus Pomeraniae et Mekelburgensi et ad motus Gedani sedandos propter Lutheranismum exortos.

Ictum est foedus per praedictos consiliarios inter regem et duces Mekelburgenses et Pomeraniae ex conditione, ut sibi invicem propriis impensis contra quosvis hostes adessent, praesertim vero contra magistrum Prussiae et electorem marchionem Brandeburgensem.

Legatio regis ad Carolum V. imperatorem per Joannem Dantiscum, in qua persuadet, ut sopitis inter christianos principes bellis, illi et regno Ungariae contra Turcos et Tataros opem ferret et ut jura ad ducatum Barensem confirmaret. (sub. praeced. anno.)

Literae Clementis VII. papae ad Basilium, ducem Moscorum, in quibus hortatur eum, ut fidem catholicam amplecteretur, promittens illi diadema regium.

Responsum regis ad legationem Georgii, marchionis Brandeburgen. et Friderici, ducis legnicen., in qua petierant, ut regia Mtas. cum magistro Prussiae rediret in amicitiam. Hoc fieri posse rex negabat, antequam hac de re senatus consuleretur. Petiit etiam rex in eodem responso, ut darent operam, quo secta Lutherana in Silesia grassari non permitterent.

Hoc anno mortua est Isabella, ducissa Barensis et Mediolani, mater reginae Bonae, post cujus mortem datum fuit a rege in commissione Ludovico Aliphio et Joanni Dantisco ad capiendam possessionem ducatus Barensis et eorum omnium dominiorum quaecunque ad ducatum praedictum pertinerent.

Sub finem anni MCXXIV. ad diem S. Thomae indicta fuerunt comitia eam potissimum ob causam, ut de bellis cum Turca et Tataris, cum quibus jam induciae expiraverant, consultaretur.

I. Sublatio immunitatum antiqui theloneì ad Decennium.

Sigismundus, Rex Polonie etc. Universis et singulis principibus tam Spiritualibus quam Secularibus, Rmis. ac Reverendis in Christo patribus et dominis, archiepiscopis, episcopis, nec non Mgcis., Generosis, Nobilibus, Famatis et Providis, palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, terrigenis nobilibus, officialibus et eorum vices gerentibus, civitatumque et oppidorum, tam nostrorum, quam quorumcunque subditorum nostrorum, magistris civium, nec non consulibus, civibus, oppidanis et eorum communitatibus et generaliter omnibus subditis nostris spiritualibus et secularibus cujuscunque status, sexus, conditionis et preeminentie in regno nostro existentibus, fidelibus nobis dilectis, Salutem et gratiam nostram regiam. MDXXIV. Cod. R.

Fideles dilecti. Manifestum vobis et cuilibet vestrum facimus per presentes. Quia nos scientes thelonea ubique peculiaria esse Reipublice emolimenta et in iis magnum Rempnblicam nostram pati detrimentum, propter concessas quam plurimis et his, qui magis solvenda sunt, libertates, de consensu et voluntate omnium tam spiritualium quam secularium consiliariorum nostrorum universas omnium immunitates a solvendis ipsis theloneis antiquis, que civitatibus et oppidis tam nostris quam spiritualium et secularium concesse fuerunt, ad decem annos a festo resurrectionis domini proxime futuro computandos, suspendendas duximus et suspendimus ita, ut deinceps quilibet mercator ipsa thelonea antiqua infra tempus decennium a rebus et mercibus suis solvere theloneatoribus, per nos ad id constitutis, teneatur, non obstantibus quibuscunque libertatibus seu immunitatibus, quibus hactenus sunt usi. Ex hoc autem theloneorum accremento nihil cuiquam cedere debebit, preterquam nobis et Reipublice nostre, ita ut hi, qui thelonea nostra oppignorata tenent, quique etiam thelonea ipsa ab hominibus, qui libertatem ab illis solvendis habuerunt, non percipiebant, solito emolimento, quod prius ante presentem constitutionem habuerunt, sint contenti. De qua quidem constitutione nostra, ne quispiam suam ignorantiam pretendat, mandamus vobis, locorum capitaneis ac civitatum et oppidorum proconsulibus et consulibus, ut eam ipsam constitutionem nostram in foris et aliis locis publicis civitatum et oppidorum vestrorum per publicas proclamationes ad universorum et singulorum notitiam deduci faciatis pro officio vestro et gratia nostra. Datum Cracovie die S. Prisce virginis.

 II. Occlusio

II. Occlusio vie Mercatoribus in Slesiam et Marchiam.

MDXXIV. Cod. R. Sigismundus Rex Polonie etc. universis et singulis principibus tam Spiritualibus quam Secularibus, Rmis. ac Rndis. in Christo patribus, archiepiscopis, episcopis, nec non Mgcis., Generosis, Nobilibus, Famatis et Providis, palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, terrigenis nobilibus, officialibus et eorum vices gerentibus, civitatumque et oppidorum tam nostrorum quam quorumcunque subditorum nostrorum magistris civium, nec non consulibus, civibus, oppidanis et eorum communitatibus et generaliter omnibus subditis nostris spiritualibus et secularibus cujuscunque status, sexus, conditionis et preeminentie in regno nostro existentibus, fidelibus nobis dilectis, Salutem et gratiam nostram regiam. Fideles, dilecti. Manifestum vobis et cuilibet vestrum facimus per presentes: quia nos ipsi partim considerantes, partim vero per subditos nostros edocti, que intrinsecus regnum nostrum et subditos atterunt, exinaniunt et vicinis quibusdam in predam et vilipendium redigunt; ac ea sistere ac frenare volentes, quibus stantibus, etiam absque ullo externo hoste facile regnum deficere ac in preceps venire possit, simul ac nobiscum reputantes varias ac multiplices injurias et gravamina, que ex Slesia et Marchia regno et subditis nostris inferuntur, presertim moneta swidnicensis, ad quam prohibendam cum per hoc omne tempus nihil opere et studii pretermiserimus, nec quidquam tamen proficere potuerimus, ac proinde nullum aliud remedium ad eam ipsam monetam sistendam restare videntes, quam omne commercium cum ea tota vicinia inhibendum, de consilio universi senatus et instantia regnicolarum nostrorum omnia itinera in Slesiam et Marchiam inhibenda duximus et presentibus literis a festo resurrectionis domini proximo ad decennium inhibemus. Ac ut eadem inhibitio nostra suum debitum sortiatur effectum, vobis omnibus et singulis supradictis, cujuscunque ordinis et conditionis existentibus, strictissime mandamus, ut ab ipso festo resurrectionis domini proxime futuro nemo audeat ad decem annorum decursum in Slesiam et Marchiam res vel merces aliquas tam grandes quam exiguas, cujuscunque qualitatis fuerint, preterquam sal nostrum regium vehere vel inferre, sed nec ad alias quoque quascunque remotiores partes easdem res et merces de regno nostro per ipsam Slesiam aut Marchiam ducere et boves etiam ad aliqua alia loca extra ipsum regnum nostrum, preterquam ad ea, que per alias literas nostras universales designabuntur et notificabuntur omnibus, pellere quovis modo, pretextu, vel colore presumat, ne dum sub ammssione ipsorum boum merciumque et rerum, quas contra presentem inhibitionem nostram de regno nostro eduxerit, verum etiam bonorum suorum omnium confiscatione. Liberum autem esse debet mercatoribus aliisque hominibus ex Slesia et Marchia et ex aliis extraneis quibuscunque partibus ad civitates et oppida regni nostri, ad ea videlicet ad que ab antiquo ire consueverant, cum rebus et mercibus suis quibuscunque venire et ibidem emere aut vendere resque et negotiationes suas ac alias actiones licitas cum nostris subditis exercere et contra e regno libere cum bobus, rebus et mercibus, solutis datiis et theloneis debitis, exire; subditis vero nostris licebit ad alias provincias et regna preterquam ad Slesiam et Marchiam res et merces quascunque de regno transmittere et ducere

ducere, dummodo illas per ipsam Slesiam et Marchiam non transmittant nec duci aut vehi faciant. Proinde vobis locorum capitaneis ac proconsulibus ac consulibus civitatum et oppidorum severe precipimus, ut hanc nostram constitutionem ac edictum ubique in omnibus locis publicis, ad que homines frequenter convenire solent, denunciari et proclamari faciatis, ne quis, ignorantiam pretendens, aliquid contra eam constitutionem nostram committat. Vos vero, capitanei, in custodiendis ac pervestigandis locis omnibus ac itineribus, ne quis eandem inhibitionem nostram transgrediatur, curam et diligentiam omnem adhibeatis, et quoscunque deprehenderitis in minima quaque re contra hanc ipsam inhibitionem nostram excessisse, illius res et ipsummet capiatis et usque ad instructionem et documentum nostrum detineatis. Sub penis contra capitaneos ac officiales negligentes statutis et pro gratia nostra non aliter facturi. Datum Cracovie die S. Prisce virginis. MDXXIV.

III. Pretium rerum venalium.

Sigismundus Rex Polonie etc. Universis et singulis principibus etc ut supra. Sinceri et fideles dilecti. Manifestum vobis et cuilibet vestrum facimus per presentes. Quia nos considerantes plerosque mercatores domesticos et etiam externos per monopolia et constitutiones suas aromatum et rerum omnium exoticarum precia magis indies augere in magnum universorum nostrorum subditorum gravamen, regnumque nostrum pro libito suo emungere, in quo frequentior usus ipsorum aromatum et aliarum rerum predictarum, quam alibi esse solet, volentes ea ipsa pretia earundem rerum ad certos moderationis fines reducere et ad communem Reipublice utilitatem contemperare, multorum potius quam paucorum commodis consulentes, statuimus et decrevimus in conventu generali piotrkoviensi proxime preterito, de consilio nostrorum consiliariorum, illic nobiscum existentium, ut tam ipsa aromata quam etiam vina propinatoria a festo resurrectionis domini proxime futuro hoc ad summum pretio vendantur ac emantur: videlicet, libra piperis VIII grossis, libra croci una sexagena, libra zingiberis VIII grossis, libra gariophilorum media sexagena, libra cinamonii media sexagena, libra florum muscati etiam media sexagena, unus lapis zuccari una sexagena et XV grossis, olei olive unus lapis XL grossis, lapis amigdalarum venetarum III fertonibus, lapis vero amigdalarum, que ex Gedano afferuntur, XXX grossis, lapis uvarum passarum minorum XXX grossis, uvarum vero passarum majorum XV grossis, lapis risi XVIII grossis, una libra cymini uno grosso. Vini sermiensis una quarta uno grosso cum medio, vini vero terrestris hungarici una quarta uno grosso ad summum solvatur et ematur; malmatici greci una quarta duobus grossis, malmatici italici et muscatelle una quarta pretium trium grossorum non excedat. Qui autem aromata et res predictas pretio statuto vendere non posset, illa ad regnum inferre et adducere nullo modo audeat sub amissione earundem rerum, quas contra prohibitionem nostram advexerit seu vendiderit. Cod. B.

Statuimus insuper et decrevimus, ut aurum et argentum filatum et perle etiam sub amissione et confiscatione illorum nequaquam deinceps ad regnum nostrum vehantur et vendantur.

MDXXIV. dantur. Ut autem hujusmodi constitutio nostra effectum suum accipiat, vobis omnibus et singulis supradictis cujuscunque ordinis et conditionis existentibus districte mandamus: ut ab ipso festo resurrectionis domini proximo nemo majori pretio quam supra expresso vinum sermiense et terrestre hungaricum nec non malmaticum et aromata aliasque res predictas sub earum amissione ubivis in regno nostro vendere et perlas ac aurum et argentum filatum amplius in ipsum regnum nostrum inferre audeat, sub earundem rerum amissione. Quocirca vobis et presertim locorum capitaneis et eorum vicegerentibus ac civitatum et oppidorum proconsulibus et consulibus mandamus, ut hanc constitutionem nostram in civitatibus ac oppidis et apud ecclesias parrochiales diebus festis per publicam proclamationem ad universorum quorum interest notitiam denunciari faciatis. Vos vero palatini et capitanei in custodiendo et provestigando, ne quis eandem constitutionem nostram transgrediatur, curam et diligentiam omnem una cum theloneatoribus, quos vobis ad hanc curam et custodiam adjunximus, adhibeatis et quoscunque offenderitis vel deprehenderitis in invectione et venditione aliquarum rerum ex predictis contra hanc ipsam inhibitionem nostram excessisse, easdem res pro fisco nostro regio capiatis et pro nobis fideliter et integre conservetis, sub penis contra capitaneos et officiales negligentes statutis et pro gratia nostra nôn aliter facturi. Datum Cracovie d. S. Prisce, virginis.

IV. Sigismundus Rex Polonie, Capitaneis terrarum Regni.

Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Volentes decreta conventus generalis piotrkoviensis proxime preteriti super constitutionibus pretiorum aromatum ac vini malmatici et muscatelle aliarumque rerum peregrinarum, ac etiam de non inferendis amplius in regnum nostrum perlis ac auro et argento filato, nec non prohibitione itinerum in Slesiam et Marchiam suspensioneque ad decennium libertatum a theloneis antiquis facta debite executioni a festo resurrectionis domini proxime venturo demandari, mittimus ad tuam Stem. triplices literas universales super ejusmodi decretis et statutis conventualibus confectas, mandamusque eidem tue Sti., ut easdem literas ad civitates et oppida capitaneatus sui quam primum transmittat illasque valvis pretoriorum et ecclesiarum ac aliorum locorum publicorum affigi et per publicas proclamationes in iisdem civitatibus et oppidis diebus fororum ad universorum quorum interest notitiam ea, que in iisdem triplicibus literis nostris universalibus continentur, inhibentur et mandantur, deduci faciat, ut ne quispiam illa transgrediatur, omnem operam, quantum sua interest, adhibeat et diligenter intendat, pro officio suo et gratia nostra non aliter factura. Datum Cracovie fer. II in vigilia purificationis S. Marie.

V. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo Regi Polonie, patruo.

Cod. R. Serme. princeps, patrue noster charissime. Optavit a nobis Mtas. vra., ut cognitionem cause, que contra quosdam proceres in Bohemia ex mandato nostro ob causas Mti. vre. non ignotas

ignotas mota est, a quatuor Temporibus instantis Quadragesime ad judicia secunda, que in angariis sancti spiritus futura sunt, rejiciamus, ut interim Mtas. vra., quid ea in re faciendum sit, consulere nobis liberius possit. Quamquam autem insignis est nobis ab illis subditis nostris illata injuria, tamen cum Mti. vre, cui res nostre haud secus ac sue cure sunt, ita visum est, morem eidem geremus, modo illi, quibus dies dictus est, mutande voluntatis nostre occasionem non prebeant. MDXXIV.

Ceterum amplissimas agimus Mti. vre. gratias, quod oratorem suum causa nostra ad dietam slesitanam mittere dignata est. Paribus officiis hanc de rebus nostris susceptam curam Mti. vre. per omnem occasionem compensabimus.

Quod ad res turcicas pertinet, perlecta scheda presentibus iuclusa, Mtas. vra., quid hostes in nos moliantur aperte cognoscet, quam plurimum rogamus: velit ut solet rebus nostris paterne prospicere et nobis in hac necessitate nostra non deesse. Deus Mtem. vram. ad plurimos annos incolumem felicemque conservet, cui nos et regna nostra unice commendamus. Datum Posonii die dominico proximo ante festum purificationis Beatissime virginis Marie.

Scheda.

Prefectus Bossne literas dedit ad officiales Venetorum in Dalmatia existentes in hanc sententiam: cesar, inquit, mihi commisit, ut Clisium expugnem, quod omnino facturus sum, vos igitur, officiales Venetorum, requiro, ut Clisienses profugos, si ad vos se contulerint, non recipiatis, castellanis et qui in presidio arcis sunt victualia non detis, alioqui in vos me convertam et cesaris injuriam in vobis ulciscar.

In Constantinopoli hec acta sunt. Cesar oratores Zophii maximis et antea insolitis honoribus cumulavit, munera illis dedit maxima, res sericas, res argenteas multas pretiosissimasque, equos aliquos gemmis ornatos, et ita illos absolvit; que omnia signa sunt pacis inter eos inite in perniciem Christianitatis. Bellum contra Ungaros paratur.

VI. Clemens VII. Papa Sigismundo, Regi Polonie.

Charissime in Christo fili noster. Salutem et apostolicam benedictionem. Revertente ad nos dilecto filio nostro Thoma, cardin. S. Sixti, legato in Hungaria nostro, id quod tue Serti. jam notum credimus, nos illius regna in nostra protectione et amore precipue curam paternam gerentes, nuntium illuc nostrum, istum qui tue Serti. has reddet dilectum filium Joannem Antonium Pulleonem, baronem Burgii, nobis ob virtutes suas carum et huic muneri parem judicatum remisimus, ubi sane eum nostro nomine apud illum tibi et amore et sanguine conjunctum regem, nostrum in Christo filium charissimum, ejus ac regni sui securitati et commodis pro Dei omnipotentis honore incumbere jussimus. Parteque alia dilectum filium nostrum Laurentium cardinalem Campegium, virum de cujus autoritate et multiplici virtute Sertas. tua audire potuit, legatum nostrum in Germaniam misimus, non minus, ut eidem Hungarie Ex cod. mss. bibl. Korn.

MDXXIV. *garie regno presidia et auxilia rebus ibi compositis quam ipsis componendis invigilaret. Hec nos quoque tue Serti. significanda duximus, ut quam sciamus pro pietate erga Deum et necessitudine erga eundem regem tua, illius, quem filii loco in amore habes suique regni curam non minorem, quam tui istius semper gessisse et gerere. Itaque quamquam nos illi legato et isti nuntio nostris, viris prudentibus et nobis probatis, innitamur, longe tamen plurimum spei ac presidii in eodem regno tuendo nobis affert et pollicetur virtus atque auctoritas tua, quam cum semper in Christi hostes validam ac victricem experti simus, nostris etiam temporibus pronam ac felicem fore speramus. Quare ex preteritis tuis gestis te incitantes hortamur Sertem. tuam cum Dno., ut pro Dei omnipotentis honore sueque sancte fidei dignitate proque consuetudine et virtute tua ad illius cognati regis ac regni auxilium presto sis. Reliqua idem nuntius noster narrabit et hortamur, ut ejus dictis plenam fidem adhibeat. Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris d. XX Februarii M. D. XXIIII. Pont. nri. Anno primo.*

VII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Laski, Archiepo. Gnesnensi.

Cod. R. Non est incognitum vre. Pti., quod pro dominica Oculi proxime futura in civitate nostra gedanensi cum Sermi. dni. electi regis Danie et Illmorum. Mekelburgen. et Pomeranie ducum oratoribus ad quedam federa et conjunctionem ineundam conventum instituimus, ad quem Paternitatem vram. cum aliis nostris consiliariis deputavimus. Proinde eandem hortamur et volumus, ut pro die prefixo illuc se conferat tractatura cum illis oratoribus, que in nostra instructione ad eam rem conscripta continentur, quemadmodum hoc nobis de fide et integritate Ptis. vre. erga nos persuasum habemus. Commisimus generoso Joanni Balinski, ut Pti. vre. trecentos florenos per mediam sexagenam computatos pro viatico numeret, quo commodius hoc nostrum negotium agere et conficere possit. Quam pro gratia nostra putamus non secus facturam.

Eodem exemplo scriptum ceteris commissariis sc. Mathie Drzewiczki, epo cujavien., Joanni de Lusianis, epo. culmen., Stanislao de Coscielecz, palat. calissiensi, Marienburgen. Bitgostien. Stumen. capitaneo, Georgio de Baisen, palatino Marienburgen., Achacio Ceme, succamerario Pomeranie, capitaneo Slochoviensi.

VIII. Plenipotentia Commissariis ad fedus faciendum. Sigismundus Rex Polonie etc.

Manifestum facimus universis, quia nos cognoscentes propensionem et affectum Sermi. principis domini Friderici, electi regis Danie etc ac Illrium. principum et dominorum Henrici,

rici, Meckelburgensis et Georgii, Pomeranie ducum, amicitiam et conjunctionem nobiscum ineundi, habentesque rationem affinitatis, que nobis cum ipsorum Dtionibus. intercedit ac eam novis federibus ac conjunctionibus augere et firmare volentes ad communem bonum statum tam nostrum quam etiam regnorum et dominiorum nostrorum, designavimus ad civitatem nostram gedanensem commissarios et oratores nostros, videlicet: Rmum. archiepiscopum etc., consiliarios nostros sincere nobis dilectos, quibus plenam potestatem et facultatem dedimus damusque presentibus, cum oratoribus ipsius Sermi. domini electi regis Danie et predictorum principum de amicitia et federe et conjunctione inter nos regnaque et dominia nostra agendi, tractandi et concludendi, promittentes in verbo nostro regio totum id, quidquid per illos actum, tractatum et conclusum fuerit, nos ratum, gratum atque firmum perpetuo habituros quam si nos ipsi coram ageremus. In cujus rei testimonium presentes literas manu nostra propria subscriptas sigillo nostro communiri fecimus. Datum Cracovie die IV. Februarii. MDXXIV.

IX. Instructio a Sigismundo, Rege Polonie, data Consiliariis ad fedus cum Rege Danie et cum Ducibus Mekelburgen. et Pomeranie faciendum.

Consiliarii ac commissarii nostri cum nunciis Sermi. dni. regis Danie et Illmorum Meckelburgen. et Pomeranie ducum id agent. Cod. B.

Exponent inprimis: quod cum Sermus dnus. Fridericus, electus rex Danie etc., et ipsi Illmi. Meckelburgen. et Pomeranie principes, consanguinei et affines nostri charissimi, postularunt a nobis veterem inter nos conjunctionem et federa integrari, Nos intelligentes, omnem rempublicam et omnem principatum absque vicinis societatibus et confederationibus recte subsistere non posse simul ac ex literis predecessorum nostrorum colligentes, quanta et quam ex usu fuerit conjunctio predecessorum nostrorum et predictorum principum, animum non gravatim induximus ad eandem amicitiam, societatem et conjunctionem cum his ipsis Illmis. principibus inire.

Quamvis autem federa inter predecessores nostros et reges Danie inita fuerint semper per ipsos predecessores nostros inviolabiliter observata, nosque eorum vestigia sequuti, nihil adversus illa commiserimus, Serenissimusque Christiernus Rex illa infregerit, nulla a nobis injuria provocatus, adherens hosti nostro, magistro Prussie, ac illum gentibus ac commeatu adversus nos juvans, tamen aliter nobis de moderno Sermo. rege ac ejus virtute et affinitatis vinculo, quod nobis intercedit, persuadentes, meliori spe et alacriori animo ad ipsa federa sancienda sumus propensi.

Igitur antiquis federibus inherentes, volumus, ut commissarii nostri id cum predictorum principum oratoribus agant, et, si fieri poterit, concludant: ut inprimis fiat inter nos heredesque et successores nostros, Polonie reges, regnaque, ducatus, terras et dominia, civitates

MDXXIV. tates nostras ac utriusque status homines universos, et inter prefatos, Sermum. regem Danie et Illmos. dnos. Meckelburgen. et Pomeranie duces successoresque ac heredes ipsorum et item regna, ducatus, terras et dominia, civitates ac utriusque status homines universos, pax firma, concordia vera, justitie administratio, vicinitas tranquilla, fedus, unio et amicitia perpetua, et que communi statui nostro conducere videbuntur.

Item: quod subditi tam nostri, quam predictorum regis et principum habeant liberam terra atque mari mercandi atque negotiandi facultatem in regnis et dominiis omnium nostrum liberaque commercia, solutis tamen debitis de more vectigalibus et theloneis, demumque liberum regressum, negotiationem et transitum in perpetuum.

Quamvis autem credamus civitates maritimas de Hansa ita jam cum moderno Sermo. rege Danie, cui conjuncte et confederate sunt, convenisse, ut fiat ultro citroque libera per portus illius in Flandriam, Angliam et remotiores provincias, more antiquo, cum mercibus navigatio, tamen volumus idem inter federa nostra cum illius Serte. expressum fieri propter portum Gedanensium, qui portus est regni et terrarum nostrarum Prussie.

Item unusquisque nostrum alter alteri consilio, favore, assistentia et auxilio pro posse adversus quemlibet hostem et in quocunque eventu adesse debeat.

Preterea: ut nullus ex nobis gentes adversus alterum per loca et dominia sua transire et redire permittat, neque illas quoquo modo occulte vel manifeste adjuvet.

Si agetur aliquid de certo subsidio a nobis prestando, quia tot hostibus scismaticis et infidelibus circumsepti sumus multumque laboris continue cum subditis nostris sustinemus in arcendis hisce hostibus tam a nobis quam etiam ab aliis vicinis dominiis citra ullius principis adminiculum, non possumus ad ullum certum modum suppetiarum nos astringere, tamen ad hoc nos obligari patiemur, ut liberum fiat unicuique ex supradictis principibus, confederatis nostris, gentes in regno et dominiis nostris suo ere conducere, et ut ibidem nos in necessitate nostra possemus ex illorum regnis et dominiis homines ere nostro educere contra hostes nostros.

Quia ex literis antiquis deprehendimus, duces Pomeranie predecessoribus nostris omagium fecisse, neque tamen absque causa, cum aliquas arces regni tenere solebant, nunc vero nescientes, quid aliud possiderent pertinens ad regnum nostrum preter arces Lavnbergk et Bithom, de quibus etiam, quibus conditionibus teneantur ab illis, nihil certi et comperti habentes, nescimus, quid super omagio cum ipsis ducibus tractari deberet; verum quia intelleximus, literas esse apud Gedanenses, in quibus jus nostrum et conditiones, quibus sunt ipsis ducibus inscripte, continentur, volumus, ut commissarii nostri curent eas literas Gedani revidere, et si quid ex illis elicere poterint, quo de ipso omagio et servitio prestando tractare possent cum dignitate et profectu aliquo, id eorum prudentie et sollertie committimus.

Priusquam vero ad consulendum aliquid cum ipsis oratoribus ventum fuerit, curabunt commissarii nostri eorum mandata et facultatem videre, ut id quidquid utrinque condiceretur firmum ac solidum fieret. Nam si dominus Rex Danie electus nondum sit coronatus et ipsi oratores facultatem a regno et terris illius non haberent, firmum esse non posset, quidquid cum illis concluderetur.

Si

Si quid per oratores predictorum principum ageretur de filio ducis Pomeranie ad aulam nostram suscipiendo, dicent commissarii nostri, se in hac re nihil a nobis in commissis habere, sperare tamen se, quod ubi ipsi domini duces Pomeranie id a nobis postularent, nos eorum votis in hac re non defuturos. Ubi autem ipsi nihil de hac re monerent, abstinerent etiam oratores nostri ab ulla de hac re mentione facienda. MDXXIV.

Et quia nos ipsi in presens venire in Prussiam, prout res postulare videtur, nequimus ad componendos motus et seditiones intestinas, que illic in civitatibus nostris inoleverunt, volumus, ut ad hoc munus exequendum nostri commissarii omnem curam et industriam adhibeant, presertim in civitate gedanensi, et ut inprimis (quod remedium potissimum arbitramur) officiales et consulatus in debitam, si videbitur opportunum, restituantur auctoritatem et plebs presertim ac ea colluvies, que ex variis nationibus confluxit et censuram sibi supra consulatum et religionem usurpavit, ad pelliculam suam redigatur, ut quemadmodum ipsas civitates per manus a predecessoribus accepimus, ita illos in suo regimine conservemus.

Opus tamen erit in eo negotio tractando uti summa dexteritate et providentia, ne ulcus asperius tractatum plus nocumenti afferat his presertim difficillimis ac turbulentis temporibus, in quibus necesse est hoc imprimis curare, ut omnes turbarum ac seditionum occasiones et cause tollantur.

Si itaque ipsis commissariis nostris nunc utile et opportunum videbitur agere de ipso consulatu gedanensi in pristinum modum et potestatem reducendo, ac plebecula ad illorum observantiam et quietem redigenda, aggredientur id summa, ut diximus, dexteritate. Sin ea res magis nocere et crabrones movere videretur, concedent tempori, non omittentes nihilominus id, quidquid ad tollendos motus et seditiones opportunum se offeret, quod illorum prudentie committimus.

Quod si efficere possent, ut consulatus auctoritatem suam acciperet, curarent vicissim cum illo ita constituere, uti se erga plebem, quemadmodum erga concives, non ut erga subditos suos gereret, seque erga illam juste et equanimiter conservaret resque et proventus civitatis non arbitrio suo, sed ex usu civitatis administraret.

Quia Gedani de Ferbero summa est difficultas et de rebus supradictis agi debite nihil posse videtur per commissarios, nisi causa ipsius Ferberi in hoc termino coram nobis diffiniatur, supersedebunt ab agendo aliquid de statu Gedanensium, donec a nobis, quid in ea ipsa causa pactum fuerit et quid opportunum censebimus, edocebuntur.

Quod ad sectam Lutheranam attinet, que fertur in dies magis illic in Prussia pullulare: volumus ut commissarii nostri omnem curam de extirpanda illa adhibeant, sed cum de ipsa tractandum fuerit in civitatibus, committent uni perito lingue germanice et eloquenti, ut Czeme aut alicui simili, qui a commissariis verba faciet, seorsum prius instructus, ut, cum nulla respublica regi nequeat sine legibus ac institutis suis, leges autem stare nequeant, ubi cuilibet, quod libet, licet, religio vero unicum sit vinculum in rebus humanis, quo leges ac instituta omnium rerumpublicarum continentur, quo dissoluto, dissolvi necesse est universa, cumque non novum sit, hoc vinculum a seditiosis ac hereticis hominibus impeti, qui semper non secus quam pestes alique ab omnibus imperatoribus, regibus

 ac

MDXXIV. ac principibus opprimebantur; nihil enim in mundo certi aut firmi tam in divinis quam humanis rebus haberetur, ubi cuilibet liceret suo arbitrio suoque sensu scripturas interpretari, leges prescribere et nova dogmata instituere, mirari nos vehementer, esse aliquos illic in civitatibus nostris Prussie, qui Lutherum, hereticum ab ecclesia declaratum, a cesare, regibus et omnibus christianis principibus damnatum, sequantur, plurisque sint apud illos unius apostate seditiosa ac maledica documenta, quam sanctorum patrum totiusque ecclesie auctoritas et universi orbis christiani per tot secula consensus. Et quia hec non ex alio quam insolentia procedunt, unde primum divina indignatio, posthac rerum omnium turbatio et interitus rerumpublicarum accidere solet, hortari nos consules inprimis, deinde alios cives civitatum nostrarum Prussie, ne se hac tabe heretica polluant et nomen ignominiosum apud reliquos Christianos sibi pariant ac sue Reipublice turbas, seditiones ac casum aliquem, quem Deus avertat, comparent, sed religionem, uti illam a patribus suis acceperunt, non plus sapientes quam oportet, colant et observent, quo et divinum favorem sibi conciliabunt, res ac ordinem suum bene stabilient nomenque bonum apud omnes et gratiam nostram sibi demerebuntur.

Cum superioribus diebus intellexissemus, quasdam dissensiones et motus in civitate nostra thorunensi fuisse excitatos, et preterea aulicos nostros, quos paulo ante in Prussiam miseramus, a Thorunensibus non fuisse intromissos, super hac re illis scripsimus et demum dominis Pruthenis, ex conventu piotrkoviensi proficiscentibus, commisimus, ut nostro nomine cum illis de hac ignominia aulicis nostris illata expostularent, unde nobis reverendus dnus. culmensis episcopus suo et collegarum suorum nomine rescripsit, quod inter reliquas de hoc delicto excusationes hanc precipuam dixissent, hoc factum fuisse ideo, quod aulici nostri nullas a nobis significatorias habuissent literas, promisissentque deinceps majorem fidei erga nos sue semper rationem se habituros. Quare non visum est nobis conveniens, ut commissarii nostri quicquam hac de re hoc presertim tempore cum Thorunensibus agerent. Si autem intelligerent, quod heresis Lutherana illic invalescat, juxta articulum supra descriptum nullam omitterent operam, ut tandem hec lues e medio tolleretur. Quod etiam illorum sit prudentie commissum.

X. Fedus inter Sigismundum, Regem Polonie, et inter Duces Mekelburgenses et Pomeranie.

Cod. R. In nomine domini. Amen. Ad futuram rei memoriam. Nos Joannes dei et apostolice sedis gratia sancte gnesnen. ecclesie archiepiscopus et primus, legatusque natus, Mathias, cujaviensis et pomeraniensis, ac Joannes, culmensis eadem gratia ecclesiarum episcopi, Stanislaus de Coscyelecz, palatinus calissiensis, marienburgen., bidgostien. et stumen. capitaneus, Georgius de Baisen, palatinus marienburgen. et capitaneus gnevensis, Achatius Czema, succamerarius Pomeranie et capitaneus schlochovien., Sermi. principis

et

et domini, dni. Sigismundi, d. g. regis Polonie, Magni ducis Lithuanie, Russie Prussieque etc. dni. et heredis, dni. nostri gratiosissimi, nomine sacre Mtis. sue inclitique regni Polonie parte ex una, et nos Georgius, Comes de Ebersten et dominus in Naugarten, nosque utriusque juris doctores, Nicolaus Marssalczi ac Valentinus de Stogientyn, capitaneus in Loczye, nomine Illmorum. principum et dominorum nostrorum, dni. Henrici d. g. megapolensis principis, Vandalorum, etc. comitis swerinensis, terrarumque Rostochii et Stargardie dni., ac dnorum. Georgii et Barnimi, eadem gratia ducum stetinen., Pomeranie, Cassubie, Sclavonie et Rugie, ac comitum in Gusskaw etc. consiliarii et oratores proque Illtatum. suarum parte ex altera, ad faciendas et innovandas ultra naturalis et sanguinis vinculi necessitudinem, federis et amicitie inscriptiones, inter eandem sacram regiam Mtem., dni. nostri gratiosissimi, regnumque et terras incliti regni Polonie et Illmos. prefatos principes eorumque terras in hac civitate gedanensi ex speciali commissione prefatorum ex utraque parte dominorum nostrorum feliciter congregati. MDXXIV.

Significamus tenore presentium quibus expedit universis presentibus et futuris harum notitiam habituris. Quia prefati domini nostri partis utriusque intelligentes Rebuspublicis quorumlibet dominorum societatum et amicitiarum vicinarum conjunctiones, confederationesque non parum conducere posse, quas quidem conjunctiones amicitiarum et vicine societatis confederationes dive felicisque memorie prefatorum dominorum nostrorum predecessoros inter se et eorum dominia inscribere firmareque consueverunt, prout id ex monumentis literatoriis in thesauris partium ipsarum utrarumque dominorum eorundem nostrorum existentibus evidenter constat, ad hujusmodi conjunctionis et innovationis amicitie presentemque confederationem animis bene deliberatis facile accesserunt, iccirco vigore mandatorum nostrorum subappensis sigillis, nobis partis utriusque oratoribus datorum et concessorum, premissis et habitis inter nos mutuis consiliis, deliberationibus et tractatibus amicabilibus, tandem devenimus ad conditiones et articulos per prefatos dominos nostros hincinde firmandos et observandos inferius descriptos.

Inprimis, ut unusquisque prefatorum dominorum nostrorum eorumque successorum sint et esse debeant in amicitia perpetua, harum vigore literarum conjuncti et confederati eviterne, sic quod unus alteri assistat consiliis presidiisque opportunis, favore et auxiliis, quilibet pro posse suo adversus quemlibet hostem regno, ducatibus et terris eorundem dominorum nostrorum propinquius adjacentem, in omni eventu et specialiter si dominus magister Prussie cum ordine suo, aut Illris. dnus. Joachimus, marchio brandeburgensis, elector imperii, vel eorum successores, heredes, complices, fautores, auxiliatores et adherentes aliquem ex prefatis dominis confederatis, aut eorum terras et dominia impeterent, aut alia quacunque via hostiliter invadere seu molestare simul vel divisim voluerint molestaverintque aut invaserint in effectu; contra paganos autem hereticos Schismaticos in remotioribus agentes pro virtutis sue arbitrio et beneplacito prefati domini confederati principes Sermo. dno. nostro, regi Polonie, assistent et opitulabuntur, et contra.

Que quidem presidia et auxilia et reliqua assistentie officia quisque confederatorum confederato suo expensis propriis prestabit, et cum exercitus eorundem presidiorum auxiliatorumque limites terrarum ac dominiorum ipsius confederati, in cujus favorem hunc suum ducit

MDXXIV. ducit exercitum, progressive attigerit, ex tunc dominus terre illius, cui presidium sit missum, eosdem auxiliatores suos in confinibus terre sue per certum conductorem suum excipiet, qui eis in progrediendo de pacifico transitu habendoque commeatu justo auxiliatorum pretio ereque ipsorum proprio comparando consulet et assistet.

Item si quis in prelio aut extra illud modo predicto militando contra hostem alterius captus vel detentus aut alias in obligationem receptus fuerit, illi per partem, ad quam presidium fuerit missum, consuletur et suffragabitur. Et iccirco omnes et singuli captivi ex hostibus quacunque ratione capti in potestate et manu istius domini, cui presidium latum est, vicissim esse debent.

Ceterum deo opt. max. expugnationem arcium, castrorum, civitatum, oppidorum et quorumvis aliorum locorum concedente, ea omnia et singula illi, ad quem ex confederatis quondam pertinebant, venient restituenda. Casu vero quo nulli confederatorum ea prius pertinuissent, tunc nihilominus illi confederatorum cedent, in cujus favorem presidium hoc fuerit missum.

Preterea quia confederatorum interest, ut unus alterius rerum curam habeat, quapropter ordinavimus inter nos et presentibus ordinamus, quod nunquam deinceps aliquis confederatorum predictorum bellum cuicunque hosti suo indicet insciis et inconsultis confederatis suis supra expressis: fortassis enim modi et vie per confederatos communicato ad invicem consilio inveniri possent, quibus mediantibus absque bello injuria affecti confederati poterit emendari, nisi tunc aliquis confederatorum inopinate invaderetur.

Item ut nullus confederatorum gentes sive suas sive alienas adversus aliquem confederatorum per loca dominiorum suorum hostili molimine proficisci conantes transire redireque permittat pro virium suarum possibilitate, neque illas quoquo modo occulte vel manifeste adjuvet, ut hosti ad usum et confederato ad damnum pervenirent.

Et quoniam jacula previsa minus feriunt, statutum est inter confederatos prefatos hinc inde pro vero et indubitato federe observandum, ut quoties aliquis confederatorum presentiret aliquas insidias parari contra aliquem ex confederatis vel dominia illius, ex tunc quilibet confederatorum juxta posse suum se opponet, ut id industria vel viribus avertat et nihilominus alter alterum quanto citius poterit premoneat, quatinus rebus suis tempestive provideret.

Item liberum esse debebit, ut quilibet confederatorum predictorum ere suo proprio in dominiis alterius ad suam necessitatem gentes totiens quotiens volet conducere valeat, ultra debitum confederationis subsidium supra expressum, cum scientia tamen, prescripto et ordinatione ejus principis, ex cujus dominio gentes conducende erunt.

Item quilibet confederatorum providebit in confinibus dominiorum suorum, ne latrocinia, cedes, spolia, invasiones, excursiones, detentiones et depactationes alterutrius subditorum fierent, et quod pro commissis damnis, injuriis et excessibus judices commissarii utriusque delegandi rebus utrorumque dominiorum exposcentibus omni triennio in oppido Choinicze simul convenient pro die S. Galli proxime futuro inchoando et sic consequenter, pro eodem die de triennio in triennium oppressis, injuriatis et damnificatis cum plena potestate tam in criminalibus quam civilibus justitiam indilatam ministraturi.

Ut

Ut autem expeditius partes justitie sue remedium assequantur, iccirco de quolibet dominio querele judicialiter definiende hinc inde modo infrascripto mittende sunt, utpote si quis subditorum Sermi. dni. nostri regis a quopiam ex subditis Illmorum. principum predictorum injuria afficitur, is querelam suam in manus domini palatini Pomeranie pro tempore existentis tempestive mittet, et curabit dictus dnus. palatinus hujusmodi libellos querelarum in manus prefecti Stolpen. destinare et in hoc per quartale unius anni diem conventionis predicte preveniet. Similiter facturi sunt subditi Illmorum. dnorum. principum Pomeranie, qui querelas suas contra subditos Sermi. dni. nostri regis Polonie ad dominum prefectum Stolpensem deferent, qui hujusmodi libellos subditorum dominorum suorum ad palatinum Pomeranie tempore prescripto mittere curabit. MDXXIV.

Qui quidem duo officiales predicti tandem dominorum suorum subditos tam actores quam reos ad locum et diem conventionis predicte judicialiter comparere jubebunt. Qui si comparere noluerint, extunc in contumaciam non comparentium nihilominus judices commissarii parti conquerenti justitiam ministrabunt secundum quod jus et equitas dictaverit. Similiter de actoribus non comparentibus est intelligendum.

Itidem observandum erit, ut si quis de terris Polonie aut ex ducatu Pomeranie cum alterutris subditis in dicto conventu jure experiri vellet, querelas suas in manus capitanei posnaniensis pro tempore existentis mittat, ut in omnibus formula suprascripta ab utraque parte observetur. Similiter a dnis. confederatis provideri debet, ut in manutenendis limitibus utraque dominia concernentibus equitas observetur, nec unus alium de possessione vetusta et usu aliquorum bonorum vel aliquarum pertinentiarum ejiciat, nisi auctoritate principis loci adhibita, in cujus scilicet dominio ea bona fuerint situata.

Item licet domini confederationis predicte ex innata sua virtute, necessitudine et affinitate hinc inde habita unus alterius commodis cavere soleat, tamen capientes ex hac nova confederatione et amicitie vinculo, quo sibi utrinque jam tandem magis ac magis affici delegerunt commodum et incrementum reportare, statutum est utrinque deinde observandum, ut subditi ipsorum confederatorum predictorum terra marique querere et exercere valeant, quolibet impedimento remoto, totiens quotiens subditis et mercatoribus ipsorum dominorum confederatorum expedire et convenire videbitur, salvis tamen juribus patrie, secundum quod in aliquo dominiorum dictorum dnorum. confederatorum hactenus fuit observatum.

Et quia ex profugis colonis inter utrinque subditos differentia atque controversia plerumque oriri solet, statutum est, ut quicunque ab hoc confederationis tempore infra quinque annos jure repetitus fuerit, ipsi repetenti, quantum jus de ipso profugo sibi competierit, sine qualibet renitentia restituatur, elapso vero hujusmodi quinquennio a tempore scientie computando, quum scientiam is, qui repetitionem facit, medio suo juramento probabit, pro prescripto habeatur, si sic, ut prefertur, minime probaverit.

Reliquum est, quod transgressoribus et quibuscunque aliis quocunque facinore, excessu sive comminationibus atque inimicitiarum denunciationibus aut alia quavis suspicione notatis non est dandus salvus conductus per aliquem confederatorum, nisi cautione prius recepta de stando et parendo juri in loco delicti, ubi eidem venturo dominus loci novo salvo conductu providebit. Et si talis juri vel rei judicate parere satisfacereque noluerit, ex

tunc

MDXXIV. tunc talis tanquam proscriptus apud confederatos eorumque subditos non est deinceps fovendus et contra ipsum capiendum puniendumque auxilium et consilium sit prestandum. Quos federis, conjunctionis et amicitie modos, conditiones et articulos suprascriptos sic concorditer conclusos et pro commodo dominorum nostrorum suprascriptorum stabilitos specialiter, Sermus. dnus. noster rex supra nominatus per literas patentes perpetuas sigillo regni sui munitas approbare, confirmare, acceptare et ad perpetuam rei memoriam inscribere dignabitur duplicatas, concedendo unas per suam Sertem. ad perfatum dominum Megapolensem, alteras ad prefatos dominos Pomeranie duces dirigendas. Specialiter etiam prefati dni. duces, videlicet Megapolenses suas et Pomeranie prefati suas sub ipsorum ducalibus sigillis subappensis eidem Sermo. duo. nostro, regi Polonie, dabunt et mittent.

Que quidem litere pro utraque parte per quemlibet dominorum confederatorum scribende, dande et mittende scribi debebunt de concilio et assensu prelatorum status utriusque consiliariorum et baronum dni. confederati, tales literas scribentis dantisque subditorum, quodque ejusmodi litere federum et societatum perpetuarum non solum ad presentes feliciter regnantes et dominantes dominos confederatos, sed etiam ad successores eorundem perpetuos referantur, scribantur et intelligantur.

In quorum omnium suprascriptorum testimonium sigilla nostra tam ex parte nostra, oratorum sacre Mtis. regie, quam ex parte dictorum dominorum ducum supra scriptorum presentibus sunt subappensa. Actum et datum in civitate gedanensi feria quarta post dominicam Letare proxima.

XI. Sigismundus, Rex Polonie, Henrico, Mekelburgensi, et Georgio ac Barnimo, Pomeranie Ducibus.

Cod. K. Literas Illtum. vrarum. accepimus, quibus omnem federum seriem, que proxime in civitate nostra gedanensi a nostris consiliariis cum earum oratoribus et consiliariis facta sunt, probant et commendant. Nobis quoque singula, que iisdem federibus continentur eque placent nullaque in re ab eis dissentientes omnia probamus et rata habemus, quandoquidem communibus rebus nostris et subditorum nostrorum non parum adjumenti allatura esse videmus. Quum igitur vre. Illtes., quas promittunt ejusmodi federum literas ad nos mittere volent, gratum erit nobis et per quos allate fuerint, per eosdem etiam nostre vicissim eodem tenore omnia continentes ad eas referentur. Si quid item amplius est vel erit, in quo nos sibi vre. Illtes. gratificari posse videbunt, facile videbunt et experientur, nos sua causa omnia facturos, que commodo et ornamento suo aliquam accessionem sint allatura. Bene valeant vestre Illustritates. Datum.

XII. Sigismundus,

XII. Sigismundus, Rex Polonie, Hieronymo de Lasko, Palat. Sieradien. Oratori.

Mgce. sincere nobis dilecte. Scripsit nobis Sermus. dnus. rex Ludovicus, nepos noster charissimus, postulatum se ab Illmo. principe Ferdinando, archiduce Austrie, ut nos ad suscipiendas cum Illri. dno. magistro Prussie longiores inducias cohortaretur et flecteret, rogans nos impense illius Mtas., ut causa status sui et Reipublice christiane, causa etiam finiende commodius ejus differentie, que hoc parvo induciarum tempore, quod superest, non videtur debite determinari posse, animum inducamus ad easdem inducias ad quinquennium vel brevius, ut videretur, prorogandas. Nos tametsi in conventu novissimo constitueramus cum tua Ste. et aliis consiliariis nostris vitandas deinceps eas productiones induciarum, que semper regno noxie et hostibus adjumento fuere, presertim ubi eas illi, ut nunc faciunt, aucupabantur; nam dnus. magister Prussie omnia hactenus excutiens, omnia tentans, quo subsidia contra nos parare potuisset ac ea consequendi omni spe destitutus id agere videtur, ut quoquomodo se a debito nobis prestando subtrahat. Tamen, ne quid temere soli rejicere videremur, a tantis presertim principibus oblatum, rem ad tuam Stem. et alios consiliarios nostros retulimus, hortamurque illam, ut quid in ea re eisdem principibus nos ex usu et dignitate nostra et Reipublice respondere debere censeat, nobis perscribat. Et bene valeat. Datum Cracoviae Fer. V. prox. post dominicam Invocavit. MDXXIV. Ex cod. mss. bibl. Korn.

XIII. Susceptio ad Episcopatum Cracoviensem Petri Tomicii, Episcopi, Regni Polonie Vicecancellarii, a Clero et Populo Cracoviensi.

Andreas Cricius, eps. premislien. et canonicus cracovien. fecit et dixit. VI. Aprilis.

Si ullum unquam fuit tempus, Excellentissime antistes, quo senilis prudentia ut est in proverbio prestare videretur, nunc profecto nulli non proponenda et suspicienda videri debet, quisquis consilium Rmi. dni. Joannis, epi. cracovien., cui commodum succedis, secum expenderit. Ille enim cum annos supra XX huic sedi prefuisset, in quam potissimum velut in speculam regni universi omnes fluctus et turbines adversitatum ecclesiarum impelli solent, ac in ea se tamen ita comparasset singulari prudentia et sollicitudine pastorali, singulari etiam benignitate, humilitate, hospitalitate et beneficentia sua tam erga ecclesiam, quam etiam erga plurimos alios, ut hactenus contra omnes tempestates ac contra omnes excessus, quod de bono pastore dici potest, certamen bonum certaverit, cursum muneris Cod. R.

 sui

MDXXIV. sui consumaverit, fidem dei servaverit: videns magnitudinem hujus sarcine, videns languidam et decursam etatem suam, videns mentes hominum depravatas, videns tempora religioni adversissima ac intelligens, qualem atletam hec arena postularet, volensque antequam decederet, quam optime et Reipublice et ecclesie sue consulere, te unum, adeo non ambientem, cum ambirent plerique alii, ut ne cogitantem aut optantem quidem jam pridem ad hoc munus sponte delegit, innitavit, sollicitavit et tanquam pater filium in hanc hereditatem dei adoptavit. Te, inquam, qui ut genere clarissimus, specie, virtute et magnitudine animi conspicuus, ingenio, eloquentia et doctrina admirandus, consilio, auctoritate et gratia apud principem precipuus es, ita in his angustiis nostris non inventus similis tibi, qui conservaret legem excelsi, qui in vita sua suffulciret domum et in diebus suis corroboraret templum, qui curaret gentem suam et liberaret illam a pernicie. Nam si vitam tuam hactenus per omnia inculpatam, si merita tua summa in Rempublicam et ecclesiam, si denique integram et laudatissimam in omnibus rebus et actionibus tam publicis quam privatis functionem tuam hic recensere deberem, viderer nihilosecius quam de solis claritate disserere, quum ea non nobis solum, qui te presentes contuemur, et te fruimur, sed etiam externis et longinquissimis regionibus notiora et celebriora sint, quam ut ullis verbis exprimi queant. Et proinde, cum recte a domino factum sit istud et est laudabile in oculis nostris, ut talis nobis esses pontifex, prelati et canonici ac universus hujus urbis clerus te suum pastorem suumque pontificem omni alacritate et veneratione, qua potest, suscipit ac salutat, te, ut dudum ante optatum, ita tandem sibi concessum ex animo gaudet et letatur. Tibi se, ecclesiam et jura sua omni studio et supplicitate commendat, rogans et obtestans etiam atque etiam, ut te talem pastorem prestare studeas, qualem spes de te concepta locusque hic tam sublimis et tempora hec adversissima exposcunt. Vides enim lupum venientem, vides turbas, vides insolentias, vides blasphemias, vides rapinas et sacrilegia, vides cedes ministrorum dei, vides ut proximus ardet vcalegon, et tunc tua res agitur paries dum proximus ardet.

Accipe igitur fortitudinem a dno. deo et sanctissimis patronis nostris et accinge gladium tuum super femur tuum potentissime ad perdomandas gentes, que fremunt et populos, qui meditantur inania et ad coercendos eos, qui in ecclesiam et ministros dei exacuunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione et amaritudine plenum est, qui viam pacis non cognoverunt, nec est timor dei ante oculus eorum.

Quod reliquum est; precamur omnes, ut deus opt. max., qui te fecit crescere in plebem suam et dedit tibi sacerdotium magnum, idem tibi semper adsit dexter ac propitius, ut quemadmodum te Petrum in hac ecclesia supra firmam ac excelsam petram edificata constituit, ita te grex tuus pastorem hoc nomine et auspicio dignum sentiat et cognoscat.

XIV. Petrus

XIV. Petrus Tomiczki, Eps. Cracoviensis, Regni Polonie Vicecancellarius Joanni Laski, Archiepo. Gnesnen.

Reverendissime in Christo pater et dne. major honorande. Dominus palatinus siradiensis, nepos vre. Rme. Ptis., cum hic esset, literas illius mihi reddidit, quibus commemorans ea, que scripserim de impensa opera mea in negotiis domini Myskowski, cancellarii ejus, que hic egit, gravare videtur tanquam aliquid a me sinistre adversus illam factum. Ego valde doleo, meum studium, quod mihi semper erat gratificandi vre. Rme. Pti. aliorsum ab illa, quam sit, accipi et non succedere, cum tamen non memini, si quam rem mihi committere dignata fuisset eamque mihi concredisset, quin eam non integro et propenso animo exequutus fuissem, et ut potui non effectam reddidissem. Quod autem subjunxit in ipsis literis vinea mea electa etc. Mi. Rme. dne., non sum nescius, quo pacto vra. Rma. Ptas. hanc vineam meam coluerit et quam sepe ea cultura mihi in amaritudinem cesserit. Utcunque est, ego virtute et justitia mea fretus superavi hactenus adversos et cuneos et cuniculos, et in posterum, deo bene juvante, superabo. Sed de his hactenus. MDXXIV. Cod. R.

Ego his diebus divina benignitate disponente ac principe et Rmo. dno. Joanne, epo. cracoviensi, sic volente promotus sum in episcopatum cracoviensem. In eaque promotione mea primum capitulum hoc meum mihi queri cepit de evocatione sui post curiam vre. Rme. Ptis. De qua re et plurimi alii tam seculares quam spirituales queruntur. Rogo plurimum vram. Rmam. Ptem. habere dignetur rationem horum temporum nobis adversissimorum et curare, ut quam minimum homines a nobis offendantur, ne hic funiculus jurisdictionis nostre ita nimium tensus rumpatur aliquando, ut nunc in vicinia pessime agitur. De aliis quidem in presens non ago, solum premoneo de his, que impendent. Pro capitulo autem hoc meo rogo, ut vra. Ptas. committat eam causam in hac diocesi mea discutiendam, ne quod aliud remedium querere cogamur, quod non libens facerem, libenterque me cum clero meo erga Rmam. Ptem. vram. quam melius, si fieri posset, conservarem. Cujus bone gratie me commendo et cupio ut sit incolumis et felix.

XV. Sigismundus, Rex Polonie, Mauritio, Epo. Varmiensi.

Rev. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Habuimus a Pte. vra. literas, quibus nobis respondet, que de prorogandis induciis cum magistro et ordine Prussie ejus sit sententia, que tametsi nobis satis probata sit, constituimus tamen tum eam ipsam prorogandarum induciarum causam, tum alia regni nostri negotia in ampliorem et maturiorem deliberationem paramper differre; Ex cod. mss. bibl. Korn.

 proficiscimur

MDXXIV. *proficiscimur enim brevi, Deo bene juvante, ad terras Russie, ubi ad tuendos fines regni nostri exercitum congregaturi sumus atque ita necessario reliquos consiliarios nostros nobiscum habituri, quibuscum et id, de quo supra mentio habita est, et de aliis rebus plenius tractabimus et ratiocinabimur, dabimusque operam, ut ea consilia aggrediamur, quibus et terris nostris et ecclesie atque ditioni Ptis. vre. pax, tranquillitas, augmentumque stabiliatur. Bene valeat. Datum Cracovie XX Aprilis.*

XVI. Stephanus Brodericus, Orator Ungaricus in Curia Pape, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. R. Post servitutis mee perpetue in gratiam vre. Mtis. humillimam commendationem. Supervenerunt repente nova satis adversa: bassam illum prefectum Cayri, qui a Turca defecerat, a suis esse obtruncatum. Que nova venerunt ex Constantinopoli et habentur pro certissimis.

Fui hodie, que est V^ta^ Maji cum sctmo. dno. nostro, qui nova hec pro certissimis affirmat et veretur, ne totas suas vires contra Hungariam Turca convertat. Adhibet sua Sctas. cum sua sponte, tum meo etiam hortatu ea remedia, que potest. Sollicitat pacem inter principes. Misit super his novis recentibus literas ad omnes principes exhortans eos, ut velint in commune consulere et regno Hungarie vel ei parti Christianitatis, si qua laborare ceperit, opem ferre. Credo eam de hoc et ad vram. Mtem. scripturam.

Ex Lombardia habemus nova, que et pontifex et omnes alii pro certissimis affirmant: Gallos ex Italia jam discedere et in discessu hujusmodi per nostros unam partem eorum male mulctatam; interfectos esse usque ad mille Gallos, interfectum quendam capitaneum, unum ex principalioribus, vulneratum etiam supremum capitaneum, quem Almiraldum vocant. Est aliqua spes pacis, fortasse enim jam Gallus facilius flectetur. Sed credo ego quod semper credidi, Mtem. dni. mei Sermi. et gratiosissimi, multum in hoc posse, modo sua Mtas. ad eum mitteret, quod nunc potissimum, rebus ejus ad hunc statum deductis, quam primum faciendum videretur. Supplicavi in aliis literis meis Mti. vre., ut in favorem mei Sermo. et gratiosissimo domino meo scribere dignaretur, ne in servitiis sue Mtis. existens inter mortuos in istis sacerdotiorum mutationibus computarer. Idem nunc supplico humillime. Scio unicam vre. Mtis. voluntatis significationem incredibiliter rebus meis profuturam. Ego pro hujuscemodi vre. Mtis. in me gratia non habeo, quod Mti. vre. offeram, nisi perpetuam meam et in dominum meum clementissimum et in vram. Mtem. sacratissimam fidelitatem et servitutem. Quam deus felicissimam et inclumem conservet. Rome V. Maji.

XVII. Clemens

XVII. Clemens, Papa Septimus, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Venerabilis frater. Salutem et apostolicam benedictionem. Egregia virtus singularisque fides dilecti filii, Stephani Broderici, charissimi in Christo filii nostri Ludovici, Ungarie et Bohemie regis, apud nos oratoris, cum in aliis rebus multis tum maxime in procuratione illius regni perspecta ita eum nobis acceptum reddidit, ut non solum a nobis ametur, verum etiam aliis commendandus videatur. Quam ab rem, cum illum hoc tempore ad ipsum regem miserimus, hortamur Fraternitatem tuam, ut illi tum virtutum et observantie ejus erga te, tum plurimum et honoris nostri causa, quibuscumque rebus licebit, gratificetur, existimetque in eo et homini studiosissimo officium prestare et una nobis rem gratissimam facere. De iis vero, que tecum nostro nomine aget, fidem illi habere poteris. Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris XIII. Maji. MDXXIV. Cod. mss. bibl. Ossolin.

XVIII. Clemens, Papa Septimus Basilio, Duci Moscorum.

Tecte pollicetur ei coronam regiam si ad ecclesiam catholicam accesserit.

Dilecte fili. Locutus est nobis Paulus, centurio civis januensis, de nobilitate tua plurimum eaque narravit, que partim antea noveramus, partim que nosse magnopere desiderabamus. Nam eximiam virtutem tuam et in omnibus rebus magnitudinem animi splendoremque dignum tanti principis gloria habebamus nos jam pridem cognitum. Quod vero, ut ipse Paulus nobis retulit, optima mente et voluntate erga rempublicam christianam et sanctam hanc sedem apostolicam esses aliquamque inter nos conjunctionem arctioris amicitie ac benevolentie, quam nos omni affectu cupimus, tu quoque non aspernaturus esses, hoc nobis audire et cognoscere supra omnia fuit jucundissimum, presertim cum memores apprime simus, quam erga te amicam et benevolam semper gesserimus voluntatem. Nam et tempore fere Alexandri VI. predecessoris nostri, cum tui legati componendarum, ut tunc audiebamus, rerum causa in urbe versarentur, magno dolore accepimus, nihil esse conclusum. Et deinde pie memorie Leone X, predecessore et fratre patrueli nostro, universalem ecclesiam regentem, cum aliquantum apud illum auctoritate valeremus, recordamur cum magna spe et letitia nostra non semel ab eo ad te amicissime atque humanissime scriptum fuisse. Quo etiam tempore idem Paulus ipsius Leonis literis in sui commendationem ad te allatis, multa se a liberalitate tua consequutum fuisse affirmat, sed hoc sanctum amoris et amicitie fedus, quod tibi cum apostolica sede intercedere optavimus semper, si summus et omnipotens deus tribueret nobis, ut nos ipsi tecum ad ipsius dei honorem et communem utriusque nostrum voluptatem faceremus, profecto tanto divinitus beneficio nos affectos arbitraremur, quo majus ullum vix desiderare possumus; tibi vero et benignitati Cod. B.

MDXXIV. gnitati tue, si te nobis promptum et facilem preberes, perpetuam gratiam deberemus. Cum igitur Paulus nobis affirmaret, se iterum ad Nobilitatem tuam velle reverti, has omnino ad te literas dare decrevimus, quas sive per manus ipsius Pauli, sive alterius cujusvis accepturus esses, quod propter longinquitatem itineris et vie discrimina unius hominis salus sepe periclitari potest, hortamur et oramus Nobilitatem tuam, ut amico animo et benigna mente legas et percipias nostrasque preces et promissiones ita ad animum tuum propitia voluntate sinas pervenire, si vero amoris affectu et ex nostra paterna erga te mente et charitate procedere videbuntur.

Nos, fili charissime, ita amavimus semper Nobilitatem tuam propter virtutis famam animique prestantiam, ut nihil ardentius optaremus, quam te esse in communi sententia nobiscum cum reliquo Christianitatis corpore et presertim cum sede apostolica in omnibus rebus unanimem et conjunctum, quod adhuc factum non est superiorum, ut potuimus intelligere, culpa. Nunc vero nobis divino admirabili beneficio sedem Petri obtinentibus, quid cause esse debet, cur tu nobis amicitiam et societatem tuam sitientibus non pari amoris studio respondeas ac tanto desiderio nostro humanitatem tuam non accommodes? Nostra dignitas ejusmodi est, et ita in excelso posita, ut multi pares tui maximum illi honorem habere soliti sint, sed nos, qui vere Christi vicarii esse cupimus, a quo humilitatis exemplo imprimis sumus eruditi, omnem nostram dignitatem, non in expectando ut rogemur, sed in rogando et precando ponimus, si modo nostra deprecatio summo deo accepta sit, illis ipsis, quos rogamus, utilis et honorifica. Hoc igitur animo petimus a te, fili charissime, ut quo nos conjunctionem tuam appetimus desiderio, simili tu voluntate te nobis affectum prebeas, in federe et amicitia equalem et tanquam fratrem, in amore filium, sicut nos te paterna charitate desideramus complecti. Quod si, deo mentem tuam recte inspirante, nobiscum et cum sancta hac sede unanimis esse institueris et sive per nuncium tuum, hominem a te delectum, cui confidere possimus, sive alia quapiam via et ratione de tua optima erga nos mente et parata nostris desideriis voluntate nos certiores effeceris, intelliges et re ipsa experiere, nos tantam gerere tui honoris et tue amplificande dignitatis curam, ut nunquam te in hoc consilium cogitationemque ineunde nobiscnm amicitie et conjunctionis venisse peniteat. Sicut supradictus Paulus, aut pro eo aliquis alter tecum copiosius loquetur, cui fidem in his habere eumque tua gratia et et benignitate prosequi non gravaberis. Datum Rome d. XXV Maji.

XIX. Sigismundus, Rex Polonie, Clementi VII. Pontifici maximo.

Cod. R. Sanctissime etc. Cum superioribus mensibus nuntius Sctis. vre. Paulus, centurio januensis, ad me huc venisset, et se a Scte. vra. ad Moscorum ducem missum declarasset, eum benigne excepi et quo celerius negotia Sctis. vre. absolveret, commeatum per regnum meum simul et equos redarios usque ad Moscorum fines illi liberaliter concessi. Is ipse jam tandem

tandem rediit una cum Moscorum ducis legato ad Sctem. vram. Quia vero et vir bonus videtur et tam longi itineris laborem perferre eum necesse fuit, rogo plurimum vram. Sctem.: velit eum commendatum habere et gratia ac munificentia sua, qua magnopere in hac sua ingravescente etate indigere videtur, complecti. Et valeat felicissime vra. Sctas. cui me iterum etc. MDXXIV.

XX. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Laski, Archiepo. Gnesnensi.

Rme. in Christo pater et dne. major honorande. Accepi literas vre. Ptis., quibus partim diluit ea, quibus me offensum putat, partim me de aliquibus excusat. Non sum, Rme. dne., tam obtusi ingenii, ut que commemorat et alia pleraque non intelligam, quo animo adversum me egerit, quidve conata sit. Quam autem talia molimina congruant ordini et professioni nostre, et conducant statui ecclesiastico et Reipublice, ipsa viderit. Mihi satis est, quod meam dignitatem meamque famam hactenus illibatam conservavi et cunicularia ista machinamenta superavi; quod et in posterum auxilio dei et mea integritate futurum spero. Quod vero me de nepote suo dno. Loboczki accusat, fateor, me pro debito meo et rei decentia juri regio adversus romanas impetrationes non defuisse, cum et minimus nobilis eam injuriam sibi inferri non patiatur. Quicquid autem ego in hac re egi, decentius aliquanto est actum, quam in cancellaria gnesnensi et aliis beneficiis, que adversus literas apostolicas a Schismaticis et militibus gregariis occupabantur. Domino etiam Rambyeski nihil unquam nocui, quin juvi illum in omnibus ejus necessitatibus, in quibus ad me confugiebat. Accusentur, hi, qui illum campanis et diris picturis Rome et hic celebrem fecerunt, vel hi, qui illum ad eos Labyrintos induxerunt. Scripseram etiam vre. Pti. de promotione mea ad episcopatum cracoviensem, quibus literis videor fidem non habere, et propterea mitto illi literas apostolicas, ut illis saltem credere dignaretur, quas dudum misissem, si ita certum et commodum nuncium habuissem. Quod autem Ptas. vra. subjunxit eam promotione mea celatam fuisse, non soleo ego libenter jactare res et fortunas meas, neque attinebat quicquam cum Ptas. vra. de his agere, que non nisi cum fidis et faventibus amicis communicantur, de quorum numero illam hactenus non novi. Felicissime valeat vra. Ptas. Datum Cracovie. Cod. R.

XXI. Literе Restium prime et secunde (wici) contra Turcos et Tartaros.

Goreczki scripsit.

Sigismundus rex Polonie etc. Universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis et ceteris dignitatibus et officiis terrestribus totiusque nobilitatis ordinibus terrarum Russie de jure et consuetudine ad bellum obligatis sincere nobis et fidelibus nostris dilectis, gratiam regiam. Cod. R.

Mgci.,

MDXXIV. Mgci., generosi et nobiles, sincere nobis et fideles nostri dilecti. Superioribus diebus, quod quodam incerto rumore ad nos delatum erat, Turcas et Tartaros conjunctis viribus in terras regni nostri excurrere voluisse et ob eam causam remissius egimus, ne vos ad arma concitaremus ad resistendum hosti, cujus adventus non satis certus esse ferebatur. Nunc autem ex ejus hominis relatione didicimus, qui quoties a nobis mittitur ad perquirendum de hostilium rerum ordinem nunquam ad nos rediit cum rebus incertis, sed ea semper afferre solet, que nequaquam a veritate sunt aliena, id esse verissimum, quod antea pro incerto habebamus. Is autem ad nos detulit, nunc Turcas et Tartaros eo duce, qui anno superiore terras Russie depopulatus est, jamjam adventare, transmissoque Danubio, concitato cursu ad easdem terras Russie progredi, ut, sicut anno superiore, nemine resistente, maximam calamitatem iisdem terris Russie attulit, ita nunc, quod deus omen avertat, nisi mature occursum fuerit, voto suo potiatur ipsasque terras depredetur et ad extremum discrimen adducat. Nos itaque, premisso milite mercenario, qui nunc conscribi potuit, deficiente tanto sumptu, quantus in re tam grandi tamque subita necessarius esset, nihil aliud eque salutare et presentaneum invenire potuimus, quam ut vos ad arma sumenda adhortemur, et propterea vobis mandamus, ut jam omni dubitatione remota, que vobis proficiscendi ad bellum certitudinem auferre posse videretur, mox proficiscamini et conveniatis ad diem in loco quem his literis vobis designamus. Illinc demum, deo bene juvante, cum capitaneo exercituum generali obviam hosti imminenti, sicut tempus et necessitas ostendet, progressuri. Qui autem in tanta Reipublice necessitate et imminenti periculo id facere, quod se decet et ad quod de jure communi et necessitate obligatus est, neglexerit, sciat in se nos ita animadversuros esse, sicut in eos animadverti solet, qui temere leges regni de bellica expeditione editas contemnunt. Datum Cracovie.

XXII. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao et Janussio, Ducibus Masovie.

Cod. R. Illustres domini, nobis sincere dilecti. Credimus Illtes. vras. non ignorare, nos in conventu piotrkoviense novissimo bellum generale adversus Turcos et Tartaros decrevisse, cum quibus nullum fedus habemus. Quod quidem bellum quia proximo vere, ne nos hostes prevenirent, movere oportebit, prout jam hoc subditis nostris secundis restium literis denunciamus, voluimus eandem motionem Illtibus. vris. declarare, hortamurque illas, ut ad proficiscendum nobiscum eo numero, quo tenentur, se accingant. Preterea, quia nondum Illtes. vre. omagium nobis debitum prestiterunt, ad quod exigendum nos consiliarii et regnicole nostri hortantur, curabunt Illtes. vre. ambe ad eandem bellicam expeditionem venire et inibi debitum facere et demum uter voluerit discedere poterit. Bene valeant Illtes. vre. Datum Cracovie.

XXIII. Litere Restium tertie adversus Turcos et Tartaros.

Sigismundus, Rex Polonie etc. Universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, dignitariis et officialibus, burgrabiis et nobilitatis communitatibus, advocatis, sculteтis ceterisque subditis nostris terras regni nostri ubilibet incolentibus, presertim vero terram N. et districtum N. de jure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. MDXXIV. Cod. R.

Mgci. generosi, nobiles, famati et providi, sincere nobis et fideles dilecti. Significarunt nobis exploratores nostri, Turcos et Tartaros magna vi ad invadendum regnum nostrum accinctos et paratos esse et jam non procul a finibus regni nostri distare nihilque aliud, quam commoditatem temporis expectare. Ne igitur Respublica per aliquam negligentiam nostram in casum et discrimen veniret opportunis presidiis destituta, presentes literas in vim tertiarum et ultimarum restium emisimus, vobisque omnibus et singulatim unicuique vestrum, bellicam expeditionem debentibus, mandamus, ut quam primum vos moveatis eoque ordine proficiscamini, qui ab hostili differat. Prioribus enim temporibus ejusmodi profectiones ad bellum fuerunt cum maximo detrimento et destructione miserorum colonorum, qui sunt omnium opum et virium regni potissimum fundamentum cumque provocatione indignationis divine, que cum alias semper, tum hoc periculosissimo tempore nobis est vitanda, et proinde ut et divina gratia et subditorum nostrorum tranquillitas et immunitas conservaretur, neve prius hi pauperes homines, quorum precibus et benedictione fulti adversus hostilem potentiam proficisci tutius deberemus, ita exulcerarentur, ut suis questibus et lacrimis vindictam divinam in nos provocarent, volumus, ut juxta constitutionem conventus bidgostiensis in N. ad diem N. omnes conveniatis et ibi de tempore egressus sui de domibus vestris deque modo ac ordine proficiscendi cum suis castellanis, capto consilio, quisque pro feria secunda intra octavas festi corporis Christi proxime futuri, in loco qui dicitur Kosszow Staw, inter oppida nostra Busko et Glynyany sito, ubi et nos ipsi aderimus, non solum sumptum et laborem nostrum, sed etiam personam nostram regiam pro defendendo regno et subditis nostris exhibituri, armatus, instructus et comitatus pro sua facultate, sub amissione omnium bonornm suorum, constituatur ad regnum et patriam nostram defendendam; ac ad eum ipsum locum cum suo castellano sine subditorum nostrorum spiritualium et secularium injuria et incommodo uti premissum est proficiscatur, quandoquidem castellanus ipse cujuslibet districtus habebit facultatem, quam etiam illi damus presentibus, eos, qui temerarie excessus facerent et damna hominibus inferent, ordinationes antiquas in victu comparando non observantes, puniendi. Quod si castellani officium suum in hoc exequi neglexerint et in profectione damna non prohibuerint, tunc tenebuntur damna passis ipsa damna solvere, si reos nobis non detulerint et nobis nihilominus pro pena negligentie quatuordecim marcas solvent. Palatini vero cum castellanis ordinabunt districtus et castellanis eos ducendos divident et deputabunt. Dum vero castellanus cum districtu suo movere se voluerit ad bellum, ut una omnes pergant, debet

MDXXIV. debet castellanus ipse locum suo districtui deputare et in loco competenti tentorium suum extendere et quatuor vel ad minus tribus diebus in eodem loco immorari et tandem progredi sine hominum injuria, victualia quevis ut statuto piotrkoviensi cautum est solvendo. Et qui nobiles ad diem illam ad castellanum non convenerint, aut cum eo profectionem suam non continuaverint, soli vero absque ipso castellano suo proficiscentes, si damnum cuipiam fecerint, duplum ejusdem damni solvere damnum passis tenebuntur. Ipse autem castellanus cum suo districtu proficiscens, stativa faciet cum nobilibus non in villis nec oppidis, sed prope illa juxta statuta regni, et si rustici seu coloni commeatum et alia necessaria ad exercitum illius conducere noluerint, ipse castellanus ad vicinas villas seculares suos vel aliquos probos nobiles mittet, qui necessaria ipsa omnibus, qui pro illis se contulerint, distribuent et curabunt, ut parata pecunia exolvantur modo et ordine infrascripto: videlicet fenum, quantum unus equus portare seu trahere potest, solvatur uno grosso, quod duobus equis afferetur seu adducetur, duobus grossis, cassula siliginis una tribus grossis, avene unus chorus uno grosso, cassula vero avene duobus grossis solvetur, Bos media marca, juvenca alias yalowicza sedecim grossis, porcus duodecim grossis, aries seu muto tribus grossis, due auce uno grosso, sex pulli gallinacei uno grosso. Et ne quispiam vestrum de premissis suam ignorantiam pretendat, volumus, ut unus ad alium sibi viciniorem presentes ultimarum restium literas cum illas perlegerit, quam primum transmittat, ultimus vero easdem loci capitaneo representet sub amissione bonorum suorum omnium nemo aliter facturus. Datum Cracovie fer. IV. proxima post dominicam Conductus Pasche.

XXIV. Additio ad Instructionem datam Dno. Preposito Gnesnensi ad conventum Colensem data.

Cod. R. Anno domini M. D. XXIIII. Cracovie die XXX Maji additio ad instructionem datam dno. preposito gnesnensi etc. ad conventum colensem data per Mtem. regiam etc.

Proponantur tria milia equitum per tria quartalia anni servanda in terris Russie, nam minori numero non putat Mtas. regia reprimi posse tantam vim hostium, quanta fertur esse accincta et parata ad invadendum regna ac dominia Mtis. regie.

Ea autem tria milia equitum vix conduci et servari poterunt, nisi contribuerentur bellicalia, alias woyenne, exactiones civiles, alias stossij et czopowe.

Et quia Mtas. sua paratam pecuniam non habet, nec scit, unde ad tam subitam necessitatem eam in mutuum recipere possit, necessarium esse videtur, ut contributiones predicte persolvantur in tempore ac in manus exactorum reponantur ad feriam secundam proximam post diem et festum S. Margarethe. Alioquin ne Respublica sit absque presidiis debitis, Mtas. sua regia statuit jam ex nunc diem conveniendi campestraliter omnibus terris ac subditis regni sui circa Kossow Staw feria II prox. aute festum S. Margarethe.

Exactores

Exactores autem contributionum si instituentur, sint capitanei castrorum regiorum, in quibus aguntur judicia et quorum capitanei mittere solent ad pignorandum. Et si visum fuerit adjungere unum de communitate nobilium ad obeundum officium exactorium ad quemlibet capitaneum, sit in arbitrio dominorum consiliariorum et nunciorum, qui erunt in conventione colensi. MDXXIV.

Quod si forte decretis bellicalibus et aliis contributionibus predictis petitum fuerit, ut eadem bellicalia dividerentur ad duas ratas temporum, tolerari possit et admitti, ut medietas eorundem bellicalium solveretur feria secunda post festum S. Margarethe, reliqua vero medietas pro die et festo S. Michaelis proximo.

Si nollent ad solvenda bellicalia, admittatur, ut solvantur fertones juxta antiquas quittantias, hoc tamen proviso, quod contributio Czopowe exigi incipiat ab eodem tempore, quo fertones excipi incipient.

Nullas conditiones penitus admittant, quas circa decernendas contributiones predictas adjicere vellent.

XXV. Cricius Tomicio

per Schedulam.

Rme. mi dne. Retulit mihi hesterno vesperi famulus dni. Petri Opaleniczki, actos, se presente, conventus Posnanie et in Srzoda, in utroque decretum, ut nuncius ad Mtem. regiam mittatur, et ex Srzoda quidem significatum fuisse, ne quis eorum eligeretur, qui nuncii erant in conventu generali, quod perperam omnia agere soleant. Verum Posnanie jam Gostinski electus fuit. Is die crastina vel perendie venire una cum altero quodam ex calissiensi palatinatu debet. Retulit etiam idem famulus, turbas illic fuisse. Alios, instinctu Gostinski, egisse gratias dno. Posnaniensi, quod se officium resignaturum obtulerit, alios item reclamasse, sua nihil referre, utrum unus omnia an singuli singula obtineant, modo ut pace fruantur. Petituri sunt hi nuncii productionem termini bellici et conventum ante motionem, sicque conjicitur, quod in eo contributionem aliquam decernere vellent. Cod. R.

XXVI. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. mi dne. Litere dominorum, quod nihil certi contineant, in tam gravi et difficillima sententia, nil mirum, ut qui in levioribus idem facere soleant consulti, hoc duntaxat curantes, ut hec atque illa consulentes ansam habeant vel ascribendi sibi, si quid recte cedat, vel si perperam cesserit, eos accusandi, qui negotiis expediundis presunt. Quare supplico Rme. Dtioni. vre. providere dignetur, ne qua occasio detur istiusmodi hominibus cum Cod. R.

casu

MDXXIV. casu aliquo, quem dnus. deus avertat, suggillandi, censere explicatis coram nunciis discriminibus et periculis, que regno imminent, et commemorata spe Mtis. regie, quam habuit, quod regnicole his cognitis tandem excitari et saluti patrie et sue alacrius et efficacius consulere debuissent, cum preter consuetum morem et juxta decretum bidgostiensis conventus in omnibus districtibus agi fecerit nunciosque, quot queque terre vellent, admiserit, conventum generalem tempore instituerit, in eoque morari longissimo tempore non est gravata; cumque in felicitate quadam factum sit, ut non attenta summa et presenti calamitate ac pernicie omnia acta sint remissius et deterius, quam vel in media serenitate vel pace conveniret, nescire Mtem. suam, quod potissimum exequi deberet; hinc ratio indicat ex tam levi contributione tantam periculi molem sustineri non posse, illinc ex motu belli publico tam inordinato major jactura et ignominia, quam vel ab hoste contingere possit: non rejicere Mtem. suam id quod decretum est per illos, quando illis ita visum est, curaturamque Mtem. suam pro viribus, uti aliquo modo defensio hoc tempore sarciri posset usque ad eum conventum, in quo pollicentur, se de constituendo bono ordine status et defensionis Reipublice consulere velle. Verum cum hostis in foribus sit, ubi vis tanta ingrueret, cui presidiis levioribus resisti non posset, oporteret Mtem. suam inter duo mala unum hoc potius eligere, ut bellum generale licet exitiosum moveret quam permitteret rui universum regnum, proindeque decrevisse emitti binas restium literas in omnem eventum, ne quid ob moram negligi videretur. In eum sensum videretur mihi, mi Rme. dne. agendum cum nunciis, etiam eorum consilio nonnihil requisito de his, que utcunque cederent, si, quod deus avertat, male cederent, posset ipsa per sicophantas culpari; et veniam det, quod sus Minervam doceat, cum id ejus jussu faciam. Coram abundius.

XXVII. Andreas Cricius, Eps. Premislien. Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. R. Rme. in Christo pater et domine, dne colendissime. Perveni Radimnam gratia dei salvus et incolumis, inveni locum et peramenum et ita munitum beneficentia vre. Rme. Dtionis., ut, qui me visunt, tutius hic quam Premislie me esse dicant. Oppida et villas hominesque qua transivi frequentiores opulentioresque vidi, quam in tot calamitatibus credibile videri possit. Exceptus sum ubique magno honore et alacritate, precipue vero apud nostrum dominum Belzensem [1]), cujus mihi culina et cella vinaria etiamnum in capite renident. Proficiscar ad ecclesiam meam cum primum mei canonici convenient, sic enim a me optant.

Rumores de hostibus percrebescunt quidem, sed a quibus minus quam a nostratibus timentur? Expetitur adventus regius ab his presertim, qui ad excipiendam Mtem. suam multum insumpserunt, sed nemo tamen non censet, vel ita veniendum Mti. sue, ut fame jam vulgate respondere hostesque vero non umbratili terrore afficere posset: vel omnino non

[1]) Nicolaus Pileczki, castellanus.

veniendum,

veniendum, ne hoc illi accideret, quod olim in fabulis noctue fertur accidisse, que avibus reliquis terribilior visa et in regem declarata, dehinc una atque altera de avibus sese propius impune admovente, mox in contemptum posthac in discrimen regni devenit. Supplico Rme. Dtioni. vre., ut me absentem sua gratia complecti non desinat, et felicissime valeat. Ex Radimno die VIII. Junii. MDXXIV.

XXVIII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Sigismundo Regi Polonie.

Post humillimam mei mearumque orationum commendationem. Veniens hesterno die Premisliam, inveni totam ferme hujus terre nobilitatem huc a Mgco. dno. capitaneo et marsalco Mtis. vre. Serme. invitatam, ludis et symposiis more optime perfectis in his angustiis refici et ad communem necessitatem animari et conciliari. Cum quibus omnibus ejus Mgcia. ingressu meo pro sua virtute officiosissime honestato recensuit, que mala pridie sibi essent ex Leopoli et aliunde nunciata, cum quantis copiis Turci et Tartari, instructi etiam omnibus bellicis instrumentis, jam non procul abessent. Adorte sunt me omnes magnis precibus et obortis etiam lacrimis, intercederem ad Mtem. vram., ut eos in tanto discrimine non desereret et malo imminenti aliquod remedium quam primum adhiberet, persuasum habentes, me tanti esse, ut efficere id apud Mtem. vram. valeam morbumque Reipublice tam levem, ut vel a nundinali medico succurri illi possit. Ego vero. qui recens a Mte. vra. veni, sciens eam esse rerum omnium difficultatem et confusionem, ut si septem illi Grecorum sapientes nunc consulere velint Reipublice, quid consulerent non haberent, nescio quid consulam aut petam a Mte. vra.; jam enim certum videtur, motionem bellicam nullius alioqui suo more ac ordine utilitatem immutatam; ad scribendum vero militem scio, nullum esse nervum. Venire huc autem Mtem. vram. cum umbratili solum terrore et in spem precariorum subsidiorum et non cum certis ac sufficientibus ad reprimendum hostem copiis, nemo sanus consulit, id enim esset sine pennis volare et simul omnia in discrimen adducere, hostibusque in contemptum perpetuum venire. Tantum enim abest, ut secretum sit, quidquid secretum esse debeat, ut huc veniens pleraque vulgo jactari cognoverim, que me istic apud Mtem. vram. existentem preteribant. Jam ut nunc sunt mores et rerum omnium abusus, videretur onus defensionis Mti. vre. debitum in eam ipsam solam recidi, quod utique, si quid prodesset vre. Mti. que sua est excelsa virtus, tolerabilius foret; sed utcunque se res habet, utcunque nullus videatur consilii locus, non possum tamen non supplicare Mti. vre. Serme. pro mea debita et deditissima fide, ut his terris, ne in preceps veniant, quoquomodo prospiciat, quas ego transiens et inter tot clades et calamitates, tot oppidis, tantis villis, tam generosis hominum animis, tanta omnium rerum copia difertas comperiens, non possum nisi florem et clypeum regni universi censere. Is si confringetur, quid letali obstet vulneri, non video. Clementissime rex. Intelligunt omnes summum imminere discrimen, intelligunt suam nimiam libertatem in extremam Cod. R.

MDXXIV. tremam et turpissimam vergere servitutem, Mtem. vram. legibus et statutis coarctatam, cum hoc princeps esse debeat in bene instituta Republica, quod anima in sano corpore, ut eque membris omnibus, vel his aut illis, prout res exigit, movere possit, cunctaque vigore suo vegetaret, eam voluntatem habere, vel id posse Mtem. vram. omnes desiderant, scientes quam longe absit ab omni tyrannico affectu. Id si foret, tum demum in his angustiis, credunt, se servari posse, alioquin videntes viventesque perire oportere. Supplico humiliter Mti. vre. Serme. ut hunc nuncium omnium nostrum clementer audire et ea, que presumptuosius fortasse scribo, boni consulere dignetur; nam non aliud quam fides mea meumque in Mtem. vram. bonum studium et affectus ac hujus nobilissime militie Mtis. vre. ingentes preces me huc impulerunt. Dnus. deus servet Mtem. vram. diutissime sospitem et felicem. Cui me et orationes meas etiam atque etiam humillime commendo. Datum Premislie d. IX Junii.

XXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Capitaneis Arcium.

Cod. R. Generose fidelis dilecte. Quamvis ea, que paulo ante ad nos et literis et nunciis perferebantur de periculo ab hostili excursione imminente, pro incertis habuerimus et ob eam causam subditos nostros movere et exercitum conflare non properavimus, cujus presidio impetus ipse hostilis imminens reprimi posset; quia tamen nunc certo accepimus ex ejus hominis relatione, qui nunquam nisi res verissimas afferre solet, Turcos et Tartaros, duce Thessaul, qui anno superiore terras Russie vastavit, jamjam ad nos adventare transmissoque Danubio ad easdem terras Russie recta progredi, id quod in re tam subita tamque periculosa facere potuimus, equitatum et peditatum, quo majore numero potuimus, suscepimus et conscribi jussimus, ac illum cum aulicis et tormentis et omni apparatu bellico ad tantum malum restinguendum intra paucos dies hinc expedire constituimus. Id enim contendimus, quod rei bene gerende consentaneum esse existimamus, ne aliqua in parte Reipublice regni nostri deesse videamur. Tuam igitur Fidelitatem hortamur, mandantes, ut in tanta tamque ardua necessitate quam primum arma capiat seque moveat et ad Mgcum. Nicolaum de Dambrowicza, castellanum cracovien. et exercituum regni nostri capitaneum generalem, atque alios proceres et subditos nostros sine mora proficiscatur, et quos potest vicinos suos ad idem cohortetur et secum ducat, quo hostes ita reprimi possint, ut votis suis non potiantur in his, ad que anni superioris negligentia sibi audaciam paraverunt. Quidquid autem tua Ftas. faciet ad conservandum Reipublice statum et propulsanda pericula ei imminentia, id erit nobis valde gratum, quod suo tempore illi et ejus domui singulari gratia et beneficentia nostra regia compensare curabimus. Mandamus etiam tue Fti., ut literas, quas cum presentibus mittimus, inscriptione carentes intitulari velit istic ad eos nobiles sui capitaneatus, quos ad presentem Reipublice urgentem necessitatem paratiores et expeditiores esse noverit et tam ad illos, quam etiam ad alios nobiles

nobiles ipsas literas nostras absque ulla remoratione transmittat. Pro gratia nostra non aliter factura. Dat. Cracovie fer. V. prox. ante festum S. Viti. MDXXIV.

XXX. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao et Janussio, Ducibus Masovie.

Illres. dni. sincere nobis dilecti. Non ignorant vre. Illtes., nos jam binas restium literas ad universos subditos nostros ad expeditionem bellicam obligatos premisisse, simulac easdem vras. Illtes. admonuisse, ut ad proficiscendum una nobiscum ad eam ipsam bellicam expeditionem se prepararent. Quia vero nunc suspectissimum tempus instat et per exploratores nostros edocemur, Turcos et Tartaros magna vi ad invadendum regnum nostrum accinctos et paratos esse et jam haud procul a finibus ipsius regni nostri distare, nihilque aliud, quam temporis commoditatem expectare, tertias et ultimas literas restium emisimus et locum generalem circa Kosszow Staff inter oppida nostra Busko et Glynyany situm, ad quem universa nobilitas nostra pro feria secunda intra octavas Corporis Christi proxime futuri convenire debet, in ipsis literis ultimarum restium designavimus. Hortamur itaque vras. Illtes., ut pro eodem die ad locum predictum Kossow Staff in eo comitatu, quo debent, veniant, ubi etiam nos aderimus non solum sumptum et laborem nostrum, sed etiam personam nostram regiam pro defendendo regno et subditis nostris exhibituri. Sic facture vre. Illtes. pro debito suo et gratia nostra. Que bene valeant. Datum Cracovie die S. Vitalis. Cod. R.

XXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni Majoribus.

Mgce. sincere nobis dilecte. Quamvis in conventu preterito piotrkoviensi nequeuntes cum consiliariis nostris ita ut cupiebamus aliquam aliam defensionem statuere preter generalem bellicam motionem, omnibus in universum gravem et damnosam coacti fuerimus id quod in manus nobis fuit, ipsam motionem bellicam decernere, quamvis etiam in dies clarius edocemur, de magno Turcarum et Tartarorum exercitu, jam ad regnum nostrum tendentem, tamen ad enixissimam petitionem nunciorum terre posnaniensis et calissiensis, qui apud nos existentes summam angustiam et difficultatem expeditionis sue terrarum predictarum nomine declaraverunt, promittentes nobis, quod nobilitas earundem et aliarum terrarum Majoris Polonie de alio modo defensionis quam expeditione generali pro rei et temporis necessitate, omnino consulet et constituet. Conventum imprimis particularem in Srzoda ad diem N. dehinc generalem in Colo pro die N. statuimus. Itaque mandamus tue Sti., ut ad ipsum conventum particularem proficiscatur illicque cum nobilitate de aliquo Cod. R.

MDXXIV. quo modo succurrendi in tanta necessitate Reipublice preter eandem motionem bellicam tractet et constituat ac nuncios ad conventum Colensem ad consulendum super ea re cum plena facultate eligat, demum ad eundem etiam conventum ipsa tua Stas. omnino veniat, ad quem et nos nuncium nostrum mittemus, per quem diem universe nobilitati istarum terrarum statuendi se campestraliter in loco prius designato declarabimus, in casu quo aliquid aliud in eo ipso conventu in tam subita Reipublice necessitate pro ejus defensione non fuerit constitutum. Pro officio suo et gratia nostra factura. Nam nos non expectato responso ex dictis conventibus, hinc propediem ad Russiam discederemus, ne quid in nobis, quod necessitas exigit, defuisse videretur. Datum Cracovie fer. IV. proxima post dominicam Pentecostes.

Eodem exemplo scriptum est
Consiliariis Regni minoribus.

XXXII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. R. Rme. mi dne. Narratum est mihi, dnum. Andream literas a patre [1]) Mti. regie clam dedisse, quod verisimile videtur, nam in his, que cubicularius palam reddidit, nihil prorsus de conventu Srzedensi et actis ipsius scribit. Cum legam Mti. sue literas, dicam, me mirari, quod de gestis srzedensibus nihil attigerit, forsan Mtas. sua aliquid apperire dignabitur. Scribit etiam dnus. Gorski: nobilitatem verba fecisse ad ipsum dnum. Posnaniensem, quod solus nunc sit, qui Rempublicam cure et cordi habeat et multa id genus.

XXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Erhardo, electo Pomezaniensi.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Reverende in Christo pater etc. Credimus non latere vram. Ptem., quanto studio nixi fuerimus hactenus nitamurque etiam nunc, ne quid ejus tabis ad regnum et dominia nostra permanaret, qua hoc infelici et turbulento tempore omnia divina et humana misceri ac confundi videmus, edocti satis cum priscis exemplis, tum vero his, que pre oculis sunt, quantas turbas et insolentias parant hi, qui sibi censuram corrigendi orbis sumpserunt, qualemque fructum afferant rebus humanis contempta et violata sancte religionis catholice instituta. Quare gravissimo animo ferentes, irrepsisse hanc pestem in terras nostras Prussie eisque pro virili nostra consulere volentes quod ob hoc jam apud alios reges principesque ac nationes christianas quodammodo non recte audiri incipimus, et nollemus ullo pacto nos et decus nostrum regium vel*

[1]) a Luca de Gorka, cast. posnaniensi.

minima

minima ejusmodi suspectione ne dicamus nota inquinari. Postulamus a vra. Pte., ut huic studio nostro manutenende istic religionis catholice ita, ut illam per manus accepimus, adsit quod si ea res illi non perinde sit cordi, hortamur eam, curet saltem, ne quid inter subditos nostros diocesis sue continentes norma universalis ecclesie innovetur. Nam inde facillime, pacatis jam istic rebus nostris, aliquid novarum turbarum suboriri possit, quod maximum aliquod detrimentum et perniciem secum afferret, quod nos equo animo ferre vel tolerare nequaquam possemus. Factura vra. Ptas. pro sua prudentia sueque professionis debito. Que bene valeat. Datum Cracovie d. XVI. Junii. MDXXIV.

XXXIV. Responsum a Sigismundo, R. Polonie, datum Nunciis Episcopi Varmiensis.

Miratur sacra Mtas. regia, quod Rmus. dnus. epus. Varmiensis et capitulum ejus subdubitare videntur in ejus Mtis. in se clementia et christiani principis officio, quodque paululum sustinere gravantur, donec Mtas. sua regia suis et Reipublice rationibus provideat, propter quas in presens oppida Braunspergk et Tolkmit in suam potestatem accepit. Ex cod. mss. bibl. Korn.

Et quamvis he cause, quas explicastis, videantur etiam Mti. sue non parum habere momenti ad ipsa oppida sine mora restituenda, tamen, quia Mtas. sua id non suapte voluntate, sed suasu et consilio suorum consiliariorum fecit, non est ei satis integrum absque illis quidquid aliter statuere.

Satis sit in presens Rmo. dno. Varmiensi et ejus capitulo, quod Mtas. sua regia non eo animo accepit ea oppida, ut illa sibi usurparet, vel aliquid alienum a pio christiano principe committeret, sed quia ita faciundum nonnulle rationes Reipublice et dominorum consiliariorum persuaserunt.

Curabit tamen Mtas. sua, ut interim proventus eorundem oppidorum integre conserventur et ab eis Luteranismus eradicetur subditique illi in fide et obedientia debita retineantur.

Quare et ipse dnus. epus. et ejus capitulum interim boni consulant hanc dispositionem Mtis. sue regie et certo sibi persuadeant, quod ejus Mtas. in eo negotio et omnibus aliis rebus vult se erga illos benigne et equanimiter exhibere eosque gratia et beneficentia sua regia complecti et tueri dignabitur.

XXXV. Czopowe.

Sigismundus, Rex etc. Universis et singulis principibus tam spiritualibus quam secularibus, Reverendissimis et Reverendis in Christo patribus, dominis archiepiscopis, episcopis, nec non Mgcis., generosis, nobilibus, famatis et providis, palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, terrigenis, nobilibus, officialibus et eorum vices gerentibus, heredibus, advocatis, scultetis civitatumque et oppidorum tam nostrorum quam quorumcunque subditorum nostrorum, Cod. R.

 magistris

MDXXIV. magistris civium, consulibus, communitatibus et generaliter omnibus subditis nostris spiritualibus et secularibus cujuscunque status, conditionis et preeminentie existentibus, bona quecunque, tam spiritualia quam secularia, civitates, oppida, villas, tabernas, possessiones et alia bona quocunque nomine nuncupata habentes et singulariter in terra N. et districtu N. existentia, sincere et fidelibus nostris dilectis. Salutem et gratiam nostram regiam. Sincere et fideles nobis dilecti. Noveritis communi omnium tam spiritualium quam secularium consiliariorum nostrorum et nunciorum terrestrium in proxime preteritis conventibus congregatorum voto et concordi voluntate exactionem ducillorum, que „czopowe“ dicitur, multis et arduis necessitatibus Reipublice ita exigentibus decretam esse, que inchoari debet a festo S. Marie Magdalene proximo et continuari usque ad festum S. Agnetis proximum inclusive anni MDXXV. Exigetur autem et solvi et exigi debebit eadem ipsa contributio ducillorum secundum antiquam consuetudinem modo videlicet infrascripto: ut quilibet cerevisiam coquens venalem ex quibuscunque braseis fuerit eadem ipsa cerevisia cocta h. e sive brasea ipsa fuit civium et dominorum, sive ex molendinis provenientia et emensurata, sive domi facta, a quolibet vase singulatim vel coctura ipsius cerevisie juxta locorum consuetudinem antehac observatam exactionem ipsam ducillorum in manus infrascripti exactoris fideliter solvat, ita ut a majori coctura, alias „waru,“ plures grossi solvantur, et a minori pauciores juxta vasorum numerum et quantitatem et exactoris ordinationem, quam ubi opus et quotiens expediens erit, nostra auctoritate faciet et constituet, notariosque et custodes tam in civitatibus et oppidis, quam etiam in villis juxta arbitrium suum exactor etiam ipse deputabit, et juramento corporali ad fidelitatem illos astringet. Ternarii vero more vetusto circa quemlibet grossum solvendi pro civitatum et oppidorum reparatione conserventur, tabernatores vero singuli cerevisiam coquentes vel coctam a dnis. tam spiritualibus quam secularibus ad propinandum recipientes, a quolibet vase mensure civilis teneantur per unum grossum in manus exactoris solvere.

Item a medio vase vini, alias „polkufek,“ florenus cum triginta quadrantibus solvendus.

Item a Dreylink sive seremiense vase vini duo floreni cum sexaginta quadrantibus solvendi.

Item a quolibet barili Malmatici, vel vini italici unus orth cum septem ternariis solvat, a barili vero simplicis vini duo grossi solvantur et duo ternarii; a medonis vase commune duo grossi, et quicunque non soluta prius exactione prefata, cerevisiam, vinum, medonem, Malmaticum et alium quemcunque potum ex predictis vendere et propinare in fraudem Reipublice presumpserit, totum illud in quo fraudem commisit aut committere voluit irremissibiliter amittet et ad penam regalem solvendam, quoties id fecerit, obligatur. Capitaneusque loci in tales omnes et singulos fraudem hujusmodi committentes animadversionem debitam, veritate rei cognita, non habendo respectum ad quempiam, irremissibiliter exequatur. Ad quam quidem exactionem colligendam diligenterque et fideliter exigendam in exactorem generosum N. constituimus. Vobis igitur omnibus et singulis, quorum interest, mandamus: quatinus prefato exactori sive ab eo substitutis de ipsa exactione ducillorum respondeatis et responderi faciatis. Vos vero locorum capitanei eos, qui rebelles vel negligentes erunt et quos ipse exactor deferet per pignorationes solitas ad solutionem hujusmodi exactiones compellatis sub penis nostris contra negligentes capitaneos in novis

et

et antiquis statutis descriptis et pro gratia nostra aliter non facturi. Datum Cracovie die beatorum Petri et Pauli, apostolorum. MDXXIV.

XXXVI. Contributio publica fertonum, „Schoss" etc.

Litere contributionis publice
in stipendium militibus.

Sigismundus, Rex etc. Universis et singulis, ecclesiasticis et secularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris quibuscunque tam terrestribus, quam civitatum et oppidorum, honoribus et officiis insignitis, ad quorum notitiam presentes litere nostre pervenerint, et presertim in palatinu posnaniensi et districtu consistentibus sincere et fidelibus nobis dilectis, salutem et gratiam nostram regiam. Cod. R.

Rmi. ac Reverendi in Christo patres, nec non Mgci., generosi, nobiles, famati et providi sincere nobis et fideles dilecti. Licet in conventu generali piotrkowiensi preterito nequeuntes cum consiliariis nostris statuere modum et ordinem opportunum ad defensionem regni nostri, tum a Turcis et Tartaris, tum ab aliis vicinis hostibus circumsepti, coacti fuerimus id, quod in manu nobis fuit, bellicumque motionem decernere premittique fecerimus omnes ternas restium literas et locum ac tempus universis gentibus nostris designaverimus, tamen supervenientibus postea ad nos nunciis terrarum Majoris Polonie et enixissime supplicantibus, ut eandem bellicam motionem omnibus in universum gravem et damnosam aliquantulum contineremus et conventus in terris, in quibus de alio modo defensionis preter ipsum generalem motionem consuli possit statuere dignaremur, perpendentes damna et gravitatem eorundem et aliorum subditorum nostrorum in illis movendis eorumque preces obaudire nolentes, conventus ipsos particulares et terrestres, licet cum non mediocri timore tam in Majoris Polonie, quam in cracoviensi, sandomirien. et lublinen. terris institueramus. In quibus communi omnium tam spiritualium, quam secularium consiliariorum nostrorum et nunciorum terrestrium consilio et voluntate decrete sunt pro regni defensione et servandis presidiis in terris Russie contributiones fertonum de mansis seu laneis agrorum, exactio civilis, que vulgo „Ssoss" dicitur et contributio „czopowe". Que quidem contributiones modo infrascripto solvi et exigi debent. In primis coloni seu kmethones tam villarum castrorum regalium, quam omnium spiritualium et secularium subditorum nostrorum in terris predictis de singulo manso seu laneo possessionato unum fertonem, de medio vero laneo sex grossos, de quarta parte lanei tres grossos et reliquum de quantitate laneorum secundum antiquas quitantias pro festo nativitatis Marie proximo solvent. Item advocati et sculteti colonos seu kmethones non habentes solvent etiam per unum fertonem et similiter coloni seu kmethones ipsorum advocatorum de quolibet manso per unum fertonem solvent. Similiter secundum antiquas quittantias, ita ut kmethones aliorum dominorum; ipsi vero advocati, colonos seu kmethones habentes, nihil solvent; item tabernatores, sive sint dominorum sive advocatorum seu scultetorum, qui agros habent,

 ab

MDXXIV. ab illis exactionem solvent secundum antiquas quittantias juxta agrorum quantitatem ad festum nativitatis S. Marie proximum, h. e de singulo laneo agri unum fertonem, de medio laneo sex grossos ut supra. Exactionem vero ducillorum a singulis cocturis cerevisie more consueto solvere nihilominus erunt astricti. Alii autem tabernatores, qui advectitiam propinant cerevisiam, sex grossos solvent, cum non coquant cerevisiam, sed aliunde illam ad propinandum adducunt. Item molendina predictarum villarum, que „posrzebne“ vocantur, manuales seu anniversarios molendinatores habentia, ex singulis rotis sex grossos solvent, hereditarii vero molendinatores predictarum villarum et folusze ex singulis rotis molendinorum suorum, que „walne“ dicuntur, unum fertonem persolvent. Item molendina brasealia et hereditaria, aquatica et equestria, in omnibus civitatibus et oppidis more veteri taxata et secundum antiquas quittantias contributionem, que „Sszos“ dicitur, a qualibet marca taxe duos grossos persolvent pro festo nativitatis S. Marie proximo. Minerarie vero officine, alias ferrum facientes, et serre hereditarie ex singulis rotis per unum fertonem, annales autem officine minerarie et similiter annales serre, h. e. locate seu conductitie a qualibet rota sex grossos solvent.

Item molendina ventilia hereditaria duodecim grossos; illa enim molendina ventilia, que anniversarios molendinatores habent, sex grossos solvent pro festo nativitatis S. Marie proximo.

Item civitates et oppida tam nostra regia quam subditorum nostrorum spiritualium et secularium contributionem civilem, quam „Sszos“ vocant, ad festum nativitatis S. Marie proximum, juxta antiquas quittantias solvent, hoc addito et expresso, quod cives et suburbani agros habentes, qui uno jure civili gaudent et contributionem „Sszos“ simul contribuunt, contributionem fertonum de agris suis non solvant.

Item contributio cerevisie, vini, medonis, malmatici, muscatelli, „czopowe“ dicta in iisdem civitatibus et oppidis ac etiam tabernis villarum tam nostris quam subditorum nostrorum spiritualium et secularium, incipiendo a festo S. Marie Magdalene computanda, h. e. usque ad festum S. Agnetis proximum anni proxime futuri MDXXV. a singulis cerevisie coctoribus more solito solvi debet, ex quibuscunque braseis fuerit ea ipsa cerevisia cocta, sive brasea ipsa sint civium et dominorum sive ex molendinis provenientia et emensurata, sive domi facta.

Item etiam a cerevisia, quam domini et nobiles ex braseis suis coquunt seu braxant et illam dant ad propinandum suis tabernatoribus, contributio ipsa „czopowe“ solvatur.

Item sacerdotes Rutheni, qui „popones“ vocantur, ex singulis ecclesiis et synagogis mediam sexagenam grossorum persolvent.

Item Valachi ex singulis laneis integris, si illos habent, vel areis, que „Dworziscza“ dicuntur, unum fertonem solvent, et qui agros non habent a singulo centenario ovium similiter unum fertonem persolvent pro festo, nativitatis S. Marie proximo. Ad quod festum contributiones „Sszosij“ et fertones solvi et contribui debent. Contributio vero „czopowe“ incipiet, ut supra dictum est, a festo S. Marie Magdalene proximo et durabit usque ad festum S. Agnetis proximum anni MDXXV., exigeturque juxta antiquum morem et consuetudinem.

Ut autem supradicta ordinatio in exigendis eisdem contributionibus facta debite executioni demandetur,

demandetur, generosos NN. ad eas colligendas in palatinatu posnaniensi designamus et MDXXIV. constituimus presentibus literis nostris, mandamusque, ut in manus ejus designato tempore easdem contributiones persolvere curetis. Vobis vero capitaneis, quorum interest, mandamus, ut prefato exactori nostro pro termino et tempore superius expresso, sub penis ad hoc constitutis absque cujusvis more et dilationis interventu de dictis contributionibus per eos, ad quos pertinet responderi faciatis et vos ipsi respondeatis. Negligentes vero in solvendo et contumaces per pignorationem et alias penas solitas ad solvendum easdem contributiones compellatis pro officio vro. et gratia nostra facturi. Datum Cracovie fer. V. proxima post festum beatorum Petri et Pauli, apostolorum.

XXXVII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne. dne. benefactor gratiosissime. Hactenus post exortam hic Cod. R. turbationem nihil scripsi vre. Rme. Dtioni., partim quod horum nunciorum, qui istinc veniebant et hac revertebantur, nemo ad me descendere fuit dignatus, partim quod omnis rerum nostrarum actio mihi ab initio neutiquam probabatur parumque sperabam, res bene successuras; hi enim qui primi ad locum designatum venire et alios ad veniendum sollicitare et confirmare debuerant, hi ipsi et paululo hostes Leopolim precesserunt, et antequam ipsi hostes applicuissent civitati, proceres absentes quasi adhuc de incertis rebus a festinando dehortabantur; habebant enim multi apud illos suos nuncios, per quos resolutionem sue profectionis expectabant, donec hoste cursum celerius opinione promovente et consilia et itinera omnia essent impedita et neglecta, ac tum demum ita scribebatur his, qui modis omnibus alliciendi et animandi erant, ut magis cuique liberet domi rebus suis prospicere, quam ad extinguendum commune incendium succurrere. Habeo ejusmodi plerasque literas, que mihi a patriciis nostris, qui a me continuo sollicitabantur, mitti solebant, proripuerunt se tamen omnes audita necessitate cum summo discrimine, variis itineribus et rerum omnium incertitudine, tam de hostili numero, quam etiam processu; tam sagaces et diligentes sunt hi, quibus summa hujus rei credita est. Ego rogatu dni. curie marsalci deliberaveram ire in terram sanocensem et illam nobilitatem ad communem necessitatem excitare; sed non nisi peracto prius apud ecclesiam meam festo die patroni S. Joannis. Quo quidem die, dum rem divinam facerem nunciatum fuit, Turcos duobus duntaxat miliaribus a civitate abesse, eoque intellecto, mei sacrifici me hortabantur: ut re divina compendio facto discederem et neque civitati neque arci ullo pacto, ut munitioni vaste et debili solisque rusticis et his paucis provise, fidere. Mihi non visum fuit, vel detrahere quidquam divinis officiis, vel a grege tanquam mercenarius fugerem, sed sermone et omnibus peractis, rogatusque a burgrabio, uti me hominibus exhiberem, qui omnes ad me spectarent fugamque post me adornarent, conscendi equum et civitatem multis vicibus omni die lustravi, ostentando me hominibus et illos quantum potui confirmando, nihil minus,

MDXXIV. minus, quam de salute propria cogitans. Misi etiam ad terram sanocensem ad sollicitandam nobilitatem, alios quidem prece, alios pretio. Nemo non adesse festinavit et convenit quidem tanta hominum et non vulgarium copia, ut cum ter tantum hostium congredi potuisset, sed non nisi jam ingenti damno ab hostibus perpetrato. Novit vra. Rma. Dtio. senes [1]) consilio valere, sed duntaxat consilio, neque omnes tamen, nam plerique deliri sunt plerique bis pueri. Ceterum ad res gerendas presertim vero bellicas nihil illis ineptius cum ob alia multa incommoda, tum quod res omnes, ut de sene inquit Horatius, timide gelideque ministrat, dilator, spe longus, iners avidusque etc. Hec res ab initio malam spem prebebat multis, qui mecum de hac re conferebant et presertim commemoratis his, que antehac parum feliciter sunt acta et fortuna inter dotes imperatorias non postremum sibi locum vendicat. Tamen utcunque est actum, utcunque nostri cum summa difficultate hostes insequuntur, tamen res ad felicem tendit exitum, fusis die lune preterito excubiis hostium jamque heri vel fusi snnt reliqui, vel hodie, deo bene juvante, fundentur. Cum qua novitate expecto illinc in horas meum nuncium. Me interim in gratiam vre. Rme. Dtionis. humiliter commendo. Datum Radimno VII. Julii.

XXXVIII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. R. Rme. in Christo pater et dne. dne. benefactor gratiosissime. Hesterno die scripsi Rme. Dtioni. vre. per dominum Gracz, civem cracoviensem de fusis excubiis hostium, sperans hoc exordio letum aliquem exitum, sed nuncius ab exercitu ad me rediens, nunciavit, nostros, cesis aliquibus, domum reverti et hostes ingenti preda onustos abiisse idque ea negligentia et socordia factum, de qua quidem ab initio mala fuit spes omnibus, ut prius scripsi. Mi Rme. dne. Nemo non auguratur hostes paulo post et majori vi redituros, postquam ita illis successit, et exercitus noster dissipabitur, sciunt enim melius omnia, que apud nos geruntur, quam nosmet ipsi in tanta cum facinorum omnium tum proditionum impunitate, de qua et de aliis quid hic propalam vociferari audiam non a vulgaribus, malo coram vre. Rme. Dtioni. referre, quam scribere. Non ab re mihi videretur, aulicos adhuc Leopoli relinquere, ut saltem hoc terriculamentum misere arbori nostre, tantis predis et calamitatibus exposite affigatur, nam et leviori illic manere poterunt, quam Cracovie, et homines non ita prorsus desperatos reddent. Alioquin ruent he terre, mea sententia precipua pars regni universi, in qua terra przemisliensis duntaxat adhuc subsistit. Reliqua jam fatiscunt.

Hactenus nihil audivi, quid decretum sit in conventibus terrestribus super contributione, ut si fieri posset augeretur miles mercenarius; si hec decreta non sit, melius esset motionem generalem qualis qualis est prosequi, quam ita permittere hostibus libere debacchari, qui

[1]) Hic tecte Nicolaum Firlej, compiductorem generalem regni, notat.

tot

tot predis jam inescati et semet nullo modo a continuis incursionibus continebunt et alios successu suo accedent, unde in dies difficilior erit defensio. Ego exesis hic, que habui, in Brzozow me conferam illic tam diu moraturus, donec loculos aliquantum reficiam, vel quousque erit voluntas Rme. Dtionis vre., ex qua una rationes omnes mee dependent. Cupiebam me presente visitari omnem diocesim et synodum celebrari, sed in hoc turbulento et suspectissimo tempore non videtur mihi congruum neque tutum. Interim me gratie vre. Rme. Dtioni. commendo, quam dnus. deus servet sospitem semper et felicem. Ex Radimno VIII. Julii. MDXXIV.

XXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Bochotnicki de Olsznica, Palatino Lublinensi.

Mgce nobis sincere dilecte. Cum initio veris certissima assertione illorum cognovissemus, Cod. R. qui res solidas, exploratis hostium consiliis, semper affere ad nos solent, Turcos et Tartaros communicatis inter se mutuis consiliis, dominia nostra invadere et vastare continuisse et decrevisse, mox cepimus id meditari, id parare, quod in tanta rerum varietate et perturbatione salutarius videbatur, jussimus literas restium emitti, quibus jam certissimum bellum ab iisdem hostibus nobis impendere denunciavimus, et designato tempore et loco colligendo ex universo regno exercitui commodo, omnes ad arma capienda hortati sumus ipsique jamjam in procinctu eramus precessuri exercitum ad hunc ipsum locum designatum. Interea vero temporis terrarum Majoris Polonie nuncii ad nos accurrerunt petieruntque a nobis, ut antea tue Sti. significavimus, ut si fieri posset modus inveniende facilioris defensionis, que non tam Reipublice noxia videretur et ad propulsandum hostilem impetum apta ac sufficiens, tentaretur in conventibus, qui tunc ad querenda ejusmodi consilia indicerentur. Cum autem votis et petitionibus eorundem nunciorum annuissemus et videremus hostem adventantem et ad invadendas terras nostras appropperantem, nulla facta mora jussimus conscribi equitatum et peditatum, qui in tam brevi temporis spatio haberi potuit, cum quo et omne robur curie nostre misimus, adjectis tormentis et omni alio apparatu, sine quo in preliis non satis tute occurritur. Hesterna igitur die ex literis Magci. Nicolai de Dambrowicza, castellani cracoviensis et capitanei generalis exercituum regni nostri, accepimus, quodam in loco ad fluvium Sereth ab oppido Trebowliensi duo miliaria distante cum exercitu hostili pugnatum esse, ejusque majorem dei omnipotentis, cujus potissimum res agitur, benignitate et gratia, in festo visitationis S. Marie fusam, profligatam, fugatam et debilitatam esse. Nam et aliis in locis alii ab eodem capitaneo missi contra hostes palantes et dispersos per agros predam hominum et pecorum abigentes hostes ipsos profligarunt. De reliqua vero parte hostilis exercitus alios nuncios ab illustri duci Constantino in horas expectamus, que terras Lithuanie ingressa oras Volhynie populatur et vastat. Eam autem dux ipse Constantinus cum suis insequitur, et est spes optima, ut qui de altera parte regnum vastante dedit victoriam de ea, que Lithuaniam vastat,

MDXXIV. vastat, sit daturus. Hec igitur Stati. tue perscribere voluimus, ut communis nostre letitie nobiscum sit particeps et deo omnipotenti, talium rerum auctori, gratias agat et bene valeat. Datum Cracovie feria II ante festum S. Margarethe.

XL. Sigismundus, Rex Polonie, Mg. Dux Lithuanie etc.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Manifestum facimus tenore presentium universis. Quia habentes in prospectu multiplicia merita et fidelia obsequia Mgci. Alexij de Betlen, liberi dni. plesnensis, thabernicorum regalium Ungarie magistri, fratrisque ejus germani, generosi Joannis Thurzi et sororum ipsorum ac spectabilium et famatorum Jacobi Fugger, et nepotum ejus, de Augusta, que nobis sepius cum magno commodo et utilitate nostra et Reipublice regni nostri prestiterunt et que hactenus studio indefesso prestare et exhibere non pretermittunt, ratamque et gratam habentes societatem negotiandi simul per eos dudum initam seu contractam, ac volentes illam magis solidam, efficacem eisque commodam in ipso regno nostro reddere gratiamque nostram regiam, pro eorum meritis et obsequiis predictis, quibus se nobis plurimum commendatos reddiderunt, erga illos singulariter demonstrare, concedendam duximus ac harum serie literarum concedimus ipsis in propriis personis ac famulis eorum cum quibusvis mercibus et presertim cum ere et plumbo in regno ac terris Prussie omnibusque aliis dominiis nostris liberam commeandi per terram et aquam potestatem, absque solutione theloneorum et aliorum vectigalium nostrorum terrestrium et absque ullo ipsorum et cujuslibet eorum incommodo vel detrimento, etiam si Gedanum aut alie civitates in terris nostris Prussie banno seu interdicto imperiali subjicerentur, quod ipsis in hac re nihil officere debet; ita tamen, quod thelonea nostra aquatica solvere ab eisdem mercibus suis ac ere et plumbo teneantur. Quocirca universis et singulis dignitariis et officialibus, palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, heredibus, nobilibus ac civitatum et oppidorum proconsulibus et consulibus illorumque et quorumvis aliorum locorum communitatibus ac prefectis, Theloneatoribus, pontium et passuum custodibus et eorum vices gerentibus in regno, terris Prussie aliisque dominiis nostris, ubilibet existentibus, districte committimus et mandamus: ut ea ipsa commeandi facultate ipsum Mgcum. Alexium Thurzi fratremque ejus, ac Jacobum Fugger cum nepotibus suis, famulosque illorum uti libere, sine quovis impedimento et aresto ac theloneorum nostrorum terrestrium solutione, ita tamen ut aquatica thelonea nobis, uti premissum est, solvant, permittatis et permitti faciatis. Pro gratia nostra, presentibus ad nostrum beneplacitum valituris. Quibus in testimonium sigillum nostrum est subimpressum. Datum Cracovie die. Sancte Margarethe.*

Petrus Epus et Vice-
cancellarius subscripsit.

XLI. Andreas

XLI. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne., domine benefactor gratiosissime. Ea ferme hora, qua nuncius iste preteribat et vix paululum se contineri patiebatur, reddite sunt mihi litere vre. Dtionis. Rme., quibus scribit de significata istuc victoria ex hostibus, quod ita factum presente oratore pontificis, gaudeo; verum quam ea certissima victoria elapsa sit e manibus, vel ita nos elabi illam voluerimus, intelliget posthac Rma. Dtio. vra. Lugendum acriter esset, non orandum. Damnum est ingens factum, homines innumeri abacti, hostibus additi animi, cum sciant summum imperatorem regni, sciant tot proceres atque aulicos regios se sequutos, nec prelium committere ausos. Nostris vero primariis juvenibus conciderunt prorsus animi, opera et impensa summa perdita, summoque dispendio in equis et rebus aliis accepto, visunt me hic plerique summates partim ipsi, partim per nuncios, nemo non queritur, nemo non frendet de tanta victorie occasione amissa et hostibus animatis. Frustra est de succursu illorum amplius sperare, quisque de laribus suis tuendis cogitat, sed et alii propalam desertionem meditantur. Hec dominus Tarnoviensis mihi significavit, cujus literas mitto vre. Rme. Dtioni., quas oro non gravetur mittere dno. decano cracoviensi, ut intelligat, in quo cardine versetur illa causa, qua putabat dnum. capitaneum drohobicensem facile sibi succubiturum. In qua pro eo et ejus nepote facturus sum libens omnem operam. Elegia, que Rma. Dtio. vra. fieri mandat, per primum nuncium mittam. Constitui hinc ad Brzozow solvere die Lune proximo, nisi forte dnus. Tarnowski, dnus. marschalcus curie et dnus. Belzensis me continerent, quos intellexi statuisse inter se ad me convenire et alios plerosque, nescio qua causa, quamvis eam duntaxat, ut me viserent, pretexunt. Est mihi quidem animus in Brzozow aliquandiu commorandi, sed quandocunque jusserit Dtio. vra. Rma., nihil moratus istuc accurram. Plura me non sinit scribere nuncius iste festinabundus. Me Rme. Dtioni. vre. humiliter commendo. Ex Radymno die S. Magarethe. MDXXIV. Cod. R.

XLII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Sigismundo, Regi Polonie.

Post humillimam mei servitiique et orationum mearum commendationem. Hactenus post irruptionem hostium nihil scripsi Mti. vre. sacratissime de his, que agebantur, propterea quod non solum mihi, qui utique longius aberam, sed et his, quorum maxime intererat nihil non scire, prorsus incerta et confusa erant omnia. Post actam vero eam tragediam, malui et decentius putavi, ut Mtas. vra. Serma. potius ab ipsis actoribus rem uti cessit, quam a me auditore cognovisset, prout jam factum non dubito. Restat de futuro provisio. Hec nullum hic habet sollicitum. Ego, quid in his rerum turbinibus egerim, quantum hortatibus, supplicationibus et sumptu incubuerim, reclamantibus etiam acriter tenuibus meis Cod. R.

 loculis.

MDXXIV. loculis, non commemorabo, cum omnia Mti. vre. Serme. debeam, neque adhuc quicquid erit opis et virium mearum ad obviandum periculis, que non foris solum, sed et domi imminent, pretermittam. Me s. Mti. vre humiliter commendo. Ex Radimno die S. Margarethe.

XLIII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi etc.

Cod. R. Mgce. dne. etc. Nihil literarum dedi diebus exactis ad Mgciam. vram. certam expectando novitatem ab eo exercitu, qui in Russiam contra hostem Turcam, qui Regnum magnis copiis invaserat, profectus erat, et propterea, quod tam diu a me nullas literas recepit, Mgcia. vra. boni consulere velit. Turci, qui fuerunt in terris Russie, quamvis atrociter illas populati sicut et magna damna fecerunt, attamen dei benignitate major eorum pars cesa et profligata est, ubi etiam dnus. marsalcus curie ductu et auspiciis suis bonam illorum partem fudit fugavitque ac deligentiam exactam fecit, quo esset bene servitum regie Mti. et regno. Filius Mgcie. vre., dnus. Andreas, tandem a regia Mte. impetraverat, ut sibi contra eum hostem patrie proficisci liceret. Prohibebam ego hanc rem ab initio, postea vero, ubi asseruit, id esse ex intentione et voluntate Mgcie. vre., utcunque illa mihi de hoc nihil scripserit, egi cum Mte. sua et effeci, quod illum ad exercitum ire permisit; non fuit tamen tempore ad eum conflictum, quo prospere contra hostem depugnatum est. Egimus hic deo gratias de hac felicitate et victoria, quia utique bene factum est, quod hic hostis non discessit ex regno sine damno et insigni clade. Qui quoniam predis nostris inescatus jam totiens ferocibus incursionibus consuevit nos impetere, oportebit melius et diligentius consulere de salute regni et damnis, que per tam potentem hostem inferuntur, quam hactenus fuit consultum.

Venit huc Sanctissimi dni. nostri, pape, nuncius, qui regiam Mtem. exhortatur, ut cousulere dignetur de salute regni Hungarie et nepotis sui Sermi. dni. Ludovici, regis; quod si fecerit, pollicetur illius Sctem. in tuendo eo regno assistere Mti. sue auxiliis et consilio, si id facere noluerit, veretur, ne tam inclytum regnum et nepotem in aperto relinquat discrimine, quod Sctas. sua in integritate incolume conservari peroptat et de hac diligentia sua solemniter protestatur. Non latet siquidem suam Sctem., nullum in regno illo esse ordinem, nullum consilium, sed omnia esse confusissima. Ignoro adhuc de hujus nuncii expeditione et quid responsi feret a regia Mte. Postquam expeditus erit alio tempore id et res alias, que occurrent, Mgcie. vre. significare curabo. Cui me ex animo commendo et quam valere felicissime desidero. Datum Cracovie sabbato post festum S. Margarethe.

XLIV. Petrus

XLIV. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi etc.

Mgce. dne., domine et fautor honorandissime. Tanta est apud nos hoc tempore occupatio propter ea pericula, de quibus quotidie nuncii et litere afferuntur, quod non possum tempus habere, ut vre. Mgcie ita scribam de omnibus rebus, que eveniunt, sicut vellem et sicut amor noster mutuus postulare videtur. Mtas. dni. nostri hodie hinc se Sandomiriam versus recepit, premisit autem pluribus ante diebus dominos palatinos cracoviensem et sandomiriensem et dominum thesaurarium, ut homines, videntes eos ad expeditionem se convertisse, propensiores essent ad arma sumenda. Constans enim opinio est, iterum Turcorum multo majorem exercitum, quam ante adventare. Restes igitur per has terras emisse sunt, ut non solum nobilitas, sed etiam communitas ex oppidis et villis sumeret arma et decimum quemque hominem expediret. Mtas. autem regia, ut eis prebeat majorem cupiditatem proficiscendi contra hostem, ipsa jam profecta est, et ad dominos Lithuanos pluries jam scripsit, ut sine omni mora se moveant ad tantumque malum restiguendum subito accurrant. Russia jam tota igne et ferro vastata est; terra enim przemisliensis, que adhuc inviolata fuerat, jam in favillam conversa est per hanc secundam tartaricam excursionem. Infinita autem multitudo hominum et pecorum abacta est, paucique supersunt ubique, qui se in quibusdam oppidis munitioribus et fortaliciis abdere potuerunt. Insequuti sunt nostri cum duce Constantino ipsos Tartaros, verum sunt longe impares viribus et numero ad confligendum cum eis. Podolia post Turcorum discessum ad regiam Mtem. nuncios misit, suas calamitates deplorans et hoc amplius adjiciens, quod jam fere nequit, quin cuique hosti, qui primus ad eos potenter invaserit, se subjiciant, quoniam ad extremam miseriam sunt penitus redacti. Vojevoda Moldovie nuncium suum huc misit referens, a se profligatos esse Turcos, qui ultra fluvium Nyester, Russia depredata, per suam terram cum preda redibant, qui videtur exploratum misisse, quam aliquid afferat, quod eum declaret contra hostes nobiscum sentire velle. MDXXIV. Cod. R.

Mitto vre. Mgcie. literas consensus regie Mtis super emendo censu ecclesiastio in vim reemptionis pro trecentis marcis pecuniarum prout optavit, et decisionem controversie et cause, que est inter Wyganowska et Choyenskye. Posthac plura scribam aliam occasionem nactus otioque aliquo adjutus, qui nunc Mte. regia deficiente ad multas expeditiones sum distractns. Vra. autem Mgcia. pro sua in me amore et benivolentia proque item mea erga se mutua dignetur in bonam partem accipere. Filius vre. Mgcie. est adhuc in Russia, de quo id ego mihi polliceor, quod is sit deo bene volente futurus, qui patrie periclitanti virtute et ingenio suo sit commodus futurus et vre. Mgcie. valde jucundus. Tantam indolem sibi ego inesse video!, ut ad res futuras agendas eum credam esse et fore valde idoneum. Commendo me ex animo vre. Mgcie. et opto, ut cum suis omnibus felicissime valeat et sit boni animi. Nam et domina conjunx domini marsalci jam dei gratia bene valet, ad quam cum esset vehementer egrota miseram medicum meum. Datum Cracovie.

 XLV. Andreas

XLV. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

MDXXIV. Cod. R. Rme. mi dne., dne. et benefactor gratiosissime. Cum alium nuncium habere non potuerim, hac duntaxat causa meum mitto, ut Rmam. Dtionem. vram. inviserem et elogia, que mandavit, mitterem. Ea forte excedunt prescriptum literarum numerum, verum usque adeo brevibus nihil exprimi potest et presertim in statua, si duntaxat XXIIII litere ponende essent, quibus ne nomina quidem occisi et occisoris comprehendi possent.

Mi Rme. dne.; Antequam e Radymno discessi, habui apud me in vigilia divisionis apostolorum plerosque ex proceribus, inter quos dnum. Belzensem et dnum. marsalcum curie, quorum occultas quasdam simultates modis omnibus causa Reipublice componere studui; sed non successit. Destinaverat etiam venire dnus. Tarnoviensis, sed illum diutius expectare non potui. Invaluit hic, nescio quo malo fato, quedam inter summates emulatio et invidia cum foris summum immineat discrimen, quo etiam inter alia factum est, ut nobis tanta tamque certa victoria elaberetur. Hoc malum si durabit, actum erit de nobis.

Quod summus ille Ardelio tantum de coadjutore tamque indigne egerit, neque mirum, neque novum facit. Sit superis gratia, quod et apud Mtem. regiam et apud omnes ita valere incipiat ut meretur. Quod etiam Briareus noster illis clam patrocinatus sit, quos palam semper vituperat, more suo gentili facit. Adigit hominem ad hec officia obeunda magna quedam de se persuasio et spes altius provehendi.

Consecravi dominico preterito in Yaroslaw ecclesiam, feci eodem die akolitos XXXIII. et confirmavi una sessione post prandium hominum MDXIII., quos piso signari feci. Sic quacunque transeo innumeros confirmo.

Mi Rme. dne. Ego quidem hic jam nullum habeo ejusmodi negotium, quod moram meam exigat preter rem crumenariam. Ejus causa vellem saltem ad novas fruges hic subsistere. Audio enim summam isthic rerum omnium caritatem. Id tamen totum arbitrii vre. Rme. Dtionis. esto, rogoque mihi significare dignetur, quando me venire jubet. Commendo me humiliter Rme. Dtioni. vre. Ex Brzozow XXI Julii.

In statua sub arce cracoviensi ponenda.

Joanni Grabski hoc in loco fatali et indigno casu occiso N. Myeleczki hoc inter alia doloris et penitentie sue fecit monumentum.

XLVI. Andreas

XLVI. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Sigismundo, Regi Polonie.

Nudius tertius accepi literas Mtis. vre. Serme., quibus satis copiose declarare dignatur, MDXXIV. Cod. R.
que agat apud se orator summi pontificis, quantum instet, et quibus rationibus urgeat, ut Mtas. vra. cum Śermo. nepote suo, dno. Ungarie et Bohemie rege, quam primum conveniret, vestram vero Mtem. permotam quidem ipsis rationibus, sed non minus sollicitam de perturbatis rebus domesticis, prorsus ancipitem esse, quid primum exequi debeat: domine prius conventum agat, vel illi profectionem in Ungariam antevertat.

Clementissime rex. Tametsi persuasum habeam, hostes iterum populantes eum nodum jam Mti. vre. dissolvisse neminemque esse, qui consulat, domo sua in medio relicta incendio, alteri succurendum, tamen jussu Mtis. vre., que mea sit de profectione illius in Ungariam et conventu nostro sententia, brevibus ut possum explicabo. Profectio Mtis. vre. in Ungariam requirit pacem domesticam, que ante hiemem vel non erit, vel erit timor continuus. Requirit preterea sumptum non vulgarem, qui si eo fieret, omnem opinionem de indigentia Mtis. vre. apud subditos ejus adimeret hominumque animos jam alioquin satis exulceratos vel eo ad seditionem concitaret, quod ad alia suppetere sumptus Mti. vre., ad defensionem deesse videretur. Requirit postremo ipsa profectio certam aliquam notam vel spem profectus, non enim verisimile videtur, ut cum Mtas. vra. domi inter subditos suos utique ducibiliores obsequentioresque semper domino suo, quam sint Ungari, non possit ordinem aliquem bonum et concordiam facere, posset apud alienos, jam alioquin in errore et simultatibus intestinis inveteratos. Scio quidem, Serme. rex, expetere illic plerosque adventum Mtis. vre., polliceri fidem et obedientiam non minus quam dno. suo, sed tamen istorum nemo volet ab auctoritate et commodis suis decedere, que potissima est dissensionis causa. Qui apud illam Mtem. prevalent, suam auctoritatem sub umbra Mtis. vre. firmare student, et agentes, ut suo principi debita potestas et regimen tradatur, hoc agunt, ut ipsi liberius regant et imperent. Qui vero his adversi sunt, id ne fiat, modis omnibus cavent, curantque, ut quod illi sunt, ipsi esse possent. Inter quas Scyllas et Charybdes, quo pacto Mtas. vra. navigaret, ne oleum et operam perderet, ego prorsus non intelligo. Non solum itaque sub hac domestica calamitate, que Mtem. vram. distinet, sed etiam si maximum otium esset, nescio ad quid sumptus hic esset Mti. vre. faciendus, priusquam intelligeret, quid illic ex re agere et efficere posset. Conventus vero noster celeritate indiget propterea quod et producetur haud dubie more et ordine solito et quidquid in eo decernetur, opus erit executione tempestiva. Non dubium est enim, Turcos nos post ea preludia anno futuro acrius invasuros. Porro cum ordine pruthenico vel novi tractatus vel arma erunt resumenda. Hec quante molis sint negotia, quam urgentia ad conventum celerius statuendum, Mtas. vra. melius intelligit, quam exprimi queat. Oratorem vero apostolicum in eum sensum absolvendum censeo: mirari Mtem. vram. Sermam., Sctmum dnum. nostrum ignorare, quantis hostibus, non solum Turcis et Tartaris, sed etiam Scysmaticis, Moscis et Valachis, quin et Christianis etiam aliquibus Mtas. vra. et regnum suum

MDXXIV. suum prematur putareque Sctem. suam, tantum esse otii et pacis vre. Mti. domi, ut ad ea, que foris sunt curanda, illam cohortetur. Scire quidem Mtem. vram. commune esse suum et regni Ungarie periculum, scire item debitum et officium suum erga nepotem, illudque a Mte. vra. nunquam pretermissum, quacunque ex parte illo opus videbatur, neque et in posterum pretermissum iri; verum rem eo esse deductam, ut jam neuter alteri commode adesse et consulere possit, hoste utrumque ex equo infestante et domi sue distinante. Premonuisse Mtem. vram. sepius per nuncios et literas cum predecessores illius Sctis., tum etiam ipsam Sctem. suam, ut dissidentes christianos principes componi et his regnis laborantibus ac diuturnis ac continuis bellis attritis et exhaustis quam primum auxilium prestare curarent, hactenus vero nihil esse factum, quod expediret, hecque sola duo regna Ungarie et Polonie rejecta, hortante Leone pontifice, pace a Turca oblata, omnem illius impetum in se derivasse et spe generalis expeditionis hactenus absque ullius auxilio sustinuisse. Quare cum eo difficultatis res devenerit, ut neque consilia, neque conventus Mtum. vrarum. quicquam prodesse possint, absque pientissimo ipsius Sctmi. dni. nostri et aliorum principum Christianorum auxilio, cum jam hec duo sola regna nequaquam sufficere possint ad tantam vim reprimendam, supplicare Mtem. vram. illius Scti., ut, quo solo est opus, curaret ipsis regnis quam celerius opportunis subsidiis adesse. Alioquin Mtem. vram testatum esse velle universe Christianitati, a se nihil esse pretermissum, tam in commonendo alios ad concordiam et succurrendum communi necessitati, quam etiam in sustinenda cum summo suo et nepotis sui discrimine hac calamitatis mole, oportereque tandem Mtem. vram., cum ita sit ab aliis destituta, cogitare aliter de sua et nepotis sui communique regnorum salute deque hac tempestate, qua Mtes. vre. premuntur aliorsum divertenda. Habet Mtas. vra. Serma. meam sententiam tumultuariam in his turbis, non ex more fortasse hujus seculi, quod totum est in fuco verborum constitutum, sed ex rei necessitate et eventu, nam ni tale aliquod calcar addet Mtas. vra. his, qui verbis duntaxat curam suam ostendunt erga Mtes. vras., nihil efficiet opportunum et se nepotemque et regna sua in discrimen, quod deus avertat, adducet. Commendo meam humillimam servitutem Mti. vre. Serme., quam dnus. deus servet diutissime sospitem et felicem. Ex Brzozow d. XXVII Julii.

Post abitum Turcorum ex Russia
XLM Tartari in Russiam invaserunt.

XLVII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. R. Rme in Christo pater et domine etc. Credo jam vram. Rmam. Dtionem. non ignorare, quantum hic sit incendium, in quo ego jam oppidum Radymno et villas plerasque amisi, de reliquis adhuc quid fiet nescio. Nemo id non presagiebat futurum, priore hoste sic turpiter

piter dimisso, ut prius scripsi, nunc omnes qua quisque potest diffugiunt et latitant, nec spes est ulla, ut coeant aliqui tam ex infimis quam summatibus eritque nunc et ad hiemem usque liberum hostibus quidlibet patrandi, qui etiam si nunc discedent, haud dubie paulo post revertentur. Actum igitur est de his terris et hoc unico universo regni scuto. Quanta autem sit hic perturbatio, quantus fletus, quanta imprecatio, scribere non sufficio. Ego ad claudendam hanc terram sanocensem me cum multis accinxeram habuique hominum meorum duntaxat circiter duo milia fecique uno die incidi silvas et fossas fieri tales, ut jam bini hostium sulci ad eos venientes non sint ausi ulterius progredi. Sic fecerunt domini Sobiewski et Bal in parte sua, speroque, quod adhuc nos hic et homines nostros conservabimus et si esset, cujus ductu hec et alia necessaria hic facta fuissent, nihil laboraremus. In hoc etiam oppidum Crosno cum plerisque nobilibus veniens et illud quasi in media pace dispositum reperiens, ita ad defensionem excitavimus, ut plura jam in tribus diebus tumultuarie sint disposita, quam alias, ut ipsi fatentur, in annis triginta. Sum hic igitur, ut puto, extra periculum, sed tabescit animus spectaculo hujus tragedie et miserorum hominum fletu, cujus plena sunt omnia. Multa essent scribenda de sermonibus perniciosissimis nostre effrenate nobilitatis, sed potius coram enarrabo. Credo quod jam tempus instat ruine nostre, cui quidem solus princeps, si ferocior esse voluerit, et non usque adeo ex arbitrio nostro pendere constituerit, poterit obsistere. Alioquin nulla est spes salutis. Miror, quod meus Jarossz tamdiu ad me non redeat. Commendo me humiliter Rme. Dtioni. vre., quam dnus. deus servet sospitem et felicem. Rescripsi Mti. regie super profectione ungarica meam sententiam, et ipse cum per hostes licebit istuc revertar. Iterum me humiliter commendo. Ex Crosno sabbato penultima Julii. MDXXIV.

XLVIII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne. benefactor gratiosissime. Quantum hic damnum perpetratum sit, quantus luctus et meror universam hanc oram occupat, scribi non potest. In terra premisliensi exusta et abacta sunt omnia, oppidis aliquot munitioribus relictis, inter que meum Radimnense ter incensum jamque ardens, nuncio, qui primum ad me accurrerat, vidente, magno miraculo et non nisi ope S. Laurentii est servatum. Occisi tamen plerique mei homines et armenta abducta. Hujus etiam terre sanocensis bona pars est devastata. De aliis locis nondum mihi recte constat Hostes dominico preterito ultimi Premisliam reliquerunt, eos vel alios paulo post nemo non predicit venturos, nec cessaturos jam, donec tempus suppetet. Hoc totum peperit pugna cum prioribus negelecta et commissa inconsultissime exercitus administratio, quam ut et alia consimilia non aliter hic interpretantur, nisi eo fieri, ut hi, qui etate, opibus, industria et favore hominum digni videntur, excludantur ab omni fortune processu. Hoc malum, quantum ferveat sub hac calamitate, quam in private rei curam clametur ubique, ut etiam ejus causa bellum dissutum creda- Cod. R.

tur,

MDXXIV. tur, scribere non sufficio. Accedit ad hoc, quod hec seditio patriciorum et nobilitatis, que assidue gliscit in senatores, permanavit ad rusticos, ita ut longe deteriora ipsi meditentur dominis suis, quam illi majoribus suis machinantur, jamque haud dissimulanter hec fiunt passim in his regionibus. Juxta est igitur dies perditionis et adesse festinant tempora, neque enim desidia et luxus noster, ambitio et cupiditas nostra, licentia malorum et facinorum omnium intestinaque discordia et emulatio alium exitum habere possunt, quam eum, quem videmus. Ego die Lune proximo, deo auspice, hinc solvere constitui et recta ad Dtionem. vram. proficisci. Fecissem id ocius, nisi die crastina convenire cum hac nobilitate deberem et de claudenda hac terra et hominibus ad defensionem disponendis modum statui cuperem antequam discedam. Id nescio, si perficiam. Interim me gratie Rme. Dtionis. vre. humiliter commendo. Ex Crosno die quarta Augusti.

XLIX. Cohortatio Nobilium ad arma in Tartaros sumenda.

Cod. B. Sigismundus Rex Polonie etc. Universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis et quibuslibet aliis terrestribus dignitatibus et officiis insignitis, nobilitatisque prioribus et aliis omnibus subditis nostris in terra N. et districtu N. ubilibet consistentibus, ad quorum notitiam presentes litere nostre pervenerint, sincere et fidelibus nostris dilectis, gratiam nostram regiam.

Mgci., generosi etc. Jam manifestum est vobis, quam afflicta sit hoc tempore Respublica nostra et quo in periculo versetur. Duo potentissimi exercitus Turcorum et Tartarorum terras Russie peragrarunt easque ferro et igni crudelissime vastarunt, edocemurque ab exploratoribus nostris, quod tertius exercitus hostium propediem fines regni nostri sit ingressurus et similiter dominia nostra devastaturus. Constat vobis, ut contra impetum primi exercitus hostilis mutuo recepta pecunia eum numerum militum mercenariorum, quem majorem illo tempore potuimus, conduximus et cum eo aulicos nostros aulasque nonnullorum dominorum expedivimus. Nunc tanta necessitate nos regnumque nostrum obruente, hinc versus Sandomiriam in dei nomine cum iis, quos habere potuimus, egredimur, personam nostram regiam et omnes vires nostras contra eos hostes expposituri daturique operam, ut nos regnumque nostrum tueamur. Quapropter vos hortamur postulantes, ut mox, visis presentibus, arma capiatis et equos conscendatis et ad Mgcum. Nicolaum de Dombrowicza, castellanum cracoviensem et exercituum regni nostri capitaneum generalem aliasque gentes nostras Leopolim versus proficiscamini, ut regno periclitanti subvenire et vim hostium reprimere eosque cum dei omnipotentis, qui suos nunquam deserit, auxilio profligare una nobiscum possitis. Facturi pro virtute vestra proque patrie salute et gratia nostra. Datum Cracovie die dominico prox. ante f. S. Laurentii.

L. Ut

L. Ut Civitates decimum quemque ad bellum expediant.

Sigismundus Rex Polonie etc. Universis et singulis proconsulibus, consulibus et communitatibus civitatum et oppidorum tam nostrorum regalium quam etiam subditorum nostrorum in regno nostro et presertim in terra N. et districtu N. ubilibet existentium fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Fideles, dilecti. Jam non est vobis incognitum, quam afflicta sit hoc tempore Respublica nostra et quo in periculo versetur. Duo enim potentissimi exercitus Turcorum et Tartarorum terras Russie peragrarunt ferroque et igni crudelissime vastarunt, edocemurque ab exploratoribus nostris, quod tertius exercitus hostium propediem fines regni nostri sit ingressurus et similiter dominia nostra devastaturus. Qua propter nos nolentes pro debito officii nostri saluti ac defensioni regni et subditorum nostrorum deesse, omnem militiam et nobilitatem movimus ad occurrendum et arcendum impetum hostium advenientium, insuper decimum quemque hominem magis valentem et robustum ex omnibus villis tam nostris, quam subditorum nostrorum expedire jussimus ad hanc communem necessitatem. Nos etiam ipsi hinc egredimur, personam nostram regiam omnesque vires et facultates nostras pro salute et conservatione Reipublice expposituri daturique operam, ut vos regnumque nostrum cum dei auxilio tueamur. Vobis vero mandamus et severissime precipimus, ut mox, visis presentibus, decimum quemque hominem peditem valentem et armis necessariis instructum de civitatibus, oppidis et bonis in jure vestro civili consistentibus, omnino expediatis, vel adhuc in majori numero hominum, si potestis, presentissimo regni periculo alacriter subveniatis et eosdem vestros homines ac gentes apud N. pro feria secunda ante festum S. Bartholomei proxima statuere et representare curetis, ita expensis necessariis et viatico provisos, ut inde, quo necessitas postulaverit, ulterius absque damno et incommodo subditorum nostrorum proficisci et hostibus se viriliter opponere possint. Et ne aliqua civitas vel oppidum de premissis suam ignorantiam pretendant, volumus et mandamus, ut una civitas ad aliam sibi viciniorem et unum oppidum ad aliud sibi vicinius presentes nostras literas post earum lecturam quam primum transmittat, ultima vero civitas vel oppidum illas loci capitaneo representet sub omnium bonorum suorum amissione non aliter facturi. Datum Cracovie die S. Laurentii.

MDXXIV. Ex cod. mss. bibl. Korn.

LI. Responsum Lithuanorum Sigismundo, Regi Polonie, datum de mittendo nuncio ad Cesarem precopensem cum muneribus.

Paulus, dux Olssanensis, Eps. Luceoriensis.
Albertus Gastold, Palatinus Vilnensis, Cancell. Lithuaniensis.
Georgius Radivill, Castellanus Vilnensis.
Joannes Zabrzesinski et Stanislaus Gastold.

MDXXIV. Cod. R. Serme. rex, dne. noster clementissime. Quod s. vra. Mtas. respondere nobis dignata est super literas nostras, quod quantum attinet amicitiam Mtis. vre. cum impertore Tartarorum Pierecopiensi visum est Mti. vre. cum eo in amicitia esse ac munuscula illi transmittere eo modo, quo pacto tempore olim patris Mtis. vre., Kazimiri regis, imperatori olim Mingirej mittebantur, est visum Mti. vre. ut mittatur ad eum in legatione cum munusculis predictis notarius vre. Mtis. Andreas Maczkowicz; que vero munuscula mittenda sint, hec in regestro scripta s. Mtas. vra. nobis transmisit, dno. quoque thesanrario mandavit Mtas. vra., ut munuscula ejusmodi compararet. Cum hoc denique scribere Mtas. vra. nobis dignata est, scripsisse vre. Mti. dnum. Eustachium Daszkowicz, capitaneum in Czerkassy et Kanyow, quod nuncius imperatoris Turcarum in castris Pierekop et Oczakow Aslam soltanum locavit.

Visum est Mti. vre. ad ipsum Aslam soltanum specialem nuncium cum munusculis delegare ad salutandum eum eo in loco, atque ad hortandum eum, ut ipse recordatus gratie vre. Mtis. in necessiate sua sibi prestitam et ostensam Mti. vre. amicus sit, munuscula autem, que illi mittenda essent, similiter in regestro descripta, misit nobis Mtas. vra. atque mandavit, ut cum eis ad eum aliquem dignum ex curiensibus Mtis. vre., pro nuncio transmitteremus. Visum est itaque nobis, servitoribus Mtis. vre., quod ad obeundum hoc vre, Mtis. obsequium mittendus est curiensis Mtis. vre. nobilis Hleb Isman, nam is et ante hac illic in Tartaria a s. Mte. vra. pro nuncio missus fuit et mores illius gentis jam non ignorat. Nihilominus intelleximus ex his regestris, que ad nos Mtas. vra. transmittere dignata est, quod minora munuscula Aslam sultano descripta et nominata sunt, quam huic alteri, puta Sahath Kirio. Unde si illi minora munuscula mitti debeant quam Sahath Kirio imperatori, revera ipse et nuncium vre. Mtis. ad ipsum Sahath Kiriam imperatorem ire non permitteret et munuscula ipsa ab eo adimeret, quia ipse degit in ostio, videlicet in castro Pierekop, per quod nedum homo, sed et canis Ordam sive terram illius preterire non potest, sed cogitur unusquisque per castrum Pierekop, idque sub bono testimonio transire. Inde igitur Mtas. vra. majus damnum susciperet et ad inimicitiam provocare eum posset, a Sahath Kirio vero imperatore amicitiam lucrari non posset. Verum nobis servitoribus Mtis. vre. videtur, quod quum ipse equalis ei imperator factus est, jam et munuscula equalia illi mitti deberent.

Ne itaque res ipsa moram patiatur, mandavimus dno. thesaurario, quod ipse equalia munuscula

nuscula pararet et hos nuncios delegatos quam citius posset expediret. Cum hoc, Serme. rex, visum est nobis servitoribus Mtis. vre., quod propter pacem dominiorum Mtis. vre. per predictos nuncios alloquendi essent prefati imperatores, si ipsi voluerint cum vra. Mte. in amicitia esse et contra unumquemque hostem vre. Mtis. auxilio vre. Mti. esse, promittendum erit eis utrisque idque secrete, singulis annis dandum fore per duo milia ducatorum, uni videlicet eorum duo milia alteri vero etiam duo milia ducatorum. Si puta hoc vre. Mti. et magnificis dnis. consiliariis Mtis. vre. regni Polonie videretur dare propter pacem eorum, e regno duo milia ducatorum, hinc vero e dominio vre. Mtis., magno ducatu Lithuanie, etiam duo milia ducatornm in pannis. MDXXIV.

Et quum jam ipsi imperatores cum vra. Mte. ita stare et componere vellent, quod jam etiam ipsi juramentum corporale prestent, quod debent Mti. vre. ac dominiis Mtis. vre. amici esse, et contra unumquemque vre. Mtis. hostem cum vra. Mte. uno et eodem animo uniri; super quod et inscriptiones suas faciant et nuncios suos cum juramentis suis huc ad Mtem. vram. eodem, quo et Mtas. vra. modo fecit, transmittant.

Preterea etiam, si ex se amicitiam aliquam erga Mtem. vram. ostendissent, alloquendi sunt, quod etiam inimicitiam in hostibus vre. Mtis. framea sua exerceant et tandem post talia facta servitia sua super hostibus vre. Mtis. rogent pro aliquibus munusculis Mtem. vram. puta, pro vestibus, vel aliquot centena florenis, Mtas. vra., visis ejusmodi eorum servitiis, ejusmodi etiam munuscula eis recusare non dignabitur.

Visum est verum nobis servitoribus Mtis. vre. hec munera tam parva eis utrisque debere promitti, ea de causa, quia nunc ipsi sunt duo imperatores, et fieri non poterit, quod unus alterum vel non expellat aut non occidat. Si itaque vra. Mtas. utrisque eis promittere deberet majores summas, ex tunc, quum posthac unus eorum in tota illa orda imperator efficietur, sollicitabit, quod illi uni ea munera ex integro semper tribuantur, que dabantur duobus imperatoribus, sed cum ita parva munera Mtas. vra. eis utrisque imperatoribus dare promittere dignabitur, tum licet posthac utraque hęc munera illi uni, qui remaneret, Mtas. vra. tribuet, parum damni vre. Mti. efficeretur e regno Polonie dare duo milia ducatorum in auro et ex altero dominio Mtis. vre. hoc videlicet Mg. ducatu duo milia ducatorum in pannis.

Si itaque s. Mti. vre. hoc ita consultum esse videbitur, dignetur nuntiis suis s. Mtas. vra. informationem suam prebere, quod jam ipsi cum predictis imperatoribus rem Mtis. vre. ita componant et tractent, quoniam etiam estimamus, nunc quum ita istic imperatores duo sint in una terra, facilius posse negotia sua Mtem. vram cum eis peragere, unus eorum ab altero cavens et timens, ita quilibet eorum libenter sese vre. Mti. acclimabit, ut sint amici Mtis. vre. et in his parvis muneribus libenter contenti erunt; vra. vero s. Mtas. de tam frequentibus eorum inquietationibus evadet et difficultates pristinas non habebit.

Preterea duximus significandum Mti. vre., dno. nostro clementissimo, scriptum esse ad nos a dno. Eustachio, capitaneo in Czerkassy et Kanyow, quod Sahath Kirej imperator atque Aslam soltan scripserunt illi aggravantes, sibi plurimum de mercatoribus Caffensibus per Cozacones de Czerkassy occisis et spoliatis, promittentes ob hoc velle venire ad depopulandum dominium Mtis. vre., in quo eos dnus. deus non juvabit. Cum hoc denique scripsit

 nobis

MDXXIV. nobis idem dnus. Eustachius, intimatum sibi esse a quibusdam amicis suis, quod imperator exercitum paratum habet et quod unusquisque eorum jam insidet equo. Nos itaque cum primum his auditis eodem tempore significavimus hec subditis omnibus Mtis. vre. Mg. ducatus Lithuanie, quod parati sint, deputavimusque eis locum in Pyetrzykowicze, quam aliis literis nostris requisiti fuerint, quod illuc conveniant. Nos quoque servitores vre. Mtis. in hoc sumus, ut quum primum audiverimus hos infideles hostes in dominium vre. Mtis. proficisci, tum ad prefata Pyetrzykowicze proficiscemur hosque hostes reprimere conabimur, quantum nos dnus. deus juvare dignabitur. Nihilominus vra. sac. Mtas. dignetur id circumspicere, quod quum olim dux Constantinus cum exercitu vre. Mtis. aliquorsum proficiscebatur, semper tum Mtas. vra exercitum suum providebat curiensibus Mtis. vre., qui ab exercitu ad custodias mittebantur, qui sub exercitu hostium linguas acquirebant, tormenta denique bellica in exercitu servabant, et milites stipendiarii, qui ea ducebant et providebant. Nunc vero ne unus quidem curiensium, nec unum tormentum in exercitu erit, quecunque enim tormenta sive machine bellice Mtis. vre. Vilne in curia dni. episcopi vilnensis fuerunt.... (hic non complevit sententiam notarius, quid de illis machinis factum sit, estimandum est forte, quod hoc non errore, sed studiose factum est, ut subticeret, quis eas accepit). Et ita cum fuerimus in exercitu non habebimus, per quem custodias facere debeamus, per quem denique lingue hostium acquirende sint, si etiam hostis venerit contra nos ad fluvium Prypyecz, difficiliter absque machinis reprimendus erit. Retulit nobis coram thesaurarius s. Mtis. vre., quod ipse distribuit ex thesauro vre. Mtis ad quittantias citra octo milia sexagenarum pecunie curiensibus Mtis. vre., ejusmodique quittantiarum non parvum cumulum coram nobis ostendebat. Nunc vero nullum curiensem videmus.

Sacra vra. Mtas. id circumspicere velit, qui fructus Mtis. vre. exinde est, quod non pauca summa ex thesauro Mtis vre. sumpta, et nullum pro hoc servitium est factum, cum forte iste pecunie nunc in uno loco fuissent, omnes istas necessitates s. Mtas. vra. nunc adimpleret ex eis et nullam tandem difficultatem sola haberet. Tamen et nunc S. Mtas. vra., dnus. noster clementissimus, dignetur ea in re deliberare, quod Mtas. vra. dominum capitaneum exercituum generalem atque exercitum ipsum suum provideat, tam curiensibus quam etiam machinis et militibus stipendiariis trecentis aut quator centis ad ducendas machinas necessariis, ut contra hostem vre. Mtis. securiores esse possimus.

Quod enim attinet machinas leves, que ad ferendum cum exercitu simul valerent, Mtas vra. dnus. noster clementissimus, cum fuerat in hoc dominio, referre nobis dignata fuit, quod Mtas. vra. fecit istic Cracovie parari machinas leves campestres, pro necessitate dominii hujus viginti, que solvi debebant ex thesauro hujus Mg. ducatus Lithuanie. Unde Mtas. vra. prospiciens necessitatem hujus dominii sui machinas ejusmodi ex Polonia ad nos misit et solutionem ex thesauro hoc pro eis extradere demandavit.

Preterea quod attinet curienses et stipendiarios gregarios ad ferendas et providendas machinas, si s. Mti. vre., dno. nostro clementissimo, videretur, quod Mtas. vra. non movens nobiles Drohicenses, Byelscenses, Myelnicenses de locis eorum, mandaret ab eis contributioonem exigere, quam ipsi soli libenter offerent et prestabunt de quolibet manso per X grossos,

grossos, de quolibet vero fumo nobiles, qui mansis et terris carent, sed tantum domibus suis inhabitant in agris non mansuratis etiam per duo grossos. MDXXIV. Pro his pecuniis eorundem hominum aliquot centa convenienter et curienses et aliquot centos equos expediremus, qui majus servitium Mti. vre. facere possent quam nobilitas districtuum illorum. Casu autem, quod necessitas non fuisset, statim milites gregarios possemus dimittere, curienses vero transmitteremus in Kijoviam ad dnum. palatinum, qui multo majus obsequium istic Mti. vre. facerent, quam districtus predicti. Et si etiam opus fuisset, nos omnes ad Pietrzykowicze transire, Mtas. etiam vra. exercitum suum his rebus bene confortaret et provideret. Quapropter, si Mti. vre. facere videbitur secundum hoc consilium nostrum et dignabitur etiam nobis inde machinas aliquas transmittere, dignetur mandare scribere Mtas. vra. ad dnum. magistrum stabuli Mtis. sue, quod pro ducendis predictis machinis in exercitu equos det. Et si cum hoc visum fuerit Mti. vre. supra his supradictis districtibus Drohicensi, Byelscensi et Myelnicensi a nobilitate contributionem potius facere accipere et de mansionibus eorum eos non movere, Mtas. vra., ut res moram non habeat, dignetur mandare, dare pecuniam ex thesauro suo, pro quibus possemus curienses et milites gregarios habere, posthac vero in locum earum cuntributio illa ad thesaurum vre. Mtis. imponeretur. Hec tamen omnia committimus excellenti providentie atque ingenio Mtis. vre. quicquid illi pro meliori suo ac Reipublice commodo facere visum fuerit, ita sacra vra. Mtas. dnus. noster clementissimus efficere dignabitur.

Scire dignetur denique s. Mtas. vra., scriptum nobis esse a Mgco. dno. palatino kijoviensi, quod dux magnus Moscorum homines equestres et pedites misit nunc ad castrum suum Czernyow, robora quoque parat volens edificare castrum septem miliaribus a Kijovia super fluvio Dzyesna in bonis domini palatini vilnensis in monte Ostra.

Scripsit insuper factor domini palatini vilnensis de Lubyecz, quod venturus est adhuc ad prefatum castrum Czernyow exercitus magnus, cum quo venturi sunt tres palatini, videlicet dux Boriis Horbathij, dux Szczenya juvenis, et dux Alexander Obolinski.

Adhuc preterea scripsit nobis dominus palatinus viteblensis, quod imperator Tartarorum Cozanski cum duce Moscorum pacem inivit, jam itaque non est illi cum aliquo amplius bellandum nisi cum Mte. vra., cujus multa jamjam signa apparent, quia multe ab eo subditis vre. Mtis. in confinibus illis degentibus injurie aguntur. Castra denique sua in dominio Mtis. vre. ponere et edificare intendit, Ita quod si castrum hoc prope Kijoviam venire permitteret, ex eo tandem castro aliud castrum in loco dicto Wyssehorod construere bene poterit, ex eo nullum hominem etiam ex Lithuania ad Kijoviam venire permitteret.

Et ergo sac. Mtas. vra. regia circumspicere dignetur, quod ipse ad annum hunc non alia de re cum vra. Mte. treugas pacis suscepit, nisi ut in terra Mtis. vre. castra sibi edificaret, ex quibus tandem antiqua posset occupare. Propter has itaque causas nobis servitoribus vre. Mtis. videtur, quod vra. Mtas. dignaretur mandare duci Slucensi, duci Helie et dominis terre Voliniensis atque Podolitis istuc ad Kijoviam ire et aliquamdiu ibi commanere. Casu, quo ipse dux Moscorum vellet castrum illud suum in illo monte edificare, quod ipsi non permittant et procul eum inde repellant. Dnus. vero palatinus vilnensis jam etiam paravit curiam suam et cum hac pedites suos, quos mittere vult, quod castrum

MDXXIV. castrum illud ipse tanquam in bonis suis construeret, machinas ad hoc, pulveres et victualia parata habet. Dignetur vero Mtas. vra. eam in rem consentire eo quod non parum inde s. Mtas. vra. utilitatis susciperet, primum quia supradicti imperatores audientes exercitum vre. Mtis. in Kijovia fore et nuncii Mtis. vre., ad inferendum demum damna dominio Mtis. vre. irruere non audebunt. Sin autem aliquid ejusmodi et tentare vellent, nobis jam habentibus ante se talem exercitum, securius esset ad locum deputatum contra eos sese congregare. Dux preterea Moscorum audito exercitu Mtis. vre. in Kijovia non presumeret tantum castra in dominio vre. Mtis. erigere, etiam si vellet, populus jam ille Mtis. vre. non sineret. Esto, quod etiam ab imperatore Pierekopiensi et duce ipso Moscorum pax sit, utique Mtas. vra. non modicum exinde utilitatis haberet, quod castrum illud dnus. palatinus in loco tam nocivo et insecuro construet, ex quo non parum subsidii castro Mtis. vre. Kijoviensi fuisset, in custodia ab ipso hoste, duce Moscorum, et in aliis rebus. Illis vero ducibus et dominis parum exinde difficultatis et more fuisset, quoniam iter non remotum, victualia vero facillime sibi possunt per aquam navigio transmittere in Kijoviam, quo illic aliquo tempore existentes vivere possint. Quum vero id Mti. vre. secundum consilium nostrum ita facere videbitur, dignetur mandare scribere literas suas prefatis ducibus et dominis, quod ipsi sint in Kijovia post festum nativitatis Marie ad summum in una septimana; et nos quoque si audierimus impetum a Tartaris et Moscis, pro illo termino esse conaremur in Pyetrzykowicze, vra. Mtas. dnus. noster clementissimus id scire dignetur.

Postremo, Serme. rex, quod vra. Mtas., dnus noster clementissimus, scribere nobis dignata est, si nobis visum esset de injuriis his, que subditis Mtis. vre. aguntur, aliquem ad ipsum ducem Moscorum levem nuncium mittere, quod vre. Mti. in hoc responderemus. Notum est Mti. vre., quod Mtas. vra. non semel jam nuncios suos magnos et leves ad eum transmittebat, quod ipse sese erga vram. Mtem. conservaret secundum inscriptiones treugarum pacis et injurias Mtis. vre. subditis inferre non faceret; ipse autem nunquam verbum ac juramentum suum Mti. vre. servavit, semper majora et majora damna subditis vre. Mtis. fecit, immoverius majora durantibus treugis ipsis pacis quam durante bello, igitur frustra est nunc vre. Mti. prefatum levem nuncium ad ipsum mittere, quoniam ipse super hac missione nihil faciet, sed potius dignetur jam Mtas. vra. mandare tenutariis Mtis. vre. confinia habentibus, si casu, quo Mosci spolia aliqua subditis vre. Mtis. inferent, quod ipsi viceversa pro suo similiter accipiant factoribusque ipsius ducis respondeant, id pro suo fecisse, et exinde sibi res sive spolia ejusmodi mutuo restituant. Datum Vilne d. X. Augusti.

LII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. R. Rme. in Christo pater et dne., dne benefactor gratiosissime. Ego ut scripseram Rme. Dtioni. vre. die Lune ex Brzozow egressus hesterno die huc applicui, ubi intellecto regio discessu plurimum

plurimum anxius fui, nesciens, quo potissimum iter prosequerer, cum a Rma. Dtione. vra. nullam prorsus significationem habuerim, donec dnus. Zamosczki istinc rediens dubium animum sua persuasione huc impulerit, ut num potius Mtem. regiam sequerer, quam istuc proficiscerer, unde post longo circuitu esset tamen Mtas. sua sequenda. Sequutus itaque consilium ipsius vado hinc ad Novam civitatem hodie illic cum Mte. sua conventurus. Habui nuncium ex Leopoli sabbato proximo egressum, qui refert: nostros omnes, qui illic erant, pridie illius dei discessisse et hostem majori quam dici potest preda onustum insequi convenireque cum duce Constantino debere et suppetias item a Moldavo sperare. Que si vera sunt, spero ex pessimis rebus nonnihil boni exitus. MDXXIV.

Mi Rme. dne. Molestissimo sum animo, quod facultas videndi vram. rmam. Dtionem. quod unicum erat meum desiderium et solatium, hoc eventu mihi sit intercepta, spero tamen mutato fortune vultu, me brevi cum Mte. regia. istuc venturum, cujus hec motio utinam proficiat aliquid, quod ego diffido, sciens tantam esse insolentiam et vecordiam nostre nobilitatis, ut donec in ordinem et obedientiam debitam non redigatur, nihil prorsus sperare possim boni aliquid cum illa gente posse. In rebus tamen deploratis omnia tentare non nocet. Commendo me gratie Rme. Dtionis. vre., quam dnus. deus semper servet sospitem et felicem. Ex Tarnow die XI. Augusti.

LIII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Nicolao Łukowski, Preposito Varsoviensi Cancellario Ducatus Masovie.

Dux Stanislaus mortuus est Varsovie VIII. Augusti.

Rde. dne., frater et amice in Christo charissime. Dolemus ex animo immaturam mortem Illmi principis, dni. Stanislai, ducis Masovie, fuit enim multis egregiis virtutibus et optimi principis dotibus singulariter preditus. Quia vero non licet adversari divine voluntati, ferre debemus omnes lugubrem illius obitum equo animo et dnum. deum orare, ut animam illius ad sedes suas sidereas et sinum Abrahe recipiat. Quod autem attinet ad nostram perpetuam observantiam et animi propensionem erga istam ducalem domum, hanc nullo unquam tempore mutare volumus, sed ita ut consuevimus, omni studio et diligentia nostra volumus commendata habere omnia illius negotia Illmo. etiam dno. duci Janussio et charissime ejus sorori curabimus in omnibus actionibus et rebus adesse consilio et patrocinio nostro, modo Illtes. sue dignentur, habere nos et clerum et subditos nostros in gratia et protectione sua commendatos, quod nos illis omnibus viribus et obsequiis nostris referre curabimus. In rebus privatis vre. Dtionis. id quod ad presens potuimus, non gravatim prestitimus, posthac autem postquam plene edocti fuerimus de rei positione et veritate, favorem et benivolentiam nostram erga illam abundius declarabimus. Que valeat felicissime et nos diligat. Cod. B.

LIV. Joannes

LIV. Joannes Zamboczki, Aulicus regius, Petro Tomiczki, Epo. Vicecancellario.

MDXXIV. Cod. B. Rme. dne., dne. gratiosissime. Post vetustam et nunquam mutatam paratissime servitutis mee commendationem. Offerebant se quidem hic res multe et memorabiles hisce diebus, vel mensibus preteritis, sed quod de eis ne jota unum scripserim, causa fuit, quia mihi dubium non erat Rme. Dtionis. vre. aures de omnibus tam refertas fuisse, ut interdum super eis nauseare eam crediderim. Constat enim, multos multa cum ad regiam Mtem., tum ad ceteros de eisdem rebus scripsisse, quam sincera fide id factum ab eis fuerit, affirmare non ausim; illud apparet, eis plus fidei habitum esse, quam mihi habitum fuisset atque ita mihi cervo inter olores ostrepere impudens videbatur fuisse. Sed et modo nescio an opere pretium facturus sum si scripsero, sed parva jactura est et temporis et charte, si enim hec mee ineptie fastidio fuerint prout digne sint, facile erit, eas vel in latrinam abjicere vel etc.

Res nostre ita se habent. Post Tartarorum transitum, quos nos (ita ut tum faciendum erat) testitudineo incessu aliquot diebus insequebamur, Leopolim reversi, totos hos dies equos et nos ipsos reficiebamus. Ecce tibi interea sollicitudo quedam et metus nobis dietim, ne dicam horatim, inculcabatur, nescio per quos sycophantas, qui in limitibus excubias agere existimantur, cum tamen manifeste appareat, eos quidvis potius agere quam excubias. Nunciabatur itaque ab eisdem pseudo-excubatoribus, Turcorum et Tartarorum non jam exercitus sed nubes Danubium et nescio que flumina transiisse, et nos quidem hi rumores non adeo commovebant, non ignorantes, quam peculiare sit in talibus rebus falli et mentiri, sed Mtem. regiam apparuit eis commentis permotam ita, quod Cracovia Sandomiriam et illinc usque Jaworow intempestive satis se movit et conculcata Jaworowensium ora, cum universa, que ei adest colluvie, huc Leopolim satis alioqui afflictam ventura est proximo die Martis.

Armeni negotiatores, qui his diebus ex Valachia venerunt, narrant, a Turcis nihil timendum esse, atque ita in tanta mentientium impunitate nescio, quid potissimum sequendum est. Mihi verisimile non videtur, Turcos magno numero sub hoc anni tempus huc excurrere, sed in neutram partem quicquam pronuncio. Illud doleo, quod tantum, tamque magni momenti negotium, videlicet adventum hostium speculandi et explorandi, tam fluxe fidei et tam vanis hominibus commissum est, vel committi solet, quorum vanitate et negligentia universi in ruinam et precipicium trahimur, quamquam id mea parum refert, qui aliorsum respicio. Clamitant quidem omnes confunsionem rerum et errorem, sed ego prepostere in Republica Platonis mihi versari videor tantisper dum nummi suppetunt; sed vereor adventare tempus, cum devoratis nummulis — quos olim defraudans genium corraseram — ego confusionem omni Babylone confusiorem frustra vociferabor. Sed ut aliquando in causa concludam, sciat certissime Rma. Dtio. vra. mihi nihil eque in votis esse, quam ut eandem in hoc amplissimo rerum fastigio, ad quod virtute duce, fortuna comite evecta est, optime valentem et diutissime regnantem aut videam aut saltem audiam. Nam constitui in angulum

lum me conferre, cum primum licuerit, ne diutius ineptiens ut senescens equus peccem ad extremum ridendus et ilia ducam etc., nisi forte fatum inevitabile me aliorsum, quam destinaveram, rejecerit. Utcunque erit, aveo idoneus fieri, servire Rme. Dtioni. vre., cui me humiliter commendo, quamque deus perpetuo servet. Leopoli Sabbato die XVII Augusti. MDXXIV.

De casu, qui familiaribus Rme. Dtionis. vre. in Jaworow contigit, credo eam aliunde vel jam certiorem factam esse, vel brevi fore; quamdiu hic Leopoli mecum erant, modestissime et sine querela se gerebant. Pyaseczki ad affines suos ad Camyenyecz profectus est, alios duos nescio, que cupido ad Jaworow proficiscendi, me dissuadente et reclamante, incessit, quo profectos mox insequutum est infortunium, quod quidem ego cum magno meo dolore audivi, sed rursum hodie narratum est mihi, sine culpa eos esse. Redituri huc sunt. Mihi animus est pro virili mea eis in nulla re deesse, propterea quod et familiares Rme. Dtionis. vre. sunt et mihi veteri familiaritate et amicitia conjuncti.

LV. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater etc. Veni huc cum maximo rerum mearum dispendio, et quamvis Mtas. regia videtur habere non vulgariter gratum meum adventum, maluissem tamen vel continuisse me adhuc in meis bonis, vel esse cum Dtione. vra. Rma. quam in hoc rerum omnium chao et meris fumis versari; nisi heri venisset a dno. marsalco curie optimus miles Borowski, usque huc nihil, quid illic agatur, scivissemus. Nunc igitur de Tartaris hoc certum est, illos incolumes cum tanta preda, quanta dici et deplorari non potest, abiisse. De Turcis, qui adventare ferebantur, hoc unum scimus, quod nihil scimus, nemo est qui hoc curet, ex quo et consilia et omnis actio dependet. Indiget civitas leopoliensis, indiget arx Camenecensis presenti et celerrima provisione; ea tam nobis cure est, quam olim esse consuevit. Convocati sunt hic aliqui nobiles ostentandi duntaxat causa, et hi in villis sanctuariorum positi, expilant miseros homines non secus quam hostes. Quid sequetur nescio, sed et utinam hec nescirem, que scio. Cod. R.

Mi Rme. dne. Significavit mihi dnus. marsalcus curie, quo factum sit, ut nullum bonum servitium fieri potuerit ex eorum post hostes profectione, quod utique fieri potuisset in parte, nam de conflictu frustra erat quicquam tentandum nostrorum paucitate. Sperabat dux Constantinus nostrum imperatorem melius esse comitatum et noster illum itidem, uterque vero longe minor opinione apparuit. Id ego predicebam futurum ex priori successu; nunc in eo sumus, ut hec motio bellica procedat duretque per omne tempus suspectum in locis designatis in perniciem hominum et majores clamores exaggerandos. Quidquid agetur, describam semper omnia vre. Rme. Dtioni., que optime fecit, quod militem suum hic habeat, nam preter rem piam et ab omnibus laudabilem etiam bonis suis tutelam contra rapinas nobilium fecit presentissimam. Commendo me gratie vre. Rme. Dtionis., quam dnus. deus servet semper sospitem et felicem. Sandomirie XVII Augusti.

 LVI. Cricius

LVI. Cricius Tomicio.

Scheda.

MDXXIV. Cod. R. Rme. mi dne. Persuasum habeat Rma. Dtio. vra., me illius honorem et omne bonum vel meo ipsius habere potiorem et proinde non possum facere, quin ea que sciam illi declarem. Sunt hic perniciosissimi rumores de dissuto bello generali et nunc post damnum dimidio regni moto sero scilicet et in perniciem omnium harum partium. Hec tota culpa derivatur in vram. Rmam. Dtionem. modis et circuitionibus variis et manifestis, tum per se tum per submissas personas, per eos, qui maxime illi adesse deberent, quandoquidem communis res utriusque agitur. Sique hic tantum cogitaretur de conservanda Camieniecz, quantum in munusculis aucupandis et animis hominum conciliandis aliosque in odium inducendis, non laboraremus. Mira mihi quotidie nunciantur, que scribi non possunt, quibus ego eisdem artibus resisto, quantum possum; nam, mi Rme. dne., quid preciosius est bona fama et favore hominum.

LVII. Petrus Tomiczki, Eps. Cracoviensis, Regni Polonie Vicecancellarius, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. R. Post discessum vre. Mtis. nuncii terre Samagitie ad me venientes illorum nomine, a quibus missi sunt, summa contentione a me petiverunt, ut eos apud vram. Mtem. precibus juvem in impetranda prorogatione ejus cause, que de donatione bonorum agitur, Rmo. dno. vilnensi episcopo facta, quoad vra. Mtas. curis hujus temporis liberata et absoluta in Lithuaniam se recipere dignaretur. Excusavi me quibus verbis potui ab hac ejusce cause actione eosque dimisi spe vacuos, qui ut vidi non satis equo animo ferebant, id se apud me non obtinuisse, quod cupiebant. Tamen posthac ad me delatum est, magnam perturbationem et quasi quandam tumultuationem ob eam causam ibi exortam esse, qui his turbulentis temporibus, ne quid gravioris vre. Mtis. actionibus afferat et pariat, summa ope niti decet et presertim cum talis sit, de qua nihil detrahi vel diminui sive immutari posse videtur, preter hanc parvam moram, que erit inter adventum vre. Mtis. in Lithuanicas oras. Sed tum id, quod semel vra. Mtas. deliberavit et decrevit, post hanc ipsam moram ad vitandum aliquod malum inde exoriturum, interponendam, ut fiat, necesse est; hac itaque re permotus, volui ad vram. Mtem. perscribere, ratus id mei officii esse, ut, quod precibus illorum aductus ab ea petiturus eram, nunc sponte orem. Ea scilicet re adductus, ne quid inde eveniat, quod sit, ut dixi, vre. Mtis. actionibus aliquid difficultatis pariturum. Quod ut propterea facere dignetur etiam atque etiam oro. Scribitur item a quibusdam amicis mihi, magnas isthic tragedias contra me in populo per quosdam excitatas esse, quasi suasu meo factum sit, ne decretum concilii piotrkoviensis de bello movendo executioni

executioni demandetur; atque inde tot mala, que hac tempestate regnum pertulit, nata esse. Ego deum imprimis ac vram. Mtem. et item conscientiam testor meam, me nullius unquam rei, que a Republica futura fuisset, dissuasorem omniumque bonarum rerum, que unquam a me, in his locis dei omnipotentis et vre. Mtis. gratia constituto et posito, acte sunt, pro captu ingenii suasorem et adjutorem fuisse, et propterea fretus innocentia mea, que me docet, nihil conscire sibi nullaque pallescere culpa. Vram. Mtem., dnum. meum clementissimum summaque et perpetua veneratione observandum, oro et obsecro, dignetur tanquam innocentie mee testis primarius, me auctoritate sua ab hac injuria tueri et defendere, ne malevolorum callide persuasiones ad inflammandum contra me multitudinis odium conficte tantum valere possint, ut is esse existimer eaque culpa notatus, que Reipublice detrimentum afferat, a qua sum penitus alienus. Gratia vre. Mtis. tantum in hac re perficienda valebit, ut nihil sit mihi metuendum, quod innoxio officere possit. Cui me commendo et opto, ut vivat felix et incolumis. MDXXIV.

LVIII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater etc. Venit hesterno die dnus. castellanus lublinensis ab imperatore exercitus, refert ex responso palatini Moldavie, Taszulam cis Danubium esse, et gentes circum se in campis nostris congregare ac omnino ad nos irrumpere debere. Quapropter censuit dnus. palatinus pro ipso imperatore mittendum, quod non esse illic videtur, cuinam alteri gentes, que hic ex Polonis congregantur, committi possint. Nemo est autem, qui cum illo absque Mte. regia proficisci velit et proinde cogemur fortasse omnes in campum progredi. Ego ad quid huc venerim nescio, neque enim aliquibus sum satis ex sententia, quod non admodum curo, neque enim parvitatem meam cum illorum amplitudine et existimatione commutarim. Milites vre. Rme. Dtionis. eundem apud illos favorem, quem ego, experiuntur, non permittitur illis hoc, quod permittitur aliis, calumniis variis afficiuntur, de quibus se purgare coguntur assidue. Non dubito, si ita cum aliis agetur, et inhonestos apparituros cum opus fuerit et in persolvendo damnis, damnum ingens Rme. Dtioni. vre. futurum. Cod. R.

Non potui obtinere, ut tempestive statueretur, quid de duce Mazovie et rusticis movendis sit agendum, in utroque adhuc deliberatur et proinde nihil etiam certi vre. Rme. Dtioni. scribere possum, cui mitto copiam responsi moldavici, superbi quidem sed ad ignaviam nostram appositi et commendo illi ex animo causam hujus juvenis meque una et servitutem meam perpetuam faciatque dnus. deus, ut illam cito videre possem sospitem et felicem. Datum Sandomirie XIX Augusti.

LIX. Responsum a Vojevoda Valachorum ad Legationem per Nepielski factam.

MDXXIV. Cod. R. Za nawyedzenye izescijego W. M. raczyli nawyedzic, za tho dal W. M. dzyękowacz i za tho issz W. M. raczyli roskazacz weselącz sije sze Turki porazil, gdzije mowi pan woijewoda iss nijezaswą zyemye ani za swe ludzi bithwe snimi stawil, ijedno vchodzącz nyewyernosci v W. M. kthorąby W. M. naprzeciwko ijemu mijeli mijecz. Skąd powyeda Turka porussycz na przeciw sobye, ktorego sije nadzyewa kozdeij godzinij do syebye. Panowye czo mnye ządayą o pomocz, tu mnye podobnyey pomoczi ządacz niszli yą dacz, abowyem ya zwadzilem siję s Turkyem o zyemye krolewską, gdzye mi zginęli czterzey panowie radni i ynszych nyemalo dobrych. Ych M[sci] dzyękuiję ysz mi obyeczuiją dacz pomocz nyezaluyącz statkow y nakladow swoich i praczi i zdrowya swego, gdzye wyęcz yam nyewidal aby czlowyek thonączy drugyemu pomogl, yedno sam musi pirwey wyplynącz na brzeg, thakyess panowye obyeczuyą mi pomocz a sami sye nyechczą bicz swoyemi nyeprzyaczyelmi, patrzą na mnye, abychsye ya znyeprzyaczyelem ich bil, nyechay sye oni sami pirwey byią s swoim nyeprzyaczyelem, thoss sobye i mnye będą pomagacz a ya gim nye mogę dacz pomoczy bo yey mnye potrzeba thak wyele yako i gim.

Item powyedają ysszbych nyeslal do nich nowin zadnych, czo na kozdy rok dawam znacz kilko krocz o kozdym woysku, a tho i theras dawam ym znacz przez czye o Thassule Turku, issz nye sszedl za Donay, a thu sye zbyera myedzy Kilyyą a Byallogrodem na krolewską zyemye. Wssak ya nyesyedzę v was na strazy, anim winyen dawacz wyedzenya, a czokolwyek dawam wyedzyecz, tho wssyczko panowye powyedayą iszby nyeprawda. A thossz widzą the prawdę sami przed sobą.

LX. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi Capitaneo Majoris Polonie generali.

Cod. R. Mgce. dne. Ea que his temporibus et hic et in Russia acta sunt, ex literis, quas paulo ante hic cubicularius ejus reddidit, vra. Mgcia. probe cognovit. Nunc nihil aliud habemus, quam quod post Turcorum ex Russia discessum Tartari ingenti preda hominum et pecorum miserabiliter abacta, incolumes discesserunt. Quorum tam numerosus fuit exercitus, ut nostri, cum dno. duce Constantino juncti, non ausi sint cum eis dimicare, exiguis suorum viribus in comparatione hostilis exercitus diffisi, qui instructis ordinibus, nullaque re pretermissa ad sui custodiam et securitatem pertinentem, nec pugnam detrectantes passibus equis processerunt. Quantam autem calamitatem non solum in terris Russie sed toti regno hi duo exercitus attulerint vra. Mgcia. facile intelligit, que fortasse, si decretum conventus piotrkoviensis de bello movendo executioni demandatum fuisset, vitari et prohiberi potuisset. Sed

Sed cum preterita magis reprehendi possint quam corrigi, non video, quid de hoc dicam, nisi ut cogitemus, quibus modis regnum ab interitu jam impendente servari possit. Mtas. regia Sandomirie agens colligit exercitum, proficiscitur nobilitas harum terrarum ad bellum, facto plebis delectu, ut quolibet ex loco decimus quisque sumptis armis suam Mtem. sequatur. MDXXIV.

Ferunt hunc Turcum, qui et nunc et anno superiori Russiam vastavit, ex hac parte Danubii se continere, ut iterum conflato alio novo exercitu Russiam ipsam invadere et debellare possit. Posthac quidquid erit, per alios nuncios faciam, ut Mgcia. vra. sciat. Ex hoc autem incluso exemplo responsionis moldavice, quam dedit domino capitaneo exercitus cum aliis dominis, qui cum eo erant, vra. Mgcia. facile cognoscet, quo in pretio apud ipsum Moldavum simus, ob ignaviam nostram, que modum et facultatem defensionis nobis ademit. Opto vram. Mgciam. bene et feliciter valere, cui me commendo. Datum Cracovie d. XXII Augusti.

LXI. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Christofero de Schidlowec, Palat. et Capitaneo Cracoviensi, Regni P. Cancellario; Gostinensi Sochaczeviensi, Corczinen. Samborien. Capitaneo.

Mgce. dne., et amice honorandissime. Valde male libenter audivi, Tartaros tam magna preda, ut dicitur, onustos incolumes evasisse, quam quidem incolumitatem, ut audio, paucitas nostrorum eis peperit, qui credentes dominum ducem Constantinum secum ducere tantum exercitum, qui cum nostris conjunctus tuto cum hoste dimicare potuisset. Ipse quoque dnus. dux Constantinus de nostris ea spe fretus alacri animo ad rem gerendam profectus est. Cum autem ad rem ventum est et copie ultro citroque convenientes perlustrarentur oculis, multoque pauciores quam opinio ferebat invente, omnem spem rei bene gerende ademerunt hostemque cum maximo nostro detrimento redeuntem omni metu liberum dimittere sunt coacte. Cod. R.

De futuro autem vitando periculo, si ita est, quod hostis iterum instauratis et auctis viribus regnum invadere molitur, nihil dubito, vras Dtiones. cum Mte. dni. nostri et modum et consilium inventuras esse, quo ejus impetus reprimi possit. Nos autem, qui domi sumus, sedulo id agimus, orantes, ut deus opt. max. Mtis. regie et vrarum. Dtionum. actiones et vota ita prosperet, quod post amissam bellice laudis famam et post eas calamitates, quas regnum accepit, et famam et gloriam cum spe futuri premii celestis recuperare valeant, et in domos suas redeant cum triumpho.

Quod ad profectionem plebis cum nobilitate attinet, ego in ea essem sententia, ut plebs ipsa domi contineatur, donec Mtas. ipsa regia certo didicerit de reditu hostili. Si enim hostis non imminet et hi relictis domibus profecturi sunt, et sibi ipsi valde incommodabunt et his, per quorum bona profecturi sunt. Rogo tamen, cum primum vra. Mgcia. pro certo cognoverit, hostem adventare, dignetur me literis suis facere certiorem; ego vero omni mora

MDXXIV. mora posthabita, et ex villis et oppidis meis et cleri mei homines jam paratos et designatos mox ire jubebo. Me vre. Mgcie. ex animo commendo et cupio illam felicissime valere. Datum etc.

LXII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. R. Rme. in Christo pater etc. Hactenus de hostibus nihil scimus, versamurque in iisdem fumis et ostentationibus, in quibus versati fuimus semper. Ex terra premisliensi fuerunt hic nuncii et suam calamitatem lamentabili oratione exposuerunt, imprecantes illis, qui motionem bellicam in conventu decretam mutaverunt. De quorum responsione cum in consilio ageretur, ibi dnus. palatinus cracoviensis multa dixit, quo pacto reclamaverit obstiteritque ipsi mutationi, utque abfuerit, quando tertie restium litere fuerint emisse et cum erat facta conclusio cum nunciis Majoris Polonie, et quod si Mtas. regia usa fuisset suo consilio, non hec calamitas accidisset. Ego respondi: me interfuisse his consiliis visumque nobis omnibus fuisse de mutanda motione generali, ut inutili, multis rationibus, et presertim nulla significatione de hostibus existente solique Mti. regie non usquequaque ipsam mutationem cordi fuisse, quod me non aliter loqui et fateri posse, et si quid in ea re peccatum sit, quam ut melius intelligebamus, consuluimus, peccatum esse nostrum omnium. Respondit murmure dnus. palatinus: „chwala dyablu!“ Ob hec et alia, quibus omnia in vram. Rmam. Dtionem. conjicere nititur, quasi sine consilio et voluntate sua agerentur, quod interdum obsisto, quodammodo in me frontem contraxit totusque est his diebus in fermento maximo. Mi. Rme. dne. Hujusmodi studiis nosmet vulgo traducimus et Rempublicam pessundamus. De arce camenecensi, ubi hostes venerint, actum est vel triduo; sic enim proconsul cum magna querimonia coram me protestatus est et proinde doleo impense, me hic esse, omnia enim ascribuntur his, qui ad latus sunt regium, nescientes principem agere suapte voluntate. Nunc expectamus, ut prius scripsi, dominum campiductorem et alios dominos, cum quibus constitui debet, quod potissimum sit agendum sive hostes venerint sive non venerint. Quidquid constituetur, non negligam e vestigio Rme. vre. Dtioni. perscribere. Dominus Bothurzynski mortuus est haud dubie causa calamitatis Reipublice, de qua mirum est, quod ille etate jam decursa fuerit tantopere sollicitus, cum nos, quibus plusculum evi videtur superesse, non secus quam in media pace oscitemus, et que nostra sunt duntaxat cogitemus. Quid? si ille tantam vim hominum et armentorum abduci videret tantumque fletum et imprecationem audiret; quibus impossibile est deum immortalem adversus nos non commoveri.

Mi Rme. dne. Cum dnus. Goreczki recusaverit canonicatum hunc vacantem metu litium, non potuit melius facere vra. Dtio. Rma., quam de illo nostro Przeborowski providere; audio enim, illum proficere non vulgariter. Dnus. etiam Czasinzki acceptabit contentationem aliquam non gravatim. Me Rme. Dtioni. vre. humiliter commendo. Sandomirie XXII Augusti.

LXIII. P. Tomiczki,

LXIII. P. Tomiczki, Eps. Cracoviensis Vicecancellarius, Chr. Schidlovicio, Pal. et Cap. Cracoviensi Cancellario.

Mgce. dne., dne. et amice honorandissime. Hodie discessit hinc dnus. dux Constantinus rectaque istuc ad Mtem. regiam proficiscitur mansurus cum illa quamdiu necestitas Mtis. sue et Reipublice exposcere videbitur. Postquam non apparent hactenus hostes, de quibus certa significatio paulo ante habebatur, spero in dno. deo, quod hoc anno nos numeroso exercitu non ininfestabunt, a levibus tamen eorum incursionibus erit nobis etiam cavendum. **MDXXIV. Ex cod. mss. bibl. Korn.**

Pater commissarius et provincialis ordinis Francisci, quem subornaveram, ut pertentaret oratorem cesareum, si quid adversus Mtem. regiam egerit in Moscovia, expiscatus est ab eo nonnulla, ex quibus facile conjicere est, illum multa in detrimentum regie Mtis. et dominiorum ipsius egisse ac nomine cesaris sui fedus cum duce Moscovie iniisse, prout hec omnia idem pater commissarius Mti. sue perscripsit, que vre. Mgcie. in adventu istuc dni. ducis Constantini, per quem literas ipsius misi, non erunt incognita.

Hesterno die profectus est in Ungariam Rev. dnus. eps. premisliensis cum dno. castellano plocensi.

Ago et habeo magnas gratias vre. Mgcie. quod ad postulationem meam mandaverit emensurari octo ulnas aree in platea Judeorum doctori Moysi Phischel, et hanc animi propensionem ac benivolentiam ejusdem vre. Mgcie. erga me curabo illi vicissim omni studio et officiis amicitie semper referre. Commendo me ex animo vre. Mgcie. Quam dnus. deus diu sanam et felicem conservet in sua gratia. Datum Cracovie fer. IV. fest. exaltationis S. crucis.

LXIV. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni de Lasko, Archiepo. Gnesnensi.

Rme. in Christo pater et dne. major honorande. Ex literis vre. Rme. Dtionis. cognovi ea, que de conventu futuro indicendo Mtas. regia per literas ab ea querere dignata est, que etiam ab aliis dominis non dissentiens probat, id quod de ipso conventu deliberatum et conventum est. Quod autem vra. Rma. Dtio., denunciata mihi Mtis. sue de synodo futura voluntate, querit a me, quid sit responsura de ipsa synodo, quam sua Mtas. volens conventum precedere, denunciat: nobilitatem harum terrarum, que Leopolim convenerat, cum quadam asseveratione professam esse, nulla se inire velle consilia de futura defensione, nisi ipsa synodus precedens conventum designet ex omnibus capitulis nuncios cum plena facultate una cum eis de defensione consulturos in ipso conventu. Itaque ut vre. Rme. Dtionis. desiderio et rei necessitati quoad possum satisfaciam, dico et censeo, angustiam temporis non passuram esse, ut synodus nostra ante ipsum conventum indici et peragi possit, que de necessitate requirit, ut eam precedant singulis in diocesibus particulares congregationes, que nequaquam in tanta temporis brevitate obiri possunt. Hec est igitur mea et capituli ecclesie mee sententia, ut vra. Rma. Dtio. declarata sue Mti. temporis angustia petat, ut **Cod. R.**

boni

MDXXIV. boni consulere dignetur nec succenseat, quod justa de causa sue voluntati satisfieri non possit. Cum autem in ipso conventu regni constitutum fuerit, ab his, a quibus tota vis defensionis dependet, id quod e Republica futurum erit, nos etiam dabimus operam, ut Reipublice laboranti pro virili parte subveniamus. Bene valeat Ptas. vra. et me habeat commendatum.

LXV. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Petro Kmite de Vissnicze, Marsalco Curie Regie, Scepusien. Coten. Premislien. Capitaneo.

Cod. R. Mgce. dne. amice et affinis charissime. Legi et libenter et diligenter vre. Mgcie. literas, quibus mihi ea significavit, que sub hoc adventu Mtis. regie istic acta sunt, quidve agatur et quid denique expectandum sit, vel timendum potius in hac tanta hominum nostrorum licentia, qua subnixi legem sibi quisque ut libet cuique prescribit, omni cogitatione futurorum eventuum posthabita, ad quos non solum oculorum sed animi potius vires convertende sunt, ut possimus in tanto rerum discrimine rebus nostris ita prospicere, ne, quod omen deus avertat, succumbere cogamur, cum non unius, sed plurium, potentissimorum hostium vires imminere cervicibus nostris videamus. De his autem rebus coram, deo bene volente, latius et melius conferemus.

Postquam perlegi vre. Mgcie. literas, allate sunt mox ad me alie ad reginalem Mtem. scripte, ex quibus id, quod Vojevoda Moldavie de Turcis et Tartaris perscripsit, probe cognovi; et cum in hac nostrorum tumultuatione nihil sit, quod commendare possimus, multa sunt valde improbanda ex adverso. Suscepta est quidem ista ipsa expeditio ad obsistendum hostibus, qui sub nostra proxime estatis ignavia magnam partem regni ferro et igni vastando vires nostras labefactarunt. Quid igitur sperandum est nobis, si iidem hostes, quos in armis esse non est dubium, iterum instabunt et urgebunt nos? Scimus tunc propitia solere esse nobis numina, si bene consulendo et strenue ac fortiter agendo eorum implorantur auxilia. Sed in tanta necessitate nihil agendo, quo ipsi necessitate subveniatur, quid aliud facere debeamus, quam timere, ego certe non video. Attamen non est desperandum de misericordia dei, qui vult orari et emendationem erratorum in nobis requirit.

Suspicor ego, Mtem. regiam, auditis his rebus adversis, non posse tam cito sicuti speravimus istinc decedere, donec aliquid melius dabit deus omnipotens, quod animos nostros anxios et sollicitos aliqua spe futuri boni reficiet et reddet paccatiores.

Ceterum quod ad nostram amicitiam mutuamque benevolentiam attinet, vra. Mgcia. id sibi de me firmiter persuadeat et polliceatur, ut quacunque parte potero, ejus honori et commodis opem ferre, nihil me unquam pretermissurum esse, idque daturum operam, ut non verbis, sed factis amorem meum experiatur. Iterum autem ago et habeo magnas gratias vre. Mgcie., quod clementer et benigne agere voluerit cum servitoribus meis, qui utcunque non a proposito, sed casu infortuno contra eam et servos ejus deliquerint; ego tamen faciam

faciam cum illis id, quod placitum erit eidem vre. Mgcie. et communibus nostris amicis etc. MDXXIV.
Bene valeat Mgcia. vra. et me mutuo amet. Datum Cracovie.

LXVI. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi.

Mgce. dne., dne. et frater honorandissime. Post discessum a nobis vre. Mgcie. tabellarii allate sunt a regia Mte. litere, quibus scribitur, suam Mtam., relicta Jaworow cum exercitu, Leopolim se recepisse. Cernitur sua Mtas. infinitis querelis incolarum illius terre, quibus reliqua pars victus, que post predam per Tartaros abactam supererat, ab his eripitur, qui illuc ad defensionem eorum convenerunt. Qui igitur a vi tutatum venerunt, ipsi vim tam copiosam afferunt, ut maluissent Mtem. regiam non venisse quam se defensorum rapacitati obnoxios esse. Cod. R.

Fuerunt inter nobilitatem per vicos dispersam varie consultationes vel cetus potius ad nescio quas res aggrediendas, quibus hac Leopolim versus profectione facultas prerepta est. Mtas. enim regia decrevit in colle vicino civitati castra metari, quibus clausis non erit tanta audacia ad tractatus noxios publice conveniendi, qui non nisi clam agi consueverunt. Agitur autem inter eos, ut jam ibi constituatur et decernatur, qualis et quibus modis instituenda sit futura defensio, ut omnibus rebus determinatis, designentur aliquot ex omnibus ad futurum conventum mittendi, qui exposita rerum ejusmodi serie apud illos, qui ex terris Polonie conventuri sunt, tandem consentientibus animis concludant id, quod paci et tranquillitati ac inprimis prohibendis futuris periculis a tanta potentia hostili imminentibus, de qua jam omnes non dubitamus, videbitur expedire.

De Turcis et Tartaris varie sunt sententie. Scribunt alii, Turcas trajecto Danubio jam ad ea loca pervenisse, ex quibus facile in terras regni vel Lithuanie irrumpere possent, alii ferunt, eos ad ripas Danubii ab illa parte manere. Tamen utcunque est, non est dubium, eos validum ducere exercitum, sed tamen ad occasionem rei gerende respectum habere. Id ipsum quoque de Tartaris affertur, quos alii propius alii vero longius distare ferunt et numerosum exercitum habere. Non est quidem verisimile Turcas sub hoc hiemis tempus in exercitu diu manere posse, sed de Tartaris major timor ingeritur, quos constat plerumque sevissima hieme in armis versari solitos esse. Non est etiam verisimile, exercitum nostrum diu in illis oris teneri posse, partim propter inopiam victus, partim vero propter querelas eorum, quibus future hiemis aufertur victus, quo et suam et pecorum famem per hiemem eximere possint. Allate sunt etiam litere summi pontificis, quibus in tanto rerum christianarum discrimine denunciat, se velle id agere, quod ipsis pacandis conducere posse videatur, hortaturque Mtem. regiam, ut aliquos ex prelatis regni illuc mittere dignetur, qui ad consultandum his de rebus idonei essent, viri graves, docti et bene morati. Scribitur item ex Italia, imperialem exercitum in Galliam usque Massiliam versus penetrasse, cui obviam regem illum cum ingenti exercitu venire ferunt, et ita constituisse, ut illo profligato Genuam

 petat

MDXXIV. petat. Qui si ibi rerum potietur, toti relique Italie hunc metum incussurum esse, ut eam sit pervasurus et in suam ditionem redacturus. Cujus adventum et regnum neapolitanum ob violentam Hispaniorum dominationem magnopere cupere dicitur. Rex autem ipse Gallie, quia uxore orbatus est, multo erit propensior ad bella illa gerenda, ex quibus sperat se omnia impendia et presentia et futura, que in bellis fecit, recuperaturum esse. Hec sunt, que hoc tempore vre. Mgcie. perscribenda visa sunt, ut quoad fieri possit molestias presentis temporis, ea revolvendo, lenire possit. Posthac quoque quidquid erit scriptu dignum, faciam, ut sine mora sciat et interim bene ac feliciter valeat, ac me more solito fraterno amore prosequatur. Datum Cracovie.

LXVII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi et Capitaneo Majoris Polonie generali.

Cod. R. Mgce. dne., dne. et frater honorandissime. Literas vre. Mgcie. plenas justissimi desiderii in eum Reipublice statum, qui sine ulla controversia legitimus esse deberet, accepi. Fatetur vra. Mgcia. id quod ego quoque semper sensi, quod status nostre Reipublice nulli hostium excursioni obnoxius esset, nisi domestice discordie, vel potius tumultuationes essent impedimento, que omnium malorum, que fiunt, causam prebent. Novi ego semper talibus in rebus Mgcie. vre. animum et consilium, quod ab illorum consiliis nunquam abhorrebat, qui futura incommoda previdentes, ad eas res omnes nervos ingenii sui intendere non dubitabant, ut ea ipsa mala impendentia prohibere et propulsare possemus. Dabit fortasse dominus deus salubrius consilium, quo post tot calamitates consentientibus jam animis omnes id statuere et decernere valeamus, quod sit utile et honestum futurum, qui propter peccata nostra permittit, ut Infideles et hostes ejus sevitiam et crudelitatem in nos exercere possint, semperque vult misereri, si ejus auxilium supplices orare et implorare non desinamus. Quod ad istam invasionem hostilem attinet, de qua nunc timor est gratiaque cujus prohibende Mtas. dni. nostri in Russiam se recepit, nihil certi habeo, quod sim Mgcie. vre. scripturus. Non est quidem dubium, exercitum Turcorum non longe a Danubio ex utraque parte abesse, qui etiam sentiens de hac Mtis. regie profectione substitit, expectans occasionem, id quod proposuit consequendi, tamen si hoc mense se continebit ab invasione, non est verisimile, postea numerosum exercitum in Russiam excursurum esse. Continebit tamen Mtas. regia omnem hunc exercitum, quem et ex equitatu et peditatu collegit, doneć omne tempus suspectum preteribit.

Quod vra. Mgcia. mihi gratias agit, quod non defuerim filie ejus in necessitate, non oportet proinde mihi gratias agere, nam id agens videor facere officium meum, qui et filie et filio vre. Mgcie. cum ex debito ac vinculo sanguinis, tum ob eorum dotes et virtutes, ubi et quoties opus erit, paratus sum omnia facere, que ab amico jure prestari debent. Nihil nunc preterea habeo, quod vre. Mgcie. scribere possim, si quid autem postea venerit, quod sit

sit scriptu dignum, faciam mox vram. Mgciam. de omnibus certiorem. Cui me ex animo commendo et opto, ut cum suis omnibus bene et feliciter valeat. Datum Cracovie etc. MDXXIV.

LXVIII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi.

Mgce. dne. et frater honorandissime. Post has prius scriptas literas, quas cum presentibus vra. Mgcia. accepit, nihil ab ejus Mte. ad nos allatum est, hoc tamen certum est, Mtem. suam, postquam Leopolim venit, mox constituisse, ut exercitum ultra Leopolim aliquot miliaribus promoveret, et ita factum est. Illic enim sua Mtas. et hosti formidolosior est et facilius exercitum instructum et ordinatum intra vallum sive intra currus claudere potest et a damnis patrandis arcere et ad obedientiam redigere, omni letitia repulsa, que audaciam rapine exercende insolentibus hominibus prebet. Cod. R.

Dominus palatinus siradiensis, nudius tertius huc veniens, omnia hec mihi exposuit, que vra. quoque Mgcia. relatione Andree Zakrzewski accepit, hoc solum aliter narravit de rege Galliarum Christianissimo, quod nihil minus cogitat, quam ut perniciosam Luteri sectam sectetur, vult autem hunc rumorem passim, dedita opera, circumferri, quasi velit ejus sectator esse, ut hosti suo caesari Carolo incutiat terrorem, qui multo magis diffidere cogeretur Germanie erranti, postquam crederet, eam tantum tamque potentem asseclam in his luteranis erroribus habere, sed revera sicut nomine, ita est re ipsa, ut dicit dominus palatinus, est rex Christianissimus.

De filia autem regia natu majore id refert: quod rex ipse Gallie vellet eam despondere Scotorum regi, quem ait in sua esset potestate. De aliis quoque matrimoniis ultro citroque contrahendis refert. illius Mtem. Christianissimam in ea sententia esse, ut perficiantur.

Quod ad eum articulum attinet, de quo vra. Mgcia. scribit, multos scilicet nostrates id moliri idque cupere, ut bona ecclesiastica adempta ad usum defensionis convertantur, illos autem id potissimum conari scribit, quibus Luteri errores sunt cordi; ego vero super his rebus cogitando, nil aliud assequi possum, nisi vel eos id meditari et parare, qui decoxerunt bonaque sua abliguriverunt, vel qui inexplebili cupiditate torquentur aliena rapiendi et depredandi sorte sua ob immoderatam vim avaritie non contenti, vel qui sunt et semper fuerunt egestate et inopia constricti, cujus jam tandem pertesi cogitant, quibus modis, quibusque artibus, nulla salutis et honestatis ratione habita, ab hac ipsa perpetua inopia sua se vindicare possint et qui nunquam Reipublice usui fuerunt nec esse possunt. Tamen ego in ea sum sententia, quod religione Christi in hoc regno vigente, per quam stat et stabit, nihil unquam nequitia horum poterit, qui sub pretextu defensionis id cogitant, quod sine controversia rem ipsam publicam funditus esset subversurum. Quorum malitia et hic et in futuro vindictam non evadet, que quanto diutius differtur, ob id differtur, ut resipiscant et in meliorem se frugem recipiant, quandoquidem tarditas vindicte supplicii gravitate compensari solet. Quod autem vra. Mgcia. meminit amoris mei erga se et liberos suos

 ostenditque

MDXXIV. ostenditque id sibi pergratum et perquam jucundum esse, nihil unquam de me vram. Mgciam. in hoc opinio fallet. Cum enim in eo statu sim, ut propriis liberis caream, natura ipsa, mater omnium rerum, ad hoc me impellit, cum sit amor omnibus hominibus a natura inditus, ut alienos saltem amem, propriis carens. Potius autem hi amandi sunt a me, quibus debeo amorem, jure sanguinis id suadente, quorum mores et probitas id postulat et requirit, ut non solum a consanguineis suis, sed etiam ab extraneis, qui virtute prestant, amentur. Bene valeat Mgcia. vra. et me habeat sibi charum et commendatum. Datum Cracovie etc.

LXIX. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. R. Serme. princeps et dne. dne. clementissime. Milites mei mercenarii, quos cum vra. Mte. ad bellum misi, ad me intimarunt, sibi esse mandatum vre. Mtis. nomine, ut singuli eorum starent in propria persona inter ordines terrestres in suo loco, qui eis designaretur ab eo, qui exercitui preerit, credunt autem si ita fieret, ib eis valde grave valdeque difficile fore, nec posse utrique rei satisfacere. Cum autem ego quoque intelligam, non sine magna gravitate id esse futurum, si cogerentur ad hanc bipartitam expeditionem: supplico humiliter Mti. vre., dignetur eam gratiam ipsis impartiri, quam vel aulicis, vel aliis suis mercenariis facere solet in hac ipsa expeditione, ut militiam ex bonis suis debitam simul cum ea militia, ad quam stipe conducti sunt, implere et exercere possint. Si enim hac spe frustrabuntur, quam se me petente consequi credunt, et ego frustra pecuniam impenderem et Mtas. vra. tot se servitoribus utique necessariis in presenti publica necessitate privaret. Gratie vre. Mtis. me commendo, pro cujus felici et incolumi statu cum toto clero deum omnipotentem sedulo oro. Datum Cracovie.

LXX. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Andree Cricio, Epo. Premisliensi.

Cod. R. Reverende. Ago vre. Pti. gratias, quod ea, que vel fiunt istic, vel aliunde afferuntur, mi significare dignatur, nam prope omnes, qui domi sunt ad me recurrunt, ac de successibus rerum moderni temporis a me petunt, quibus et adversa molestiam pariunt et prospera letitiam. Quod attinet ad eas querelas hominum, qui nescio, quo spiritu inflati de me queruntur, quasi ego causa essem, ut decretum conventus piotrkoviensis de bello movendo rescinderetur et irritaretur, ego, quid dicam, quidve agam nescio, cum intelligam, rem non esse facilem, imperitam multitudinem ab his querelis prohibere, quas in omni infelici Reipublice eventu ita invenire antiquitus consueverunt, ut post hominum memoriam nihil unquam

unquam acciderit, quod non alicui horum, qui Reipublice presunt, ascribatur, vel non in MCXXIV. quempiam eorum rejiciatur. Ego non possum cogitatione assequi, quid his de rebus sentiam aliud, quam ea, que fiunt, temporum culpa agi, que semper alterius vicibus succedunt modo secunda, modo vero adversa ubique afferendo.

Ista mea militia, quam misi cum regia Mte., ad me questum misit, quod jussa sit stare inter ordines terrestres eum eo numero equitum, cum quo ex bonis suis merent, hunc autem equitatum, qui est mercenarius, ibi esse velint, ubi prefecti exercitus eum collocarint. Scripsi ego Mti. regie, id intolerabile esse, nec eos utrique rei ullo pacto satisfacere posse, et rogavi, ut ita cum eis agatur, sicuti cum his agitur, qui vel aulici sunt, vel simili ere merent. Vra. vero Ptas. dignetur ad suam Mtem. eos juvare, ut sint voti compotes, qui alioquin referunt in omni sua necessitate ab ea se auxilium et defensionem implorare, nec se spe sua frustrari solere. Ego vero procuratori meo injungam, ut in bonis meis sinat eos vivere, qui si sine alieno incommodo vivere non possunt, ut potius mihi et meis incommodent, quam aliis, qui de me posthac inde sumerent querendi occasionem. Bene valere opto vram. Ptem.

LXXI. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. mi domine. Reddite sunt mihi primulum he litere ex Lublino de illo forte notariatu, Cod. R. pro quo dominus camerarius et ego Rme. Dtioni. vre. in personam patris mei Ozarowski supplicavi, qui cum homo sit provectioris etatis probus, ut fertur ab omnibus, et minime cupidus vel ambitiosus, cum autem iste, pro quo scribitur et juvenis sit, et ejusdem terre judicis rerum suarum studiosi filius, credo justissima ratione priores meas preces potiores apud Rmam. Dtionem. vram. futuras, que omnia recta lance perpendit, et que sciat, dominum Zamoiski fuisse Lublini bene sanum feria sexta ante festum S. Martini et Cracoviam applicare debuisse feria secunda sequenti, que dies est hodie octava.

LXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Laski, Archiepo. Gnesnensi.

Rme in Christo pater et dne. sincere nobis dilecte. Literas vre. Ptis. accepimus, quibus Cod. R. priora sua consilia recensendo iterum suadet, ut, dimisso belli gerendi cum Turcis consilio, quod nec tempori, nec facultati nostre convenire cognoscit, de aliqua saltem temporaria pace cum ipsis Turcis ineunda consilium capiamus. Tenemus quidem memoria in proximis conventibus hac de re summa contentione actum esse et pene ab omnibus consiliariis, consentientibus animis, in eam ventum fuisse sententiam, ut de ipsa pace constituenda qui ageret orator mitteretur. Sed cum ad Sermum. nepotem nostrum ejusque regni consiliarios causam

MDXXIV. causam hanc referremus, mox a sua Mte. et iisdem consiliariis ita impugnari cepta est, ut sit preclusa via nobis aliquid contra vim federum tam recenter factorum de ipsa pace agendi. Commemorat etiam superioribus literis, sibi consultius visum fuisse agendum, ut ante conventum nostrum in Hungariam ivissemus, misso in terras Russie exercitu nobilitatis cum campiductore regni nostri. Non dissentiebamus nos quidem ab ea proficiscendi voluntate et fecissemus satis perquam libenter illius Mtis. desiderio, nisi voluntatem nostram tanta necessitas regni nostri immutare coëgisset. Videbamus enim harum terrarum nobilitatem nequaquam voluntati nostre et Reipublice necessitati astipulaturam esse, ut sine nobis ad bellum profecta esset, aut sine nobis in castris et presidiis terrarum Russie manere voluisset, et nisi ea ipsa re nostra profectio hostilem impetum retardasset et repressisset, quid inde sequutum fuisset, nemo est, qui non intelligat. De nobis autem diversas tragedias a subditis nostris excitandi latus campus fuisset apertus, qui argui potuissemus, quasi ab re nostra multum otii habentes propriis relictis aliena curaremus.

Quod autem ad mittendum nuncium sive oratorem ad sedem apostolicam attinet, de his rebus, que nobis cum Sermo. nepote nostro communes sunt, nondum tempus ejus rei agende venisse videmus. Oratores enim nostri, qui in Ungariam sunt missi, inter alia sibi commissa id etiam a nobis acceperunt in mandatis, ut de hoc bello sive de hac pace per inducias cum Turco facienda aliquid communi consilio constituatur, quorum in reditu et certius et uberius in conventu futuro agi poterit id, quod e Republica visum erit agendum. Bene valeat vra. Ptas.

NEGOTIA HUNGARICA.

LXXIII. Ludovicus, Rex Hungarie, Sigismundo, Regi Polonie.

Serme. princeps, patrue noster charissime atque honorandissime. Proximis literis nostris, quas de re pruthenica ex hoc loco ad vram. Mtem. dedimus, hortabamur eam, ut cum illa controversia aliis atque aliis intervenientibus difficultatibus componi adhuc non potuerit, tempus aliquod certum diffiniretur, quo nos una cum fratre nostro, dno. Ferdinando, archiduce, ac ceteris arbitris, occasionibus dissensionis ac futuri belli inter vram. Mtem. ac Illmum. dnum. magistrum Prussie sublatis et extinctis, optatissimam et saluberrimam toti Christianitati concordiam, juvante deo, conficeremus. Nunc vero diligentius nobiscum reputantes, quanta sit temporum angustia, quanta etiam providentia nobis sit cavendum, ne quid vra. Mtas. habeat impedimenti, quod eam a defensione adversus alios hostes sui regni, vel ab auxilio nobis in hac necessaria contra Turcas expeditione ferendo posset avocare, videmus induciarum non multos jam menses superesse, qui partim parando, partim gerendo cum Turcis bello consumentur, nec interim nobis aut dno. archiduci dabitur otium divertendi ad rem pruthenicam (quod mirifice alioqui desideramus) componendam. Residere autem inter vram. Mtem. et dominum magistrum Prussie aliquam bellorum segetem ac materiam, durante nostro cum Turcis certamine, maximi profecto et ingentis est periculi. Nam et nos eo pacto vre. Mtis. in summa necessitate presidio distitueremur, et hostibus utriusque nostrum major audacia, majores animi accederent. Scimus autem et sumus experti, Mtem. vram. regnorum suorum ac nostrorum salutem eandem semper existimasse. In has ergo temporum et fortune angustias redacti rogamus Mtem. vram., ut induciis inter eam et dictum magistrum Prussie factis aliud quinquennium, aut, si id grave est, triennium vel biennium saltem adjiciat. Quod iisdem adductus necessitatibus Sermus. quoque frater noster, princeps Ferdinandus, magnopere suadet ac desiderat, nec dubitat, quin per nos apud Mtem. vram. possit obtineri, principem religiosum et sanctum, qui semper preclarius putavit vel ipsam vitam atque animam pro defensione fidei, ubi opus esset, tradere, quam autorem esse fundendi sanguinis christiani. Dubium autem non est, quin nostris ac Sermi. dni. archiducis Austrie persuasus consiliis, Illmus. dnus. magister Prussie, ad quem super ea re jam utriusque nostrum date sunt litere, huic honestissimo nostro desiderio libens consentiat. Optamus Mtem. vram. valere felicissimam, cui nos uti patruo amantissimo commendamus. Datum Posonii in festo conversionis beati Pauli apostoli.

MDXXIV.
Cod. R.

 LXXIV. Ludovicus

LXXIV. Ludovicus, Rex Hungarie, Sigismundo, Regi Polonie.

MDXXIV. Cod. R. Serme. etc. Fama, que de Turcarum apparatibus et proposito regni nostri invadendi constantissime et ex omnibus partibus affertur, non minus Mti. vre. quam nobis scimus esse notissimam. Sed ne quid eorum, que nos accepimus, Mtem. vram. lateat: est apud hostes vir strenuus, qui de nostra religione bene sentit regnisque nostris optime consultum iri desiderat magnopere. Hic de Turcarum consiliis solet nobis nunciare certissima. Reddite nobis sunt ab eo litere nudius tertius, quibus premonet nos diligenter, ut hostem, summis viribus regna nostra hoc vere invasurum, parati atque extructi, expectemus. Addit percussum esse fedus inter imperatorem Turcarum et Sophi, Persarum regem, ac miro quodam ac exquisitissimo genere jurisjurandi confirmatum, quin etiam diras quasque execrationes utrinque in ejus, qui prior a conventis atque induciis discederet, perniciem fuisse imprecatos; missum preterea ad Sophi maximum Turcarum cadian (sic illi sacerdotem appellant) qui presens inducias, data et accepta fide adhibitisque aliis ceremoniis, confirmaret. Rogamus Mtem. vram., ut nos et ope et consiliis, que nunquam nobis defuerunt, adjuvet, presertim cum de externis et longinquis suppetiis atque etiam de principum concordia spem habeamus perexiguam. Cras hinc Budam navigare secundo fluvio constituimus, tractaturi cum potioribus regni nostri primatibus de his, que ad regnorum nostrorum defensionem necessaria atque opportuna videbuntur, faciemusque Mtem. vram. de omnibus, que acta et conclusa fuerint, certiorem. Quam valere optamus felicissimam et illi nos uti patruo optimo et amantissimo etiam atque etiam commendamus. Datum Posonii subbato proximo ante dominicam Reminiscere.

LXXV. Ludovicus, Rex Hungarie, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. R. Serme. princeps, patrue noster charissime. Que ad nos Mtas. vra. in negotio pruthenico scripsit intelleximus, et ubi ad consilium regni sui rem hanc rejecit, non ab re a Mte. vra. id factum existimamus. Hoc tantum in presentiarum ab ea petimus: velit, si fieri potest, rem maturare, ut citra longam moram; quod futurum est, intelligere possimus et de eo etiam Sermum. principem Ferdinandum reddere certiorem, qui nobiscum ea una in re paratum se exhibet omnia et curare et facere, que in rem Mtis. vre. et ex ejusdem dignitate fore videbuntur. Ad hujus autem rei curam duo sunt potissimum, que nos movent: primum jus sanguinis, deinde tuende salutis nostre necessitas, nam cum continue operam impendamus ad pacem reducere principes christianos, qui nobis et loco et affinitate remotius distant, multo magis curare nos oportet hanc pacem, que inter Mtem. vram. et dnum. magistrum Prussie desideratur, tum causa communis sanguinis, tum quia Mtas. vestra liberata

liberata hoc bello pruthenico commodius et sua regna contra perfidos Tartaros aliosque hostes suos defendere et nobis, ita ut scit laborantibus, opem ferre poterit. Quas ob res Mtem. vram. iterum atque iterum rogamus: velit se de his rebus tempestive resolvere, ut vel pax, vel inducie saltem longiores inter Mtem. vram. et ipsum magistrum Prussie componi possint. Id quod non nisi salva ejus dignitate salvisque regnorum suorum juribus fore cupimus. Deus omnipotens Mtem. vram. felicissime ad plurimos annos conservet. Datum Bude VII Marcii. MDXXIV.

LXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Friderico, Duci Legnicensi, Capitaneo Slesie.

Illustris princeps et domine, affinis noster charissime. Miramur, ignorare vram. Illtem. ea gravamina easque injurias, quas regnum nostrum hactenus istinc ex Slesia pertulit, quum tamen frequentissime cum per literas, tum etiam per nuncios et oratores nostros egerimus apud Sermum. nepotem nostrum, dominum Ungarie et Bohemie regem, de ipsis injuriis et presertim de moneta swidnicensi sistenda, que sub signis nostris indignissime et cum maxima regni nostri jactura cuditur. Nihil tamen tot postulata et rationes nostre hactenus prodesse potuerunt, que tam regno Ungarie quam Bohemie totique vicinie sunt notissime. Nequeuntes autem subditi nostri ulterius ea gravamina, damna et vilipendium ferre, egerunt nobiscum magna instantia in conventu generali, ut itinera omnia in Slesiam nostris precluderemur, in quo nos illos obaudire diutius non potuimus, sed unanimi voluntate et scientia omnium decreta est ipsa itinerum prohibitio, quam ut publicam et ab omnibus in conventu generali constitutam non possumus jam in aliquo mutare, ne quam nobis apud subditos nostros displicentiam compareamus. Feliciter valeat vra. Illtas. Datum Cracovie VII die mensis Martii. Cod. B.

LXXVII. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, Georgio, Marchioni Brandeburgensi et Friderico, Duci Legnicensi.

Sacra Mtas. regia, Illmi. principes, agit immensas gratias vris. Illmis. Dtionibus de hac cura et sollicitudine, quam gerunt, tum de bono statu Sermi. regis sui et nepotis Mtis. sue regie, tum etiam de sistendo bello et differentia pruthenica. Intelligit enim Mtas. sua vras. Illmas. Dtiones. integerrimo animo et optimo proposito ac studio, tam erga Mtes. istas et regna sua, quam etiam erga commune bonum totius Christianitatis hanc operam facere. Et proinde commendat impense hanc illarum virtutem et vult eam illis omnibus officiis, quibuscunque poterit, semper referre. Cod. B.

MDXXIV. Quod autem Sermum. dnum. Ludovicum regem, nepotem Mtis. sue, attinet, non defuit illi unquam Mtas. sua in omnibus necessitatibus et postulatis ejus, neque in futurum deesse unquam vellet, modo ita succedere posset, ut Mtas. sua cuperet. Habet enim Mtas. sua non minorem curam et sollicitudinem de rebus et bono statu illius Mtis., quam de suo proprio, et propterea curat et curare vult semper illius Mti. et optime consultum iri et illi omnibus viribus suis semper adesse. Verum cum vre. Illme. Dtiones. presertim vra. Illma. Dtio., dne. marchio, ut ille, qui cum Mte. illa sit a longo tempore versata, melius nosse possit, quo pacto status illius refici possit et opportunum factu a Mte. sua videatur, suggerere velit ei id, quod intelligit et Mti. sue consilium suum prebeat.

De negotio pruthenico, quia Mtas. sua id bellum animo invitissimo gessit cum nepote suo et principe christiano, intelligens, quam id non conveniat, cum alias semper tum in his difficillimis temporibus, in quibus vires Infidelium aucte sunt in immensum et res christiana tota turbis et seditionibus intestinis agitatur et in summum vergit discrimen, cuperet ex animo bellum ipsum, cui nullam ex se occasionem dedit, honestis et decentibus mediis componi.

Verum non intelligit, neque licere sibi putat Mtas. sua, quod hos modos et hec media per vras. Illmas. Dtiones. proposita suscipere posset, cum vel pacem perpetuam infringere aut minuere, vel aliquid bonorum alienare, etiamsi vellet, subditi sui nequaquam paterentur, prout ante Thorunii jam sepius vre. Illme. Dtiones audiverunt.

Posset tamen, ut putat Mtas. sua, ad eum modum res componi et transigi, quem vris. Illmis. Dtionibus. Mgcus. dnus. Chr. de Szidlowec, palat. cracoviensis, proposuerat, videlicet: ut Illris. dnus. magister pro eo, quod sit nepos Mtis. sue, prestaret juramentum more consiliariorum regni, commendatores vero ac civitates religionis posterique magistri jurarent juxta formulam pacis perpetue, in qua etiam illi articuli modificarentur, qui Thorunii erant condicti, et ablata utriusque in hoc bello restituerentur, videnturque hec Mti. sue regie et sufficere et tolerabilia esse subditis suis ad ipsam pacem perpetuo firmandam. Alioquin non intelligit, ut aliquibus aliis mediis, que alienationem quempiam bonorum continerent, componi et dirimi hec ipsa differentia possit. Tamen, ne Mtas. sua videretur rejicere et respuere hec, que a vris. Dtionibus. Illmis. proponuntur, referre illa vult ad conventum et consiliaros suos et super his aliquantum deliberare.

Ceterum intellexit Mtas. sua sectam luteranam in Slesia plurimos infecisse, miraturque vehementer, ut cum hec nova sint in ecclesia, necesse est enim semper hereses venire et naviculam Petri fluctuare, cujus tamen fidem promisit Christus nunquam defecturam, miratur, inquam, sua Mtas., quod libeat aliquibus sequi potius dogmata maledica unius apostate, quam capita religionis christiane, quam ecclesiam universalem in tot regnis et dominiis tanto seculo tot sanctis totque conciliis ordinatam et institutam, non intelligentes, turbata religione, turbari necesse esse universa, heresesque esse incitabulum vulgi ad res novas moliendas et ad omnem ordinem omnemque obedientiam sub pretextu libertatis christiane excutiendam., Quod quam ex re sit omnium dominiorum et omnium prefectorum, quilibet intelligere potest et experientia satis declarat. Miratur etiam vehementer Mtas. sua, quod nec edicta Sermi. nepotis sui in hac re prohibenda servantur cum magna indignitate et perpetua nota illius Mtis. si, quod absit, sub ejus regimine et imperio religio illic

illic corrumpi deberet. Unde et ultio divina esset formidanda, si que ecclesie in Slesia destrui deberent, quas predecessores Mtis. sue, reges Polonie, fundarunt et dotaverunt. MDXXIV.

Postulat itaque Mtas. sua a vris. Dtionibus, ut operam suam adhibeant, quo hec pestis ex ipsa Slesia tollatur ac edicta Sermi. regis sui, ut decet, obsequentur cultusque divinus ut a majoribus nostris nobis est relictus, teneatur, et proventus ecclesie integre persolvantur. Quo facient vre. Illtes. rem sua virtute dignam et in his temporibus periculosissimis, in quibus maxime dei favore opus sit, necessariam.

LXXVIII. Ludovicus, Rex Hungarie, Sigismundo, Regi Polonie.

Serme. etc. Ea, que Mtas. vra. de induciis cum Illri. dno magistro Prussie prorogandis ad nos scribit, intelleximus: non videri scilicet omnibus Mtis. vre. consiliariis, eas inducias sincere peti, neque in rem Mtis. vre. futuras existimari, se nihilominus velle hoc negotium suis regnicolis proponere, quos eo potissimum animo ad bellum et castra vocaverit, ut si que necessitas regnis nostris ingrueret, adesse nobis posset. Nos quibus de causis una cum cesarea Mte. et Sermo. fratre nostro, archiduce, has inducias optaverimus prorogari, Mti. vre. aliis literis nostris uberius explicavimus. Nihil enim nos eque monebat, quam ratio temporum. Nam cum vel ad defensionem, vel ad bellum cum Turcis gerendum assidue simus intenti, sitque omnino necessarium, ut hoc ipso aut sequenti anno suscipiamus in hostem expeditionem, otium non suppetit, quo convenire et istas controversias ante exitum induciarum componere possimus, implicari autem his temporibus Mtem. vram. bello pruthenico et regnis nostris et universe Christianitati foret perniciosissimum, que alioqui intestinis ceterorum principum contentionibus et bellis vehementissime laborat. Dominus etiam magister Prussie, quantum ex ejus literis et nunciis licet conjicere, non aliis quam nos ipsi rationibus ad has diuturniores inducias adjecit animum. Si quid etiam interim hostile (quod nobis persuadere non possumus) meditaretur, modo prorogentur inducie, speramus nos, deo aspirante, una cum ceteris dominis arbitris tale remedium inventuros, ut et veteres controversie sopiantur et omnes novi belli occasiones tolli penitus possint. Rogamus itaque Mtem. vram., ne gravetur ad has una cum suis regnicolis inducias longiores accedere. Quam primum autem vre. Mtis. animum hac de re habuerimus exploratum, de loco ac tempore conventus una cum aliis dominis arbitris vram. Mtem. et dnum. magistrum Prussie faciemus certiores. Quod autem regni nostri defensio tante cure est Mti. vre., ut ejus rei causa in Russiam se contulerit castraque istic posuerit, magnas gratias agimus multumque nos, tum hoc nomine, tum ob alia innumera pietatis sue erga nos officia Mti. vre. nos debere profitemur. Cui omnibus in rebus pares vices referre studebimus eamque valere optamus felicissimam. Datum Bude XIII die Maji. Cod. R.

LXXIX.

LXXIX. Ferdinandus, Archidux Austrie, Ludovico, Hungarie et Bohemie Regi.

MDXXIV. Cod. K. Serme. princeps, dne. et sororine noster colendissime. Cum his proximis diebus mente et animo nostro cogitaverimus inter tot hujus temporis perturbationes et principum christianorum dissidia maximum discrimen et periculum toti Christianitati et presertim regnis Sertis. vre. et dominiis nostris imminere, nisi rebus et negotiis inter Sermum. Polonie regem, dnum. et avunculum nostrum colendissimum, et Rev. Magnum magistrum Pruthenorum vertentibus, opportune consulatur, ut sepius etiam et quam pluribus literis nostris Serti. vre. denunciavimus, hic cum Rmo. dno. cardinali et archiepo. Salczburgensi, tanquam uno ex compromissariis, accurate hac de re tractavimus, quem apprime inclinatum et affectum reperimus, et disserentes invicem de modo et via prefatos principes componendi et inter eos aliquam firmam et stabilem pacem stabiliendi, consultavimus, et non postuimus excogitare magis salubre et conveniens iter, quam ut invicem nos omnes compromissarii conveniremus. Et cum ejusmodi res longam moram pati non possit, existimavimus pro omnibus nobis commodum et idoneum tempus existere ad quintam decimam diem post festum beati Michaelis proxime futuri; ad quod tempus etiam intelleximus, Illmum. ducem Georgium Saxonie eniti velle adesse, et ita unanimiter studeremus, inter ipsum regem Polonie et Magnum magistrum Pruthenorum aliquam firmam et perpetuam concordiam seu pacem stabilire et ratificari, ut ejusmodi eorum discordiis sedatis eo audacius et majori fundamento ac viribus arma nostra deinde adversus Christi nostrosque communes hostes convertere possimus. Iccirco duximus Sertem. vram. his nostris plurimum hortandam et studiosius rogandam, velit quoque ejusmodi rem cordi suscipere et scribere prefato Sermo. regi Polonie eumque hortari, se facilem ac benignum ad tam pium et sanctum opus totique Christianitati maxime necessarium reddat, et cum prefatus cardinalis et dux et, ut speramus, etiam Sertas. vra. et nos parati simus tempore, quo supra, simul convenire, dignetur etiam Sertas. sua ad prefatum tempus post S. Michaelem se ad conventum nostrum ejusmodi recipere et illico animum suum in hoc significare, et Sertas. vra. decernat et constituat aliquem locum conventus, ut sibi magis opportunum et conveniens visum fuerit, et nos quam primum super his de mente et deliberatione Sermi. Polonie regis et sua non gravetur certiores facere, quo nos resque nostras eo commodius ad ejusmodi conventum disponere valeamus. Si autem nos, vel prefatus dnus. Rmus. cardinalis, aut Illmus. dux Saxonie aliquibus aliis majoribus et magis nos urgentibus negotiis et necessitatibus impliciti essemus, ut nullo pacto ejusmodi conventui interesse possemus, quod tamen non credimus et toto conatu nostro, ut intersimus, enitemur, decrevimus tali casu nostros commissarios, viros dignos et idoneos, ad hoc plenam et omnimodam auctoritatem et potestatem habentes, ac si nosmet presentes essemus, destinare, ut nomine nostro studeant et omnem operam dent ejusmodi paci et federi, utque perpetua pax et concordia inter eos firmetur et concludatur. Que si subsequi et aliquem bonum effectum sortiri non poterit, tum summopere et omnino necessarium erit, ut inducie et treuge saltem ad tres vel quinque annos pro tranquillitate

tranquillitate et quiete totius Christianitatis et regnorum et dominiorum omnium nostrorum differantur et prorogentur. De quibus omnibus commisimus Mgco. spectabili sincere et fideli nobis dilecto Joanni Snapek, baroni in Schoenkirchen, cesaree et catholice Mtis., dni. et fratris colendissimi, consiliario et oratori, Sertem. vram. oretenus alloquatur, a qua responsum expectamus eamque felicissime valere optamus. Datum Ratisbone d. VII. mensis Julii. MDXXIV.

LXXX. Ludovicus, Rex Hungarie, Sigismundo, Regi Polonie.

Serme. princeps, patrue noster charissime. His diebus ad nos literas dedit Sermus. archidux Austrie, frater et sororius noster charissimus, quibus significat de negotio pruthenico se multa tractasse cum Rmo. dno. cardinali Salczburgensi et Illmo. duce Saxonie, qui cum cesarea Mte. et nobiscum judices in hac causa sunt electi, et ita ipsis visum fuisse scribit, ut ad quintum decimum diem a festo S. Michaelis, archangeli, in eo loco, qui Mti. vre. et nobis commodior videretur, conveniremus, atque huic negotio vel per pacem perpetuam vel saltem per inducias aliquot annorum finem imponeremus; multisque de causis rem hanc non esse differendam, maxime cum inducie inter Mtem. vram. et Illmum. magistrum Prussie facte paucos post menses expirature sint. Asserunt preterea Mtem. vram. ex vi compromissi stare debere huic judicio arbitrativo in termino, quem judices ipsi elegerint. Que omnia Mtas. vra. ex literarum prefati archiducis exemplo presentibus incluso clarius intelliget. Quare Mtem. vram. rogamus: velit nobis quam primum significare, quid in ea re factura sit, consulatque nobis, quid nos quoque archiduci respondere debeamus. Nos enim si rerum nostrarum et temporis ratio patietur, nihil quod ad eam rem pertinebit, negligemus, sed in his omnibus consilium Mtis. vre. expectabimus. Datum Bude XVIII Julii. Cod. R.

LXXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie et Bohemie.

Serme. princeps. Lectis vre. Mtis. literis cum exemplo literarum Sermi. dni. Ferdinandi, archiducis Austrie, cognovimus, quanta cura, quantoque studio sua Sertas. apud vram. Mtem. agat, quo nos admoneat, ut jam tandem deliberandum constituamus et diem et locum, ad quem sit conveniendum dnis. arbitris, qui cogrituri sunt inter nos et Illmum. dnum. Prussie magistrum controversiarum causas et reducturi eas, vel ad pacem perpetuam, vel, si fieri non possit, saltem ad aliquam temporariam pacis conditionem per modum induciarum, nominatim autem quintum decimum post festum S. Michaelis futurum designavit. Adjecit etiam iisdem literis, istam ipsam nostram cum magistro discordiam magnum afferre impedimentum et discrimen rebus christianis et communibus regnis nostris, que magna Infidelium mole premuntur et continue infestantur. Tenemus memoria ita inter Cod. R.

nos

MDXXIV. nos convenisse et constitutum esse, ut sub hoc induciarum tempore, quarum finis jam adventat, de hac ipsa concordia per ipsos dnos. arbitros ageretur et profecto nobis esset cordi id jam aggredi, quod post qualescunque dilationes aliquando futurum et ut fiat perquam necessarium est. Sed quod vra. Mtas. jam non ignorat, tot sunt impedimenta, tot bellici strepitus, qui non solum facultatem ejus rei cogitande preripiunt, sed etiam nos cogunt, ut omnibus aliis rebus posthabitis, in hoc toto pectore incumbamus, ut eorum hostium vim et impetum, quos communes ipse Sermus. dnus. Ferdinandus appellat, qui magnis eorum viribus in terras regni nostri feruntur, aliis festina pace fruentibus, reprimamus. Inest preterea huic rei gerende ista difficultas, quod postquam constitutum est inter nos de hac arbitraria pace, duo partium nostrarum arbitri e vita sublati sunt, quos autem in locum eorum sufficere velimus, nondum satis exploratum habemus. Deficientibus itaque his arbitris si vel sic pacisceremur, quod non videtur, ut reliquorum consensioni et voluntati stare debeamus, fieri nequit, ut penes alterius partis arbitros sit facultas, nobis viam et modum prescribendi, quo sit res ipsa transigenda. Rogamus igitur plurimum Mtem. vram., dignetur Sermo. dno. archiduci Austrie tot impedimentorum nostrorum seriem ita explicare, ut cognoscat, non voluntate sed necessitate nos in aliud tempus cemmodius ejus actionis facultatem differe, de qua cum senatu regni nostri in futuro conventu agemus et id, quod inter tot difficultates undique nos urgentes constituere et decernere poterimus ad eam perficiendam Mtem. vram. posthac literis nostris certiorem faciemus. Quam optamus bene et feliciter valere, et cui nos ex corde commendamus. Datum.

LXXXII. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. R. Serme. princeps, patrue noster charissime. Maximis et gravissimis causis adducti optavimus jam pridem, ut vra. Mtas. aliquo loco idoneo nobiscum conveniret, non solum ut jucundissimo et optatissimo ejus adventu frueremur, sed ut de summa rerum nostrarum cum ea consultaremus atque in hac nostra adolescentia omnem regni nostri moderandi, tuendi ac stabiliendi rationem sapientissimis consiliis institutis ac monitis Mtis. vre. perciperemus, qua de re licet Mtas. vra. nondum responderit, speramus tamen pro sua pietate et amore, quo nos ab ipsis incunabulis amplecti ac fovere non destitit, hujus quoque desiderii compotes nos indubitanter suo tempore efficiet. Ceterum dum essemus in hac spe et expectatione opportuni congressus nostri, generalem conventum, qui ex regni nostri consuetudine pro festo beati Georgii martyris celebrari debuit, distulimus, eum vero, regnicolis nostris flagitantibus, ad proximum festum nativitatis beatissime Marie virginis, indiximus celebrandum; varios enim motus quorundam quotidie audiebamus, qui ex dilatione conventus nostri generalis arrepta occasione aliis atque aliis in locis cetus et conventicula partialia facere contendebant. Ex qua quidem sententia nondum omnes sunt depulsi, quamvis de conventu generali per nos indicto facti jam sint certiores. Quid sibi velint, ad hunc diem exacte intelligere

intelligere non potuimus. Intelligere quoque non possumus, quid boni vel nobis vel regnis nostris hec conventicula affere possint. Hec cum ita se habeant, rogamus Mtem. vram. (que nullis unquam nostris rebus defuit) non gravetur ad hunc conventum regni nostri Hungarie mittere oratorem suum verum, auctoritate et prudentia gravem, qui nomine vre. Mtis. res nostras, que occurrent, presentia et consilio suo possit adjuvare. Quod si majora negotia Mgcum. dnum. Christophorum de Szydlowyecz, capitaneum cracoviensem, supremum regni sui cancellarium, ad id tempus domi occupatum non habuerint, ei maxime hanc provinciam optamus demandari. Verum si ipse abesse tantisper a latere et negotiis vre. Mtis. nequiverit, contenti erimus, ut is, quem rogatu nostro vra. Mtas. ad festum beati Bartholomei, apli., ad nos pro rebus moravicis missura est, usque ad conventum predictum apud nos se contineat. Optamus vram. Mtem. valere felicissimam, cui nos et nostra omnia, uti patruo ac parenti nostro charissimo, etiam atque etiam unice commendamus. Bude VIII Augusti. MDXXIV.

LXXXIII. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie.

Serme. princeps, patrue noster charissime. Difficultates, que diuturnum inter vram. Mtem. ac Illmum. magistrum Prussie faciende concordie desiderium nostrum impediunt, sunt nobis profecto, ut esse debent, molestissime. Nam cum prosperum et tranquillum statum regnis Mtis. vre. eque ac nostris semper optaverimus, dolemus vehementer, eo rem esse adductam, ut cum nos belli pruthenici causas omni studio conamur precidere, vra. Mtas. in aliud contra Turcas ac Tartaros bellum ad arcendos illorum hostium impetus trahatur. Huc noster spectabat animus, quoties una cum Sermo. fratre nostro archiduce apud vram. Mtem. pro tempore ac loco, quo de tollendis controversiis pruthenicis ageretur, constituendo tam diligenter institimus; videbamus enim maxime difficile, incommodum ac perniciosum fore, si duabus tribusve expeditionibus eodem tempore vra. Mtas. implicaretur. Hec eadem causa nunc quoque precipue nos impellit, ut Mtem. vram. rogemus: ut cum pacte in quinquennium inducie non multis post diebus ad exitum pervenient, licet tot tantisque difficultatibus in presens sit impedita, ut de die, quo arbitri convenire debeant, non possit forsitan decernere, consentiat saltem Mtas vra., ut induciis superioribus antequam exeant, annus adjiciatur. Interim vero, si ita vre. Mti. visum fuerit, in demortuorum quoque locum novi arbitri surrogabuntur et alia, que ad future concordie tractatus opportuna videbuntur, commodius cum investigari tum inveniri poterunt. Ad quam quidem rem vre. Mti. suadendam preter eam causam, quam superius commemoravimus, rerum etiam nostrarum et totius Christianitatis misera et calamitosa conditio nos inducit. Optamus Mtem. vram. valere felicissimam, cui nos, uti patruo amantissimo, etiam atque etiam commendamus. Datum Bude, ultimo mensis Augusti. Cod. R.

LXXXIV.

LXXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie et Bohemie.

MDXXIV. Cod. R. Serme. Cubicularius noster binas nobis literas a Mte. vra. retulit, quarum alteris dilationem termini in causa bohemica, ut postulavimus, declarat, alteris optat a nobis, ut inducias cum Illri. magistro Prussie prorogemus. De dilatione termini agimus plurimas gratias Mti. vre., quod consilio et postulatis nostris annuerit; cogitabimus vero interim, quo pacto in ea re sit a nobis Mti. vre. quam optime consultum si quidem hoc adversissimo tempore nihil magis expedire arbitramur Mti. vre., quam, cum foris turbe et difficultates immineant, domi omnia unita sint et quieta, ut tanto commodius Mtas. vra. suos subditos ad opitulandum sibi inducere possit.

De prorogandis induciis non est nobis integrum, ut quicquam in presens Mti. vre. respondeamus; res enim hec non adeo ad nos, quam ad universum regnum nostrum attinet. Verum tametsi hoc agat magister Prussie, ut hisce dilationibus se a debito nobis prestando sensim subtrahat et hi principes, qui utrumque nostrum ad ejusmodi pacem et inducias causa rei christiane cohortantur, id curant, ut nos solos communi discrimini obices faciant, cum ipsi interim sine fine pro alienis juribus inter se decertent et nihil minus pensi habeant quam nostrum et commune rei christiane discrimen, nos tamen consultis consiliariis et regnicolis nostris, quicquid in ea re constituerimus, alio tempore Mti. vre. declarare curabimus. Que felicissime valeat et nos diligat. Datum.

LXXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie etc.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Retulimus ad consiliaros nostros, ut nos facturos Mti. vre. dudum scripsimus, hoc, quod a nobis postulavit de induciis cum Illri. dno. magistro Prussie prorogandis. Non visum est singulatim omnibus ut id faciamus, cum experientia didicerimus, ejuscemodi inducias non alio fieri, quam ad vires instaurandas et bellum acrius restituendum. Nos etiam ex his, que per hoc tempus ipse dnus. magister quesivit et molitus est adversus nos apud omnes vicinos principes non intelligimus, quod alio animo nobiscum inducias produceret, quam ut interim ad bellum se disponere posset; nulla enim ex re pacis et concordie indicia prebet. Utcunque est, quia nunc ea potissimum causa universum regnum nostrum ad bellum movimus et castra in Russia metiemur, ut Mti. vre., si qua illi necessitas ingruerit, adesse possemus, illic omnibus regnicolis simul existentibus ingeremus adhuc hoc ipsum negotium induciarum, et si quid aliud illis visum fuerit, vre. Mti. posthac significabimus. Que felicissime valeat et nos diligat.*

LXXXVI.

LXXXVI. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater etc. Allate fuerunt nuper litere a Sermo. dno. rege Hungarie, quibus postulat mitti ad conventum regni sui Hungarie, pro festo Nativitatis S. Marie designatum et futurum turbulentum, oratorem, nominatim dnum. palatinum cracoviensem vel alium, qui turbas illas sciret et posset nomine hujus Mtis. componere. Quia vero non visum est Mti. sue, dimittere nunc a se aliquem ex secularibus dominis, me illuc protruserunt cum collega dno. Wytwyenski. Exeo igitur hinc hodie et die Veneris proximo istic apud Rmam. Dtionem. vram. constituar. Scire autem dignetur, significatum esse de hostibus cum tormentis bellicis venientibus, unde coguntur gentes omnes ad locum unum, quo et Mtas. regia proficiscetur. Timendum est, ne hostes preoccupent et discrimen aliquod sequatur. De his et aliis coram latius. Me Rme. Dtioni. vre. humillime commendo. Sandomirie penultima Augusti. MDXXIV. Cod. R. et K.

Andreas Cricius, epus. premisliensis, et Joannes Wytwyenski, castellanus plocensis, legati a rege in Hungariam missi, Cracovia exierunt XIII Septbris.

LXXXVII. Andreas Cricius, Epus. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne., dne. benefactor gratiosissime. Hodie primum dnus. Carolus dedit mihi fasciculum literarum a Rma. Dtione. vra. et quum illum resolvissem, non reperi binas credentiales literas ad dnum. epum. quinqueecclesiensem et nuncios principis Ferdinandi, quas, credo, vra. Rma. Ptas. oblita est in illa celeritate mandare scribere. Supplico illi humiliter, eas nobis mittere dignetur vel per nuncios domini Michael Spis vel per dominum Felicem Langkjurga, qui nos cito sequi debet, nam dominus castellanus plocensis dicit, eas nobis summe necessarias futuras. Me Rme. Dtioni. vre. humillime commendo, quam diutissime sospitem et felicem valere desidero. Ex Oswyączim die XIIII Septbris. Cod. R.

LXXXVIII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne., dne. benefactor gratiosissime. Quod cesaris orator confessus est coram patre commissario, id ego priusquam in Moscoviam discesserat pro comperto habui, quod videlicet hec in nostros fabricata est machina muros. De hac re ex Buda scribam aliquid Rme. Dtioni. vre. resolutius. Quod vero in castris nostris turba sit et Cod. R.

confusio,

MDXXIV. confusio, id fore mecum augurabar, sciens quod presente principe non minus ex prefectis dependerent omnia, quam absente, ac ea causa nunquam fuit mea sententia, ut Mtas. sua illuc profecta esset, edoctus ex prioribus bellis, quid presentia regia possit absque prefectorum officio et diligentia debita, quod illi, qui mecum diversum sentiebant et mecum contendebant, aliter res preteritas in Russia succedere oportuisse presentia regia, nunc fortasse cognoscent, sine bonis instrumentis bonum artificem esse non posse. Ego gratia dei salvus hactenus et incolumis proficiscor continuatis itineribus. Ex Hungaria varii varia referunt, alii conventum jam agi ceptum et palatinatum regni illi exautorato restitutum. Alii vero regnum totum tumultuari et nolle regnicolas, nisi septem miliaribus a Buda conventum agere. De his omnibus clarius perendie Tranczinij edocebimnr, ac quicquid intellexero per omnem occasionem Rme. Dtioni. vre. semper scribere curabo. Cujus gratie me humiliter commendo. Datum in Myedzyrzecz d. XIX Septembris.

LXXXIX. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. R. Rme. in Christo pater et dne., dne. benefactor gratiosissime. Veni huc gratia dei salvus et incolumis, inveni tantam rerum omnium confusionem et turbulentiam, ut pre his nostre felices videantur. Regnicole tumultuati acriter in Germanos et malum regimen confectisque durissimis articulis discesserunt, quos moderati sunt quidem domini, nunciis assentientibus. Tamen quia a Mte. regia et reginali non sunt suscepti, omnia manent infecta, et timetur de alio conventu et motu perniciosissimo. Bohemi et Moravi scissi in sese totis diebus nos suis altercationibus distinent, interim Turcus arces alias capit, alias oppugnat. Mtas. regia et reginalis solatiis incumbunt, quibus et aliis omnibus videor non ingratus exhibenturque mihi et impense sufficientes et honos supra alios oratores. Quid erit in posterum nescio. Rmus. dnus. Strigoniensis cogitur omnia in his turbis per cuniculos agere nosque omnibus rebus pretendit. Tanta est enim hic autoritas et gratia dni. nostri, ut nesciam, an ullius unquam major fuerit. Egi privatim cum ipso dno. Strigoniensi super defensione, ut doceret, quo pacto tot et tanti hostes per hec sola regna jam attrita propulsari possent, vel constitueret tandem aliquid de conservandis regnis ipsis, quod opportunum foret. Visum est ei, ut publice hanc exhortationem facerem, cum Mtas. regia super defensione propositionem fieri mandaret, quod hesterno die feci, subjunxique, nolle Mtem. dni. nostri diutius in his incertitudinibus et spe vana pendere, proinde nos certiores redderent, quo pacto Mtem. suam redeuntes de ipsorum sententia resolvere possemus. Erat itaque super hac re consultatio, et ut olfacio, sequentur omnes consilium de induciis ineundis. Sed posthac omnia abunde describam. Me interim gratie Rme. Dtionis. vre. ex corde commendo. Bude VI. Octobris.

Nuncius apostolicus hunc fasciculum suum ad vram. Rmam. Dtionem. eo die, quo huc veni, mihi dedit, sed non erat per quem mitterem. Suggerat, rogo, Mti. regie, ut aliquem nostratem ad episcopatum Prabutcensem presentet. Id enim pontifex expectat.

Appendix

Rme. mi dne. Tres articuli fuerunt, in quibus communitas cum rege et consiliariis non potuit convenire: primus erat de oratore cesaris et externis omnibus preter subditos regios et Polonos excludendis, secundus de moneta non cudenda, tertius de gentibus aliqualiter servandis per dominos seculares a novis et aliis proventibus, quemadmodum spirituales servant a censibus et decimis. Nunc autem intellecta duarum arcium amissione Pecz et Orssawa, convenit in arce magna communitatis multitudo, exigentes, ut jam re ipsa provisio fieret et arx Serverini, que oppugnatur, defenderetur, alioqui se perire nolle, sed velle sibi providere et de his, qui causa sunt malorum, supplicium sumere et alia multa horrenda protulerunt. Quid ad hoc illis respondebitur nescio. Dnus. Strigoniensis promittit nos cito absolvere. Atque ita coram de omnibus. Rogo has literas regias mittere vra. Rma. Dtio. quam celerius dignetur. Potest illas aperire, sed hec summa est omnium, que vre. Rme. Dtioni. scripsi. Similiter et alias literas ad curiam, cui attinent, consignare et mittere dignetur.

XC. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne. etc. Detinemur hic hactenus, nec scio, quo pacto nos hinc evolare debeamus. Supervenit huc magister Prussie causamque adventus sui prefatus, ut hec Mtas. cum Sermo principe Ferdinando prefigerent terminum sibi et Mti. dni. nostri juxta vim compromissi. Nescio, quid aliud secretius moliuntur. Nos curavimus, ut nullus honor illi exhibitus esset, et ne aliqua in re voti compos efficiatur, curabimus. Vult quedam nobiscum tractare de concordia. Quod si fiet, dabimus illi pro rei opportunitate responsum. Et si intra triduum, ut nobis promittitur, non absolvemur, scribam omnia in quibus constituerimus, accurate. Cod. R.

Hesterno die sparsus hic fuit rumor per quendam, qui istinc venit, dnum. palatinum Craccoviensem in castris occisum, et mox is rumor totam urbem implevit vixque eum, fictis ex Polonia literis, sedavimus. Et magnam nobis profecto nugigerulus iste molestiam attulerat. Plura per hunc nuncium non satis certum scribere non est visum. Me Rme. Dtioni. vre. humiliter commendo. Bude fer. III ante Simonis et Jude.

XCI. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. etc. Redeo tandem gratia dei salvus et incolumis, reliqui Ungariam, sedato paululum, ut prius scripsi, tumultu populari, quem cum promissis satisfactum non sit et hostes ex Cod. R.

Severino

MDXXIV. Severino continuo excurrant ruatque Croatia, nemo dubitat, rursus brevi erupturum ingensque aliquod malum pariturum.

Turbas bohemicas et moravicas satis ex usu composuimus; in negotiis vero nostris longe diversa fecimus ab his, que prius agebantur, presertim de induciis cum hoste et conventu regum, que quorsum et quibus technis cudebantur omnia abunde didici. Ventitabant enim ad me summates plerique, ex quibus cum causas eorum malorum, de quibus mecum querebant et quibus remediis opus censerent, percontatus essem, plurima, que latebant, secreto comperi. De quibus coram abunde.

In re pruthenica fecimus etiam ea, in quibus erit mature deliberandum. Dnus. magister etiamsi spem vultu simulet, premitur tamen summa egestate et ere alieno speque omni subsidiorum destitutus pacem appetere videtur. Quem cum initio colloquiumque ipsius negligebamus, ipse nobis abblandiri cepit et se Mti. regie commendari postulavit, sicque inter nos quasi amici discessum est. Sed de his et aliis coram. Me interim gratie Rme. Dtionis. vre. humiliter commendo. Ex Ostrawa die S. Martini.

XCII. Sigismundus, Rex Polonie, Archiepo. Strigoniensi.

Cod. R. Rediens istinc ad nos Rdus. dnus. Andreas Cricius, epus. premisliensis, narravit nobis, quam consistat istic tota bona spes in consilio et auctoritate vre. Ptis., quantamque illa erga nos propensionem animi et fidem exhibeat; ostendit et notulas quasdam ad ea, que opportuna fuerint secretius ultra citroque scribenda. Nos, qui plurimi solliciti sumus de statu Sermi. dni. nepotis nostri et regnorum suorum, gavisi sumus, ejus Mtem. talem consiliarium et nos amicum habere, qui et velit et possit labentibus rebus quam optime consultum iri, nobisque idem agentibus pro virili adesse. Rogamus itaque vram. Ptem. omni studio, ut eam mentem et benivolentiam in nos perpetuo retinere velit, quodque ad bonum statum regis et patrie sue una cum aliis fidelibus aggressa est, diligenter et mature exequi curet. Cui nos ulla in parte nolumus deesse. Poterit autem semper et tuto omnia ipsi domino episcopo premisliensi scribere, que opportuna fuerint, qui et aderit semper nobis et vicissim, que ex nobis vra. Ptas. desiderabit, vel nos significari illi voluerimus, ipse perscribet. Feliciter valeat vra. Dtio. Rma. et nos diligat.

XCIII. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. R. Serme. princeps, patrue noster charissime. Scripte jam et obsignate erant alie litere nostre, quas de prorogandis induciis ad vram. Mtem. dedimus, cum Illris. dnus. magister Prussie supervenit nosque magnopere est presentibus oratoribus Mtis. vre. cohortatus, ut ad eas, que

que inter vram. Mtem. atque ipsum intercedunt, controversias ex forma compromissi MDXXIV. una cum Sermo. principe Ferdinando et arbitris utrinque adjunctis ac in demortuorum locum adjungendis, cognoscendas, jam nunc tempus ac locum designaremus. Quamvis igitur graves ac pene inextricabiles cure ac negotia regnorum nostrorum nos undique hoc tempore impediant, ne tamen per nos stetisse videatur, quominus hec tanta lis dirimi et desiderata tot annis concordia inter Mtem. vram. et magistrum Prussie firmari potuerint, visum nobis est, ut ad proximum festum Epiphaniarum domini Rmus. dnus. cardinalis Salczburgensis ac Illris. Saxonie dux, quos idem princeps Ferdinandus arbitros sibi adjunctos habet, cum iis, quos consensu vre. Mtis. in locum Rmorum. Thome, cardinalis, et Georgii, archiepi. Strigoniensis, substituemus, Posoniam conveniant. Mittantur Mtis. vre. et ipsius magistri Prussie oratores cum mandatis et facultate amplissima, cum quibus liceat secundum formam compromissi tractari et concludi, aut saltem de prorogandis induciis agi. Et si quid tale inter tractatus occurrerit, quod nostram et ejusdem dni. archiducis presentiam videatur exposcere, etiam nos atque ipse princeps Ferdinandus illuc nos metipsos conferamus. Hortati sumus ipsum principem Ferdinandum, ut omni, quo poterit, studio et auctoritate perficiat, ut iidem dni. Salczburgensis et dux Saxonie ad constitutum diem Posonium venire non graventur, vramque Mtem. hortamur et rogamus, ut oratores suos cum mandato et facultate velit in tempore expedire. Nam quod ad magistrum Prussie pertinet, aut se venturum, aut oratores suos missurum coram recepit et spopondit. Habemus autem, si vre. Mti. libitum fuerit, Rmum. dnum. Ladislaum archiepum., primatem Hungarie, supremum cancellarium nostrum, et magnificum comitem, Ambrosium Sarkan, judicem curie nostre, viros prudentissimos et amicos veritatis, Mtis. autem vre. servitores obsequentissimos, quos in demortuorum locum commodissime surrogemus, aut quosvis ex subditis nostris alios, qui Mti. vre. videbuntur. Hec quamvis hortatu etiam Sermi. dni. archiducis ita a nobis decreta sint ac constituta, longe tamen erit, sive temporis, sive communium rerum conditionem et statum spectemus, consultius, ut Mtas. vra. sicuti per alias literas nostras optavimus, ad inducias diuturniores consentiat. Quicquid tamen constituerit, rogamus, ut nos in tempore certiores velit efficere. Fusius pluribusque verbis hec et alia, quibus tractandis et decernendis interfuerunt, explicabunt nostro nomine vre. Mti. Rdus. dnus. Andreas Cricius, eps. premisliensis, et Mgcus. dnus. Joannes Wytwyenski, castellanus plocensis, oratores sui. Agimus autem maximas gratias Mti. vre., quod eos vel in tantis occupationibus mittere ad nos voluerit, fuerunt enim nobis in multis rebus adjumenta nihilque ab eis est pretermissum, quod ad oratores graves, prudentes, fideles atque industrios pertinet. Optamus vram. Mtem. valere felicissimam, cui nos et omnia nostra plurimum commendamus. Datum Bude III Novembris.

XCIV. Ludovicus

XCIV. Ludovicus, Rex Hungarie etc. Sigismundo, Regi Polonie.

MDXXIV. Cod. R. Serme. princeps, patrue noster charissime. Jam vram. Mtem. ex suis oratoribus et ex literis nostris intellexisse non dubitamus, quid fuerit per nos superioribus diebus presentibus prefatis vre. Mtis. oratoribus et Rdo. ac Illmo. etiam magistro Prussie presente in causa pruthenica constitutum, ut videlicet ad diem Epiphaniarum dni. in civitate nostra Posoniensi pro revisione ipsius negotii per eos, qui hujusmodi cause interesse debebunt, conveniretur. Qua de re accepimus nunc a Sermo. etiam principe Ferdinando, archiduce Austrie, fratre ac sororino nostro charissimo, literas, in quibus significat nobis, sese et terminum et locum a nobis prefixum acceptasse et se quoque ipsum, ut hujusmodi revisioni personaliter interesse possit, daturum omnem operam, id quod eum vre. etiam Mti. in his suis literis, quas cum his, ad eam mittimus, perscripsisse non dubitamus. Quemadmodum igitur et antea sumus hortati vram. Mtem., ita et nunc hortamur, ut pro sua etiam et regnorum subditorumque suorum ulteriori quiete nolit terminum hujusmodi ullo pacto negligere, velitque oratoribus suis ad hujusmodi conventum venturis eam dare facultatem et instructionem, ut res hec omnino componi possit. Quod propterea vre. Mti. faciendum consulimus et eandem ad id tam diligenter hortamur, quia non ignoramus, quantum nunc presertim rebus tam nostris quam vre. Mtis. in tanto discrimine positis et tota christiana republica in tanto rerum turbine constituta conducat, vram. Mtem. cum illo principe suo, alioquin nepote pacem potius habere, quam bellum ac discordiam. Nos ita ejusmodi pacis ac concordie sumus cupidi, et si res id expostulare videbitur, et si negotia, que nobis nunc gravissima undique incumbunt, pati poterunt, ipsi etiam personaliter hujusmodi conventui interesse velimus. Quod si fieri nullo modo posset, missuri tamen sumus dnos. compromissarios nobis adjunctos cum plena facultate. Quare rursus vram. Sertem. hortamur, ut rem hanc omnino cure habere velit. Que optime ac felicissime valeat. Ex Buda XXI Novembris.

XCV. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie etc.

Cod. R. Serme. etc. Significare nobis dignata est vra. Mtas. cum per oratores nostros, tum etiam per literas suas, se una cum Sermo. principe, dno. Ferdinando, terminum nobis cum Illri. magistro Prussie super differentia inter nos juxta vim compromissi cognoscenda pro festo Epiphanie proximo Posonii statuisse, quo Mtis. vre. et ipsius Sermi. principis Ferdinandi aliorumque principum designatorum commissarii convenire eandemque differentiam cognoscere, vel mediis aliquibus componere deberent, et ubi difficultas tanta inesset, ut illi hec prestare non possent, vra. Sertas. illuc convenire et suapte cura et studio negotinm transigere velle.

velle. Nihilominus subdubitans Mtas. vra., id tam angusto tempore confici posse, postulat a nobis, ut ad producendas inducias consentiamus. MDXXIV.

Serme. Rex. Nos post eas inducias ac compromissum factum egimus diligenter, cum apud summum pontificem, cesaream et vram. Mtem. et Sermum. principem Ferdinandum, tum alios principes deputatos, ut negotium ipsum celerius determinaretur, et hactenus, quo id factum esset, nihil pretermisimus, ut qui non solum cum ipso dno. magistro, necessario nostro, sed etiam cum unoquoque principe christiano pacem magis quam bellum appetamus; verum neque sensus et forma compromissi id continet, neque nos et regnicole nostri, quorum universorum hec magis res est quam nostra, ferre possent, ut sublegate persone et commissarii negotium tanti momenti tentare deberent, quod dudum jam confectum literisque obfirmatum et longissimo tempore per antecessores magistri ac ordinis observatum est. Ut denuo cognosci permitteremus, nihil nos nisi fides, quam de cesarea et vra. Mte. Sermoque principe Ferdinando habemus, adduxit. Quod si maxime cognitioni commissariorum Mtum. vrarum. stare vellemus, ad terminum tamen propinquum id nequaquam prestare possumus, cum opus habeamus prius universos regnicolas et subditos terrarum Prussie de hoc ipso negotio aggrediendo consulere, quod in tam angusto tempore fier non potest. Et proinde rogamus Mtem. vram., id boni consulere dignetur et in eam partem, ut res est, accipere. Habituri autem sumus conventum generalem regni nostri Pyotrkovie pro festo S. Thome, apostoli, proximo, ad quem hec omnia tam de cognoscenda causa, quam etiam de producendis induciis, ut vra. Mtas. postulat, referemus. Et quicquid cum consiliariis et regnicolis nostris decreverimus, Mti. vre. per literas nostras declarabimus. Cujus amori mutuo nos commendamus.

NEGOTIA BARENSIA

anni domini MDXXIV.

XCVI. Sigismundus, Rex Polonie, Josto Ludovico de Vissemburg, Civi Cracoviensi, Secretario.

Nobilis, fidelis, dilecte. Absolutis jam ad te literis, quibus tuis respondimus, allate sunt nobis altere tue litere, quibus Illmam. dnam. matrem nostram in suam egritudinem recidisse scribis, suadens, ut cure nobis sit, ne status Barensis aliquo sinistro eventu periclitaretur. Nos misimus ad cesaream Mtem. pro literis inhibitoriis ad viceregem obtinendis, ne casu aliquo se ad ipsum statum intromitteret, tibi etiam precipimus, ut tantisper istic maneas, donec alius nuncius noster, quem cum felici partu Serme. conjugis nostre in horas mittendum destinabimus, istuc applicabit. Scribimus etiam literas fidei in personam tuam Illri. duci Adrie, quem accedens visitabis inprimis nostro nomine et benivolentiam nostram illi decentibus verbis declarabis. Referes deinde, quod licet hic in nuptiis nostris conveneramus cum dno. Prospero Columna, ut in casu mortis Illme. dne. ducis Mediolani statum Barensem nostro et Serme. conjugis nostre nomine acciperet et teneret, tamen quia idem dnus. Prosper abest longe a Neapoli et aliis negotiis est districtus, postulabis ab ipso Illri. duce Adrie, ut casu, quo ipsam Illrmam. matrem nostram decedere contingeret, eundem statum Barensem et nostro et charissime conjugis nostre nomine acciperet, regere et ab omnium impetitione tueri velit, seque in ea re erga nos exhibere, quemadmodum nostra de illo fides postulat. Quod illi volumus omnibus officiis et benivolentia nostra semper referre. Cupimus autem, ut id totum, si fieri potest, fiat cum scientia et intelligentia dni. Prosperi Columne. Que omnia dices et ages verbis ad rem opportunis pro fide et industria tua nobis commendata. Datum. **MDXXIV. Cod. bibl. Ossolinianae.**

XCVII. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo Quinto, Rom. Imperatori.

Serenissime princeps et dne. frater et consanguinee noster charissime ac honbrande. Significatum est nobis, Illmam. dnam. Isabellam, Mediolani et Barii ducem, matrem nostram charissimam, gravi egritudine correptam. Cujus status Barensis, licet sit illi et per avum Mtis. vre. et demum per ipsam Mtem. vram. sufficientibus et necessariis literis ita obfirmatus, **Cod. bibl. Ossolinianae.**

ut

MDXXIV. ut nulla juris ambiguitas superesse videatur; tamen quia suspicio est illic, ne casu mortis ipsius Illme. matris nostre interveniente vicerex Mtis. vre. se de facto ad eundem statum intromitteret. Utcunque nos id suspicari pro nostro mutuo amore et necessitudine non possumus, nihilominus in omnem eventum Mtem. vram. etiam atque etiam rogamus: dignetur iterum literis suis ipsum statum pro eadem Illma. matre nostra et Serma. conjuge ac liberis nostris confirmare, literas inhibitorias ad viceregem suum dare, ne quo pacto se ad eundem statum Barensem casu mortis Illme. ducis ingereret, quod Mti. vre. omnibus officiis, facultatibus et observantia nostra referre curabimus. Cui nos ex corde commendamus et cupimus, ut optime valeat et ex hostibus suis semper triumphet. Datum.

XCVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Adrie Aquavicie, Duci Venetiarum.

Cod. bibl. Ossolinianae. Illris. princeps. Facti sumus certiores, Illmam. matrem nostram, dominam Isabellam, Mediolani et Barii ducem, in extremis vite constitutam, vel jam hactenus defunctam esse, que res nos magno dolore affecit. Cum tamen dni. dei voluntas sit, ei parere necesse est. Proinde in eum eventum mittimus hunc nobilem Nicolaum Mariam de Caris, supracoquum Serme. dne. conjugis nostre, istuc ad ducatum Bari et alias terras, que ad nostram Sermam. conjugem et nos jure pertinent, ut totum statum nomine utriusque nostrum in possessionem acciperet et eum teneret tantisper, donec aliter de illo disponemus. Rogamusque Illtem. vram., ut illi in eo munere obeundo consilio et auxilio esse velit atque opera sua et auctoritate efficiat, ne quid impedimenti nobis in eo negotio injiciatur populique et presides illi in fide et unitate erga nos contineantur, quod illi vicissim omnibus officiis et favore nostro curabimus referre.

XCIX. Sigismundus, Rex Polonie, Prospero Columne.

Cod. bibl. Ossolinianae. Mgce. sincere nobis dilecte. Facti sumus certiores Illmam. matrem nostram, dnam. Isabellam, ducem Mediolani et Barii, in extremis constitutam, vel jam hactenus defunctam esse, que res nos magno dolore affecit. Cum tamen dni. dei voluntas sit, ei parere necesse est; proinde in eum eventum mittimus hunc nobilem Nicolaum Mariam de Caris, supracoquum Serme. dne. conjugis nostre, istuc ad ducatum Bari et alias terras ac civitates, que ad ipsam Sermam. conjugem nostram et nos jure pertinent, ut eum totum statum nomine utriusque nrstrum in possessionem accipiat et eum teneat tantisper, donec aliter de illo disponemus. Scientes autem, quantum tu ipsi Illme. matri nostre acceptus fueris, quantumque

tumque ab illa pro virtute et meritis tuis beneficientie acceperis, eo magis freti ad te speciatim scribendum duximus et te impense rogamus, ut ipsi Nicolao in eo munere obeundo consilio et auxilio esse velis desque operam tua industria et fide, ne quid impedimenti nobis in eo negotio injiciatur populique et presides illi in fide et unitate erga nos contineantur. Quod tibi vicissim omni studio et gratificatione nostra curabimus referre. Et bene vale. Datum. MDXXIV.

C. Sigismundus, Rex Polonie, Josto Ludovico Decio, Nuncio regio.

Nobilis, fidelis, dilecte. Accepimus literas tuas, quibus nobis mortem Illme. olim matris nostre et reditum tuum in Neapolim significas. Et quamvis tua hic presentia multum nobis erat necessaria, tamen cum visum est tibi necessarium, ut illuc redires, probamus hanc tuam sedulitatem in obeundis rebus nostris, et volumus, ut illic tantisper maneas, donec alios loco tui mittamus. Mittimus autem, quam celerius, ut consulisti, Joannem Dantiscum et Ludovicum Aliphium, Mtis. regnalis secretarium. Tu vero interim cures, ne quid in illo statu detrimenti ac difficultatis subeamus, sed que ad possessionem continuandam et alia omnia stabilienda opportuna fuerint, exsequaris pro fide et industria tua, cujus nos habemus et habituri sumus singularem et benignam rationem. Res autem novas, quecunque occurrerint, presertim que nostra interesset scire, curabis semper et quam celerius ad nos perscribere. Nam ea, que hactenus significare solebas, fuerunt nobis semper non vulgariter accepta. Datum.

Cod. bibl. Ossolinianae.

CI. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo V. Cesari.

Serme. princeps. etc. Intelleximus, Illmam. matrem nostram charissimam, dnam. Isabellam de Aragonia, Mediolani ac Barii ducem, obiisse, que res equidem magno dolore nos affecit. Cum tamen ea fuit voluntas dei, equo animo ferre oportet. Verum timentes, ne hoc insperato eventu quicquam preter spem impedimenti in ducatu Barensi, et aliis illis terris nobis oboriretur, mittimus ad Mtem. vram. hunc nobilem Nicolaum Mariam de Caris in negotio ipsius status Barensis de mente nostra plene instructum. Rogamusque plurimum Mtem. vram., ut et fidem illi adhibere et in eo eventu talem se nobis exhibere dignetur, qualem mutuus amor, conjunctio et affinitas nostra exposcit et quemadmodum Mtis. vre. nostraque justitia requirit, quo nos sibi cumulatius devinciet et perpetuo reddet obnoxios. Felicissime valeat Mtas. vra. et nos habeat commendatos. Datum.

Cod. bibl. Ossolinianae.

CI. Sigismundus,

CII. Sigismundus, Rex Polonie, Mercurino de Gattinaria, Cancellario Cesaris.

MDXXIV. Cod. bibl. Ossolinianae. Illris. et Magnifice domine, sincere nobis dilecte. Accepta morte Illme. matris nostre Isabelle, Mediolani et Barii ducis, misimus hunc nobilem Nicolaum Mariam de Caris istinc ad cesaream Majestatem in negotio status nostri Barensis; rogamusque Dtionem. vram., ut eidem Nicolao nostro, amore, consilio et auxilio esse velit, quo ipsum negotium ex sententia nostra conficere posset, uti equum est, ut plene confidimus. Nos vero vicissim omnibus in rebus, quibuscunque potuerimus vre. Dtioni. hanc operam referre curabimus. Que bene valeat et sit felix.

CIII. Sigismundus, Rex Polonie, Duci Ferrariae.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Illme. princeps dne. amice et affinis noster charissime. Agimus immensas gratias vre. Illti., quod et dolenter ferat obitum Illme. matris nostre, dne. Isabelle, Mediolani et Barii ducis, et ipsa eo dolere affecta mestitiam nostram officiosissime per nuncium suum lenire voluerit, quod officium vre. Illti. omni studio et gratificatione nostra curabimus semper referre. Habeatque persuasissimum Illtas. vra., quod pro ea necessitudine, qua conjuncti sumus proque tanta benivolentia, quam erga nos testatur, non secus illam reputamus, quam aliquem arctissimum necessarium nostrum omnesque res et fortunas illius tam nobis cordi esse, quam nostras proprias. Rogamus autem plurimum vram. Illtem., ut cum ducatus ille Barensis jam ad nos et Sermam. dominam conjugem nostram sit devolutus, dignetur illic officialibus et rebus consilio et auxilio suo, in quibus opus fuerit, non deesse, uti dilectissimus amicus et affinis noster, quo nos reddit sibi plurimum devinctos et obnoxios. Valeatque felicissime vra. Illtas. et nos diligat.*

CIV. Legatio ad Pontificem Clementem VII data Joanni Dantisco et Ludovico Aliphio.

Ex cod. mss. bibl. regiae berolinensis. Mss. lat. 4. N. 101. *Oratores nostri apud summum pontificem haec agent.*

Gratulabuntur nostro nomine verbis amplissimis de provectione illius Sctis.; quod officium si jam per litteras praestiterimus, tamen ut uberius testaremur, quam cordi nobis sit ipsa Sctis. suae provectio, audita illius prudentia, magnitudine animi, dexteritate in magnis rebus peragendis et singulari de bono statu christiano sollicitudine, nos officium ipsum gratulatorium iterare per oratores nostros voluisse.

Exponent

Exponent deinde ipsi oratores: quantum res christiana, amissis duobus propugnaculis Rhodo et Nandoralba, inclinata sit et nutet, ut communis hostis Turcus inierit hoc tempore concordiam et foedus arctissimum cum Zophi, rege Persarum, et quam foedus ipsum miro et exquisitissimo quodam juris jurandi ordine dirisque imprecationibus in eum, qui illud primus violaret, inter se firmaverunt et obstrinxerunt, idque eo a Turco factum, ut sublatis impedimentis suis tanto commodius rebus christianis potiri posset, etiam illum omni vi et conatu ad Ungariam occupandam accingi; haec vero duo regna, Ungariae et Poloniae, adeo jam in sustinenda assidue hac tempestate fessa esse et attrita, ut sola absque suppetiis aliorum principum christianorum nequaquam tanto impetui resistere possint. Et proinde daret operam illius Sctas., ut quam celerius summates illos principes, inter se sine fine certantes, tandem in concordiam redigat; quorum mutua digladiatio universam rem christianam turbat, destituit et hostibus ridendam perdendamque turpissime exponit. MDXXIV.

Subinferri dehinc per occasionem poterit, mirum esse nobis, quod ipsi principes in tanto communi omnium incendio et ruina, adeo sese conficiant mutuo pro re ad neutrum jure pertinente, nam haec alea, qua certant, magis nobis congrueret, ad quos et Sermam. conjugem nostram totum jus spectat, si privata commoda publicae necessitati praeponenda duceremus. Quare posset ejus Sctas. tanto justiorem expostulandi cum illis rationem habere et per hoc medium juris nostri aliquo modo decenti et quo justitiae nostrae non officeret, bellum tam perniciosum et indignum intercipere et ipsos principes ad concordiam reducere. Super quod id cogitaret et ageret sua Sctas., quod illi magis opportunum et utile videretur ad eandem concordiam medio juris nostri aggrediendam; quod illius arbitrio et prudentiae committimus.

De ducatu Barii, qui ad nos et Sermam. dnam. conjugem nostram post obitum Illmae. dnae. ducis Isabellae est devolutus, agendum erit cum summo pontifice, ut quae opus forent ad eum statum retinendum et stabiliendum consilio et auxilio suo adesse nobis dignaretur.

Commendabunt postremo ipsi oratores ejus Scti. nos, regnum, dominia, gentes et omnes facultates nostras, quas illi et ejus sanctae sedi nunquam in omni eventu defutura pollicebuntur.

Venetiis agenda.

Gratulabuntur etiam ipsi nostri oratores duci Venetorum nostro nomine de ipsius provectione, quam nobis acceptissimam declarabunt, intellecta ejus singulari prudentia, magnitudine animi et rebus fortiter gestis, unde sperare nos, illum rei christianae magno ex usu et praesidio futurum; testabuntur postremo nostram erga ejus Illtem. et dominium illud benivolentiam non vulgarem verbis decentibus et accommodatis.

Cum vero ipsum dominium habeat in regno neapolitana nonnulla loca et terras suas ducatui barensi propinquas et ipse ducatus ad nos et Sermam. dominam conjugem nostram devolutus sit, agent oratores, ut ipse dux et dominium Venetorum bonos vicinos se nobis praebeant et suo favore et auxilio nobis illic, ubi opus foret, adsint; fuisse enim semper nostros praedecessores cum ipso dominio in bona amicitia et illos non vulgaribus officiis sese invicem demeruisse, quod et per nos hactenus et per illos vicissim factum esse, et in posterum fieri, nos ex animo cupere nihilque ex nobis, quod ita fiat, praetermitti curabitur.

 Exponent

MDXXIV. *Exponent etiam ipsi oratores de icto foedere Turci cum Zophi, rege Persarum; exponent apparatum ipsius Turci in Ungariam, non recte ad tantam vim sustinendam dispositam, et praesertim cum nos aliis bellis cum Tartaris et Schismaticis distineamur. Perpenderet itaque dux et senatus ille, ut, si regnum Ungariae perfringeretur et illi ab eis et aliis principibus Christianorum non fuerit quam celerius auxilium praestitum, ad quam calamitatem universa res christiana deveniret.*

Et proinde darent operam, pro auctoritate et prudentia sua, modis omnibus, ut imtempestive digladiantes ad pacem et concordiam redigantur et ut suppetiae regno Ungariae et nostro quantocius ferantur, ne tum demum id praestare vellent, cum de communi omnium salute actum esset et deploratum.

Apud Dominum Ducem Ferrariensem agenda.

Visere etiam ipsi oratores non praetermittent nostro et Sermae. conjugis nostrae nomine Illmum. ducem Ferrariae, declarando illi amorem et benivolentiam nostram verbis uberrimis, declarando item causam legationis suae curent, ut et ipse consilio et auxilio adesset pro virili suo; postulabunt, ut, cum ejus Illtas. habeat portus et civitates nonnullas vicinas ducatui barensi, operam facere dignaretur, ubi opus foret, quo ille status citra ullas difficultates contineri a nobis possit, quod nos ejus Illti. vicissim omnibus officiis referre curabimus.

CV. Mandatum ad capiendam possessionem Ducatus Barensis.

Cod. bibl. Ossolinianae. Sigismundus et Bona D. g. rex et regina Polonie, Lithuanie, Russie, Prussieque etc. duces et domini. Manifestum facimus universis. Quia nos posteaquam intelleximus, Illmam. recolende memorie dnam. Isabellam de Aragonia, Mediolani et Barii ducem, debitum nature solvisse nosque in ejus bona succedere, commiseramus quibusdam nunciis nostris nonnulla negotia in dicto ducatu Barensi nostro nomine et ad beneplacitum nostrum obeunda. Nunc autem exploratum habentes fidem, prudentiam et dexteritatem Mgci. Ludovici Aliphii, patricii, utriusque juris doctoris et castri nostri cracoviensis burgrabii, et Joannis Dantisci, secretariorum nostrorum sincere dilectorum, eosdem et eorum quemlibet in factores, actores, administratores et negotiorum nostrorum infrascriptorum gestores ac nuncios speciales et generales, ita tamen, quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, sed quod unus eorum inceperit, id eo absente alter ipsorum, qui ibidem remanserit, prosequi, mediare, terminare et ad effectum perducere valeat et possit, constituimus, elegimus et deputavimus et harum serie literarum constituimus, eligimus et deputamus ipsosque ad prefatum ducatum Barensem mittendos fore decrevimus et mittimus, et propterea omnes alios nuncios nostros generales vel speciales illuc hactenus transmissos revocamus ac commissionibus et mandatis nostris destituimus et privamus, predictis vero

Ludovico

Ludovico Aliphio et Joanni Dantisco, secretariis nostris, et eorum cuilibet in solidum tam conjunctim, quam divisim omnibus melioribus modo, via, jure, causa, stilo et forma et patrie illius consuetudine, quibus melius et efficacius de jure potuimus et debuimus, ac possumus et debemus, et uterque nostrum potest et debet, damus, concedimus et tribuimus per presentes omnimodam facultatem et potestatem ac mandatum plenissimum generale et speciale ad comparendum nostro nomine in ducatu predicto Barensi, intrandumque civitatem et castrum Bari et alias civitates in provincia terre Bari, civitatem Rossani et terram Longibnei cum earum casalibus, terris et fortaliciis in provincia Calabrie, civitatem Ostunii in provincia terre Hidrunthi, cum juribus et pertinentiis suis ac integro ejus statu, terram Gryptaliarum in eadem provincia terre Hidrunthi, quoad jurisdictionem criminalem et appellationem primam in civilibus, territorium montis Serici in provincia Busicicate, ad nos ex successione devolutas, nec non ad continuandam in animo nostro semper retentam sive denuo apprehendendam, intrandam et manutenendam possessionem realem, actualem et corporalem omnium et singularum predictarum civitatum, terrarum, castrorum, munitionum, villarum, hominum, gentium et populorum ad predictum ducatum Barensem et Rossani, Ostunii et alias civitates de jure vel consuetudine pertinentium ac immobilium predictorum quorumcunque, quocunque nomine vel vocabulo nuncupentur et cujuscunque generis, nature, speciei, qualitatis et valoris extiterint, ad nos vel alterum nostrum tanquam heredes et successores legitimos, vel heredem et successorem legitimum undecunque et ex quacunque causa sive linea etiam consanguinitatis, affinitatis vel etiam utilis duntaxat, aut meri vel etiam mixti dominii ad nos conjunctim vel divisim pertinentis et spectantis et post mortem predicte domine Isabelle matris alterius nostrum, jure patrie, consuetudine, vel ex statuto aut testamento sive legis inventario devolutorum sive devolvendorum, adeundamque ejusmodi bonorum hereditatem vel ad immiscendum se hereditati predicte cum beneficio legis inventarii, vel sine, et ad perficiendum et exequendum omne commissum, mandatum et legatum per prefatam olim Illmam. Isabellam, ducem, cuicunque promissum sive obligatum aut juste debitum in vita donatum, remissum sive concessum aut indultum, si de talibus constiterit, dummodo vires hereditatis falcidia et trabelianica detractis valorem debitorum premissorum, donatorum sive obligatorum non excedant, et cum potestate et omnimoda facultate ac plenissimo mandato omnia et singula bona predicta, mobilia et immobilia, civitates, castra, terras, munitiones, villas, possessiones singulas, homines, gentes et populos, servos, liberos et non liberos ac ad ea de jure et consuetudine spectantes et pertinentes devolutas et devolvendas presentia et futura, cum omnibus et singulis eorum utilitatibus, fructibus, redditibus, censibus et universis obventionibus solvi et pendi solitis ac bestias, pecora, pecudes, aurum, argentum, monetatum et non monetatum, clenodia, vasa et universam suppellectilem domesticam, margaritas, vestes et pretiosos lapides et gemmas, petias telarum preciosarum, formatas et non formatas, filatas et non filatas, sericeas, laneas et lineas, domos, hortos, silvas, vineas, pecuniarum summas, jura, literas, privilegia et munimenta et alias omnia et singula bona predicta, paterna et materna, et ex successione quacunque linea consanguinitatis vel affinitatis nos vel alterum nostrum concernentia, nullis exceptis, quocunque nomine seu vocabulo censeantur et cujuscunque nature, generis, MDXXIV.

13* speciei

MDXXIV. speciei, qualitatis et valoris exstiterint, petendum, exigendum, recipiendum, retinendum, recuperandum, manutenendum et detentores, raptores sive occupatores eorundem bonorum cujuscunque dignitatis, gradus, ordinis et eminentie fuerint, et quacunque prefulgeant dignitate, ecclesiastica vel seculari, nec non quoscunque debitores et detentores qualiumcunque bonorum predictorum, ex successione, testamento, vel jure ad prefatam olim Illmam. Isebellam, matrem nostram, et successive ad nos Bonam, reginam, ejus natam, heredem et successorem legitimam, unicam, spectantium et pertinentium, devolutis aut devolvendis, remediis, vigoribus et coercionibus legis et juris etiam cum clausula ad lites in forma plenissima, ad restitutionem et satisfactionem cogendum et compellendum, sive cogi et compelli faciendum, et obtinendum, et de repetitis, restitutis, levatis et recuperatis predictis omnibus et singulis nostro nomine per literas, sigillis dictorum nunciorum nostrorum vel alterius ipsorum, qui ibidem presens fuerit, sigillandas, aut etiam per instrumenta publica quietandum, liberandum et absolvendum cum pacto de re habita, ulterius nullo unquam tempore petenda, nec non omnes et singulas res et bona predicta et signanter mobilia et se moventia arbitrio dictorum nunciorum nostrorum taxandum et examinandum pro pretio, pro quo eis melius et commodius visum fuerit, ac easdem vel earum aliquas vendendum et alienandum sive permutandum et de pretio ac tempore solutionis hujusmodi conveniendum et tempus vel tempora hujusmodi solutionis assignandum, concordandumque componendum, transigendum et paciscendum etiam de alto et basso in arbitros, arbitratores, amicabiles compositores, occasione quarumcunque rerum, bonorum mobilium et se moventium ac immobilium nostro nomine vel alterius nostrum cum clausulis amplissimis necessariis et opportunis et secundum patrie illius consuetudinem apponi solitis et extendendis cum clausula juris ordine servato vel non servato etc., promissione etc. obligatione etc. renunciatione etc. compromittendum omnemque sententiam, laudum, decretum, statutum, acceptandi et emologandi consentiendique et terminandi per sententiam vel concordiam omnes et singulas lites et controversias occasione predictorum bonorum presentium aut futurorum devolutorum sive devolvendorum ex quacunque causa sive linea consanguinitatis, affinitatis, vel etc. utilis duntaxat aut naturalis, vel meri aut mixti dominii exortas et suscitatas sive suscitandas totaliter extinguendum et sopiendum et insuper omnibus et singulis creditoribus fide, verbo vel scriptura vel alias legitimam obligationem habentibus satisfaciendum, aut cum eis, ut supra, componendum, transigendum et concordandum et alias de omnibus et singulis predictis et eorum singulariter singulis bonis et rebus et aliis quibuscunque ita et taliter disponendum, faciendum et exercendum, prout ipsis nunciis nostris, vel eorum alteri ibidem presenti, commodius et utilius visum fuerit et que in premissis et circa ea videbuntur quomodolibet necessaria et opportuna, etiamsi talia forent, que nostram istic vel alterius nostrum presentiam vel mandatum exigerent magis speciale quam presentibus sit expressum, promittimus insuper et quilibet nostrum promittit suo et aliorum, quorum interest, intererit seu interesse poterit, quolibet in futurum, nominibus, nos ratum, gratum atque firmum perpetuo habituros totum id et quidquid per dictos nuncios et oratores nostros vel eorum alterum actum, factum, dictum et gestum fuerit in premissis seu aliquo premissorum. Relevantes nihilominus et relevare volentes

volentes dictos suos nuncios et oratores et eorum quemlibet ab omni onere satis dandi, judicio sisti et judicatum solvi cum omnibus et singulis clausulis et capitulis necessariis et opportunis verbo nostro regio, cessante omnium recusatione ad hec necessaria pariter et cautela. In quorum etc. MDXXIV.

CVI. Sigismundus, Rex, Bona, Regina Polonie, Universitati Civitatis Barensis.

Mgci. et egregii fideles nostri dilecti. Accepimus literas vestras, quibus nobis mortem Illme. domine ducis Isabelle, matris nostre desideratissime, et suum dolorem declarantes, fidem vestram abunde erga nos testamini. Que litere vestre fuerunt nobis gratissime, licet de virtute et fide vestra id semper nobis persuadebamus, quod in eo eventu vos non aliter quam fidos et probos subditos erga nos exhibere debuistis. Itaque agimus vobis gratias de hoc fidei et virtutis vre. officio, et pollicemur nos vicissim erga vos ita gerere, uti justos et benignos dominos decebit; curaturosque nos, ne quam in regimine et gubernatione sui vel a nobis, vel ab officialibus nostris injuriam et gravamen aliquod sentiatis. Quod vero de confirmandis juribus et privilegiis vestris scribitis, volumus nos tam in hoc quam in aliis rebus benigne exhibere. Et priusquam vestre litere ad nos venissent, jam miseramus istuc ad vos oratores nostros pro stabiliendo isto statu nostro in firmitate et ordine debito omnibusque defectibus, si qui sunt, providendis, quibus commisimus, ut exempla privilegiorum vestrorum nobis mitterent, que cum videbimus libenter illa in omnibus, quecunque justa et honesta fuerint confirmabimus et inviolabiliter observabimus. Datum. Cod. bibl. Ossolinianae.

CVII. Sigismundus, Rex, Bona, Regina Polonie, Proceribus Ducatus Barensis.

Mittentes ad ducatum nostrum Barensem Mgcos. Ludovicum Aliphium et Joannem Dantiscum, nuncios et secretarios nostros, commissimus illis quedam nostro nomine vobis referre, postulamus a vobis, ut et fidem illis adhibere et nostris postulatis ac negotiis, que exponent, velitis non deesse. Quod nos vicissim vobis omnibus benivolentie nostre officiis referre curabimus. Cod. bibl. Ossolinianae.

CVIII. Sigismundus, Rex, Bona, Regina Polonie, Clementi, Pape Septimo.

MDXXIV. Coo. bibl. Ossolinianae. Sanctissime. Cum mitteremus ad ducatum nostrum Barensem nobiles secretarios nostros, commisimus illis, uti se vre. Scti. prius exhiberent et nostro nomine illam debita veneratione inviserent et salutarent, pericula rei christiane summa et presentissima ac nonnulla alia negotia nostra referrent. Cui omni devotione supplicamus, ut eos benigne audire, et quod respublica christiana in hoc discrimine suo poscit, quod etiam quedam privata negotia nostra requirunt, in eo vestra Sanctitas dignetur tanquam pater clementissimus non deesse; quo faciet rem sua prudentia et pietate dignam et nos ac totam rem christianam sibi perpetuo devinciet, pro cujus incolumitate et singulari voluptate nostra cupimus vram. Sctem. diutissime sospitem esse et semper felicem. Cujus clementie nos iterum atque iterum omni studio commendamus.

CIX. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali S. Quatuor, Protectori.

Cod. bibl. Ossolinianae. Mittimus ad ducatum nostrum Barensem hos Magcos. etc. quibus commisimus, ut inprimis sanctissimum dominum nostrum viserent nostro nomine et exhibita reverentia debita et pedibus a nobis osculatis, nonnulla negotia tam universe reipublice christiane, in maximo nunc discrimine constitute, quam etiam nostra privata illius Sanctitati referrent, quos una cum ipsis negotiis nostris vre. Rme. Dtioni. commendamus. Rogamusque illam plurimum, ut pro sua in nos benivolentia, quam istic, ut edocemur non vulgarem in rebus nostris juvandis exhibet, velit et ipsis oratoribus nostris adesse consilio et patrocinio suo, ut tanto commodius munus, quod obituri sunt ex re et sententia nostra conficere possint. Quo nos tanto magis sibi devinciet, cum ad cumulum suorum erga nos officiorum id etiam accesserit. Cui nos ex animo commendamus. Cupientes, ut sit semper felix et incolumis.

CX. Sigismundus, R. Bona, Regina Polonie, Executoribus testamenti Ducis Barensis.

Cod. bibl. Ossolinianae. Antequam nobis allate essent litere vestre, jam mors Illme. domine ducis etc. fuit nobis nunciata, que nos magno dolore affecit et mox expedivimus oratores nostros, qui brevi ad nos venturi sunt ad stabiliendum totum istum statum in fide et ordine debito. Vobis vero gratias habemus et fidem vram. commendamus, quod in persolvendis justis et parentalibus ipsi defuncte matri nostre simulac in exequendis iis, que mandavit tam fidelem ac diligentem operam adhibueritis, quam vobis uberrima gratia et benignitate nostra volumus referre

referre. Quod autem ad legata ejusdem defuncte matris nostre attinet, volumus servitorum illius justam et benignam habere rationem, quam per alium nuncium vobis declarabimus, in hujus enim celeri expeditione et nostra circa rem divinam, quam hi dies exposcunt, occupatione nequivimus de his rebus aliquid disponere. MDXXIV.

CXI. Sigismundus, R. Bona, Regina Polonie, Civitati Modenensi.

Nobiles et egregii, fideles nostri dilecti. Accepimns literas, quibus nobis dolorem vrum. de obitu Illme. ducis etc. et fidem vram. erga nos declaratis, de qua non aliter nobis persuadebamus neque dubitavimus, quin eo eventu vos ita exhiberetis, uti probos et fideles subditos decet. Nos etiam volumus ea erga vos gratia et equanimitate uti et tales vobis officiales preficere, ut nobis subesse, nunquam jure penitere poteritis. Molestum est nobis, quod Joannes Franciscus de Crema Crarius ita male se in officio suo conservavit, et proinde commisimus, ne deinceps officium ipsum obeat, sed maneat in arce nostra Barensi in syndicatu respondendo omnibus, quibus injurius fuerit, neque posthac ad civitatem vram. redeat. Cod. bibl. Ossolinianae.

Reliqua ex oratoribus nostris, quos ad stabiliendum totum istum statum et ad providendum defectibus omnibus, si qui sunt, misimus, clarius intelligetis, juxta quorum ordinationem, vos, uti probos et fideles subditos decet, conservabitis.

CXII. Sigismundus et Bona, Rex et Regina Polonie, Ceteris Civitatibus in Ducatu Barensi, Rossani, Idrunti, Griptaliarum, Montis Serici.

Nobiles et egregii etc. Declaravit nobis nobilis Justus Decius, secretarius ac nuncius noster, quam fidem erga nos, defuncta Illrma. matre nostra, exhibeatis, de qua tametsi hoc nobis persuadebamus, tamen erat hec significatio nobis gratissima, hortamurque vos, ut quemadmodum cepistis vos gerere, non desinatis. Et nos pollicemur vobis, quod tam a vobis quam etiam ab officialibus nostris omnem gratiam ac equanimitatem cognoscetis. Volumus enim in omnibus ita nos gerere et conservare adversus vos, ut justos et benignos dominos erga probos et fideles subditos suos decet. Reliqua ex oratoribus nostris, quos ad stabiliendum totum istum statum et ad providendum defectibus omnibus, si qui sunt, cum plena facultate misimus, clarius intelligetis; juxta quorum ordinationem vos uti probos et fideles subditos decet, conservabitis. Cod. bibl. Ossolinianae

CXIII.

CXIII. Sigismundus et Bona, Rex et Regina Pol. Consiliariis Regni Neapolitani.

MDXXIV. Cod. bibl. Ossolinianae.

Illres. et Mgci. dni., amici nobis dilecti. Declaravit nobis nuncius noster Justus, quantam propensionem animi erga nos vre. Dtiones. ostenderint post obitum Illme. etc. quantamque operam et sollicitudinem adhibuerint, ut status iste noster in debita fide et statu pacifico perstaret, de qua benivolentia plurimas agimus et habemus illis gratias et pollicemur hoc ipsarum officium vicissim illis omni gratificatione et regio favore nostro semper referre. Rogamus illas plurimum, ut quemadmodum ceperunt, non desinant nunciis et oratoribus nostris, quos istuc misimus, in omnibus, que opportuna fuerint ad bonum statum istorum subditorum nostrorum et debitum regimen stabiliendum, adesse. Quo nos cumulatius sibi devincient et nostrum gratitudinem uberius cognoscent. Feliciter valeant vre. Dtiones.

CXIV. Joannes Dantiscus, Orator, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. bibl. Ossolinianae.

Serma. Mtas. regia etc. Ea que ex re et usu negotiorum nobis commissorum visa sunt, dnus. collega meus et ego Mti. vre. Serme., satis ut reor copiose descripsimus, non erit incommodum immo necessarium, ut, relicta ambage, recta ex Venetiis Barium contendamus; ad Urbem in reditu facile iri potest. Sera etenim gratulatio non solet reprehendi. Ceterum quemadmodum mihi injunxit, ut Mti. vre. Serme. de omnibus, que se offerrent, scriberem, nihil hoc tempore dignum scientia Mtis. vre. hic habetur. Postquam huc applicuimus, dni. regentes istius provincie nomine principis sui per doctorem Cuspinianum honorofice nos exceperunt miseruntque xenia, vinum et pisces, ut fieri solitum est. Nos hic propter hec festa usque in crastinum quiescemus, iter nostrum, Deo bene annuente, continuaturi.

Auditur hic a mercatoribus, quod Piotrkoviensis constitutio de viarum occlusione in Slesiam male illic auditur apud quosdam duces, presertim legnicensem, moliunturque, quod eductio salis ex regno Mtis. vre. rursus prohiberi debeat et nescio, quas alias minas addunt.

De Turcis fertur, quod iterum in Croatia quoddam castrum expugnaverint, quod in Ungaria parum curatur et in utramque aurem dormitur.

Cesariani et Gallicani suis fabulis orbem implent, quisque id, quod sue parti commodum est, loquitur, unde veritatem dicere difficillimum est; sed exitus acta probabit. Agitur etiam hic per regentes de alio ordine in omnibus constituendo, qui, si fiet, a multis creditur non diu duraturus.

In Ungaria, ut fama est, ad sententiam de pretio aromatum Mtis. vre. acceditur.

Ex conventu Nurnbergense mercatoribus quibusdam hic scriptum est, quod adhuc illic nihil

sit

sit confectum et quod post adventum cardinalis, qui centum equos habuisse perhibetur quidam alii Germani principes expectantur. Si quid aliud inter eundum se offeret, dabitur a me opera, ut mandatis Mtis. vre. Serme. videar paruisse. Cui me suppliciter commendo. Datum ex Vienna austriaca fer. II Pasche. MDXXIV.

CXV. Joannes Dantiscus Orator, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater etc. Inter eundum accepi literas Dtionis vre. Rme. et alias ad Jodocum, quas illi perferam. Andreolus alio itinere nos preterivit. Nos huc salvi appulimus cum dno. collega, precessi eum, postquam ventum est extra periculum, uno die, et veni huc ipsa Veneris die sancta. Cras hic rursus equos nostros versus Novam civitatem premittemus, sequuturi feria IV in curru hungarico. Continuimus etiam hic senem illum Charontem, Paulum Both, si quid se novi offerret post istas, ut per eum scriberemus. Commendo hunc miserum senem Dtioni. vre. Rme. et rogo: cum semper bene mereri de Dtione. vra. Rma. studuerit, illum suo patrocinio non destituat. Aliud in presentia scribendum non restat. Commendo me humillime Dtioni. vre. Rme., ut dno. meo clementissimo et rogo, me et Jodocum sua solita gratia prosequatur. Datum Vienne fer. II Pasche. Cod. bibl. Ossolinianae.

CXVI. Joannes Dantiscus, Orator, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. Jam eram ascensurus currum, cum allate sunt Mtis. regie et Dtionis. vre. Rme. litere, quibus lectis tabellarium, qui eas reddidit, ad Novam civitatem nobiscum recepimus, ubi cum dno. collega latius collocuti, super omnibus respondebimus. De literis ad ducem Ferrarie nihil mihi constabat, neque illarum meminerat dnus. collega, sed postea, dum alias recollegerat, illas etiam invenit. Mandato Dtionis. vre. Rme. libenter pareo cum domino collega hactenus non disensi neque dissentiam, immo opus ubi fuerit et ex re negotiorum commissorum, in omnibus obtemperato. Consuetudo et mores illius adhuc mihi placent plurimum neque mihi persuadere possum, quod mihi displicere possint unquam. Commendo me, dispensationem meam et hunc bonum senem Charontem nostrum Dtioni. vre. Rme. suppliciter, ut dno. meo gratiosissimo. Datum Vienne una hora ante meridiem penultima Marcii. Cod. bibl. Ossolinianae.

CXVII. Joannes Dantiscus, Orator, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario.

MDXXIV. Cod. bibl. Ossolinianae.

Rme. in Christo pater etc. Post novissimas nihil est hic innovatum, preterquam quod dnus. doctor Cuspinianus ad nos a regentibus fuit missus, ut a nobis aliquid expiscaretur, retulitque nobis, quomodo huc certo rumore esset allatum, quod Turcarum imperator quendam levem nuncium pro suo magno oratore ad salvum conductum impetrandum misisset ad Sermum. dnum. nostrum, et quod iste orator venire deberet ad conficiendas inducias vel pacem aliquem perpetuam cum Mte. regia, et quod illius Mtas. salvum conductum dedisset et certam spem de induciis suscipiendis promisisset, quesivitque a nobis, si aliquam istarum rerum notitiam haberemus. Multa preterea contra Ungaros querebatur, presertim hoc, quod paulo ante cum eis habuissent conventum pro differentiis componendis, que utrinque inter subditos essent exorte, ipsi vero Ungari nihil tractare voluissent nisi prius differentie principum essent composite. Cum autem ab hac parte fuisset responsum, quod inter utrumque principem bona esset concordia et amor mutuus et non fore neeessarium, quod de principibus quidquam ageretur, sed saltem de injuriis subditorum utriusque, illi commoti et minantibus similes, rebus infectis, discessissent, addentes, quod mallent subesse Turcis, quam hujusmodi dissidium ferre. De quo tamen sibi nihil constare, Cuspinianus asseruit, sed quod saltem causam dissidii inter principes Ungari quererent, et solitis suis moribus uterentur. Collega meus et ego respondimus: de Turcarum oratore nullam nos habere scientiam, exposuimusque illi statum rerum nostrarum et quod Mtas. regia pro festo S. Georgii cum omni sua potentia in castra adversus Turcas et Tartaros se esset receptura. Quorsum hec questio tendit, facilis est conjectura, ipsi sibi hic male metuunt. Aliud hoc tempore non occurrit. Commendo me etc. Ex Vienna ultima Marcii.

CXVIII. Dantiscus, Orator, Tomicio, Episcopo.

Cod. bibl. Ossolinianae.

Rme. etc. Novissimis literis Dtioni. vre. Rme. respondi, non tamen quantum opus fuit, credebam enim ex Nova civitate alium tabellarium futurum, quod non evenit, proinde brevibus me expediam. Gratum mihi est plurimum, propter navigationem, quam in reditu facturus sum, quod Mtas. regia animum induxit, ut rebus id exigentibus hoc tempore ad oscula pedum non procumbamus, postquam rediero, sicut in Deum confido, ista congratulatio et si quid se aliud offeret, quod Mtas. regia agendum censebit, satis opportune confici poterit. De Ludovico Decio, que ad me perscripsit, illi referam. Non poterit nisi molestissime ferre, quod iste Andreolus hanc moram commiserit, cum ipse alias solitus sit diligenter et fideliter servire Dtioni. vre. Rme. Quod vult, ut obtemperem in rebus agendis dno. college meo et idem cum eo sentiam, non gravatim facio et facturus sum, cum propter illius virtutem et eruditionem, tum etiam, quod cognosco, me ad id faciendum obligari,

obligari, neque ut spero, de me testari aliud poterit, et quemadmodum scripsi in novissimis, hominem ex corde diligo et observo, illosque fallet opinio, qui credebant, inter nos conveniri non posse. MDXXIV.

Litere Dtionis. vre. Rme., que in Urbe debent reddi mea opera, ex Venetiis illis, ad quos scripte sunt, quanto tutius et citius possunt, dabuntur, neque in illis, que Venetiis et Patavii distribui debent, ulla mora futura est.

Aliud nunc non restat, quam quod Dtio. vra. Rma., me servum suum perpetuum ea, qua cepit, gratia prosequatur, et si se casus obtulerit, non obliviscatur. Mgcus. dnus. collega meus, quem Dtioni. vre. Rme. deditissimum cognovi, illi se maximopere commendat. Datum ex oppido Villach VIII. Aprilis.

CXIX. Joannes Dantiscus, Orator, Sigismundo, Regi Polonie.

Serma. Mtas. regia. etc. Ex Villaco novissime, que eo tempore nova habebantur, Mti. vre. Serme. descripsi. Interea, que nunc pro veris feruntur, licet non possint esse sine adjectione, ut sunt temporum nostrorum numismata, quemadmodum illa audivi et a quibus, cum Mtas. vra. vult, ut de omnibus scribam, sic habet. Cod. bibl. Ossolinianae.

Cum hic apud ducem et senatum Venetum primam cum dno. collega meo, ut vocant, audientiam habuissemus post alia retulit nobis dux novitates istas ex Syria de novo Soldano, quas verissimas esse asseruit, utque ex Mtis. vre. Serme. literis intellexissemus, jam esse ad partes nostras perlatas, illas repetere supervacaneum duxi fuitque hic res hec omnibus gaudio, et sperabatur alia quedam metamorphosis, que tamen non successit. Nam paulo post cum expediremur, dnus. dux, literas se accepisse, dicebat, quibus scriptum fuit, quod postquam primores Syrie intellexissent, imperatorem Turcarum classem instruxisse et recta ad eos tendere, timentes novum hunc Soldanum istiusmodi viribus non posse resistere, illi insidias parasse et quodam ad id opportuno tempore habito, cum in suis balneis lavaretur, januas illius armati obsedisse. Quem tumultum cum Soldanus percepisset, fuga per porticum balnei saluti consuluisse, illis impigre sequentibus, et tandem, quum captus fuisset, cum quinque aliis suis primis complicibus esse decollatum et capita illorum celerrime Constantinopolim missa, que ibidem ab exploratoribus istius dominii sunt visa, unde rursus omnia in illis regionibus esse pacata et in tuto, timendumque, ne hos delectus et arma ad loca sibi magis apta et propinqua converteret. Qua de re dnus. dux celerem tabellarium ad Sermum. Ungarie regem se, dixit, misisse, hinc forsan etiam, quomodo se res habeant, Mtas. vra. Serma. intelliget. Omnia hic plena metus, nemo certo scit, quo Turcus cum his viribus divertet. Timent sibi de Cypro Veneti, habent tamen spem in civitatem Famagostam, quam dicunt munitiorem esse Rhodo. Et prope et procul fit Turcus nunc omnibus formidabilis; dicitur, si Sicilie applicuerit, nullo negotio potietur, stantibus his bellis italicis, habitaque Sicilia, paulo post toti Italie dominabitur. Nostri interea sine aliquo jure de alieno digladiantur.

MDXXIV. Venerunt huc nova pridie, que mihi cesaris, ducis Ferdinandi et Mediolanensis oratores dixerunt, quod non procul a Novara versus Sabaudiam fuisset Cesareorum et Gallorum conflictus, in quo vicerex Gallorum Almirantus graviter fertur vulneratus et quidam nomine Baiardus, de primis illorum capitaneis, cum multis aliis occisus, dicuntque ex eo congressu magnam Gallorum multitudinem desiderari, omnes munitiones et tormenta esse capta et reliquos versus Galliam temonem flexisse, insequi cum illorum clade Cesareos, expectarique in dies meliora nova hec illi. Contra ego etiam ab oratore regis Gallie quesivi (fuimus enim iis diebus una et in ecclesia et bis in prandio apud ducem). Ille fatuitates esse, dicebat, has novitates longeque alias quam illi assererent, nullumque fuisse conflictum generalem, sed in quodam fluminis transitu, ut fit, duo fortassis tormenta fuisse relicta et quod inter speculandum iste Almirantus eminus ex parvo tormento vulneratus et alter capitaneus occisus fuisset, quodque omnes copie et alie munitiones salve essent et integre expectarentque in horas nova tam ex Gallia, quam ab Helvetiis presidia, brevique aliud quam id, quod hic Cesarei fabularentur, futurum. Neque fore possibile, quod unquam rex et regnum Francie statum Mediolanensem deserere possent, priusquam omnia extrema experiri, quam ab hoc statu reprimi. Non tamen visus est mihi citra magnum animi dolorem et citra stomachum ista dixisse.

In die ascensionis domini hoc novum fuit allatum soletque dies iste ultra alios hic magnis cum ceremoniis celebrari; tunc enim fit exitus Centauri, quod navigii cujusdam genus est, quo dux ad mare ducitur et desponsationem projecto annulo facit. Convenerantque oratores et urbis hujus senatores omnes, quisque quanto potuit ornatius vestitus ad palatium, solus orator Gallus hoc festum non representabat. Dux etiam, nuncius pontificis et iste orator more insolito, digitis in pectine junctis, mestiores eo die visi sunt; hinc conjicio, utcumque res acta sit, clade tamen aliqua magna non caruisse, cum tot de primis saucii et occisi feruntur, estque hic in hodiernum diem fama vulgatissima, Gallos arena cessisse et domum versus se contulisse, nec tam cito ad Italiam redituros. Cesarei de iis habent certas literas, orator Gallus, se nullas accepisse, fassus est, propter undique occlusa itinera. Si adhuc cras, ut suspicor, immorabimur, certiora de istis novitatibus habebuntur. Cras etiam hoc Centauri spectaculum fiet, superiori die propter ingentem ventorum tempestatem fieri non potuit, et hec summa et potissima causa fuit more nostre, quam hactenus non sine tedio sustinuimus. Facta est tandem post tot horrisonos flatus rursum tranquillitas et fortassis hac nocte exire potuissemus, si non dux jussisset, quod triremis, cum qua ituri sumus, etiam istis interesset ceremoniis. Speramus tamen, quod nocte crastina, deo bene favente, hinc solvere poterimus, habituri post vastam hanc tempestatem feliciora tempora, quibus deduci pro festis Pentecosten Barium non posse arbitramur. Ex Urbe nihil habetur scitu dignum, quam id, quod iste pontifex Pasquillo os et mulieribus palatium clausit moliaturque id, quod quisque novus pontifex solet. Veneti in his bellorum turbinibus inter utrumque volant, dux ipse gallizat cum multis; sunt etiam plerique, qui videri volunt Cesariani, et sunt, qui nesciant, cujus partes sequantur. Sic istarum rerum exitus expectatur. Multi sunt, qui Gallos non prudenter fecisse dicunt, quod cum tanta auri profusione circa Mediolanum se occuparunt, cum commode ad Urbem

pro

pro creando pontifice et pro nervo belli ad Florenciam se conferre potuissent et tandem cum totius Italie viribus, fessis jam Cesareis, ereque decocto statum Mediolani recuperassent. Sed preterita citius possunt reprehendi, quam mutari. Quod Galli primo impetu faciunt, factum est, postquam refrixerunt, nullum unquam memoratu dignum facinus conficiunt, unde de illorum retrocessione dubium esse nequit. Alia in presentia se non offerunt, si quid certius, quamdiu adhuc hic sumus, innovabitur, Mti. vre. non erit incognitum. Cui me humillime, ut dno. meo gratiosissimo, commendo. Ex Venetiis VII Maji. MDXXIV.

Fuimus in istis Centauri ceremoniis et cum duce usque extra illa duo castra in mare exivimus. Quo cum perventum fuisset, dux ex puppi annulum quendam, inflatum tamen et meo judicio deauratum in mare projecit, hec verba dicens: „in signum veri perpetuique dominii.“ Inde ad monasterium Scti. Nicolai descendimus et missam cum musica hic consueta audivimus. Orator cesaris et ducis Mediolani adhuc in priori perstant sententia. Operam et oleum, ut intelligo, hoc tempore cum magnis impensis perdiderunt. Mestior hodie quam pridie mihi visus est orator Gallus dixitque ad me cum gemitu: „Ego nullas possum habere literas, non bene res se habet, experiemur tamen paulo post de ipsa veritate.“ Omnes Gallicarum partium demisse loquuntur. Sunt hic etiam quatuor oratores magistri Rhodiensis, qui post mediam horam in communi consilio debent habere audientiam. Postulavit a nobis dux, quod velimus interesse. Cum autem aura nobis nunc spiravit secunda, maluimus expeditioni et itineri nostro intendere, quam hoc tempus perdere. Scimus, quid sunt propondituri, utpote ut consultetur in medium pro alia insula, quam forsan etiam volunt amittere, et ut illis permittatur in dominiis Venetis, ubi domus habent, proventus ut prius percipere et novas in fratres illorum exactiones constituere, quibus desertam aliquam insulam munire possent, non quod hoc zelo religionis facerent, sed ne eis census, quos hactenus habuerunt, adimantur. In istis oratoribus tanta adhuc est superbia, quod neque oratori Ferrariensi neque Mantuano cedere voluerunt. Si hoc faciunt victi, quid facerent victores! Deus et natura nihil faciunt frustra.

Dominus dux prius nobis dixerat, quod nihil certi haberet de induciis seu pace inter Turcum et Sophi, haberetur quidem ista opinio, quia Turcus Sophi oratores ex Constantinopoli magnis honoratos muneribus a se dimisit ob eam rem, ut haberetur a Christianis de pace inter eos suspicio. Nunc vero, postquam Soltanus iste interfectus est, ad nostram sententiam accedit, et dixit hodie, quod timeret hanc pacem esse confectam, non fore itaque christianis principibus dormiendum. Vigilant quidem, et hec vigilia nulli quam illis obest, cum a mutuis odiis non desistunt. Deus opt. max. sit nobiscum. Post unam vel duas horas triremem ascendemus, et si hoc tempus nobis duraverit, speramus in quatuor diebus Barii apud S. Nicolaum constitui. Inde, que se postea offerent, perscribam. Queso in hac expeditione tumultuario calamo veniam dari. Commendo me iterum iterumque suppliciter Serme. Mti. vre., ut dno. meo clementissimo. Ex Venetiis VIII. Maji.

CXX.

CXX. Sigismundus, Rex Polonie, Josto Jodoco Ludovico Decio, Secretario.

MDXXIV. Cod. bibl. Ossolinianae. Nobilis, fidelis dilecte. Hesterno die accepimus a te literas, quibus copiose nobis omnia, que istic aguntur perscripsisti, et commendamus in primis studium et diligentiam tuam, tam in recurrendo istuc, audita morte Illme. dne. ducis matris nostre charissime, quam etiam in disponendis et componendis istic rebus omnibus juxta consilium fidelium nostrorum. Gratissimi vero sumus, quod istos subditos nostros in tanta fide et affeetu in nos cognoveris, quibus vicissim gratiam nostram et benignissimum imperium nostrum pollicearis, prout et nos illis literis nostris declaramus.

Jam vero a plerisque diebus misimus istuc juxta tuum consilium Ludovicum Aliphium et Dantiscum, secretarios nostros, cum sufficienti mandato et instructione in presens, qui cum appulerint, instructis illis de omnibus, ad nos te omni celeritate recipies. Interim non visum est mittere alium mandatum. Sed quod ad confirmanda privilegia attinet: quando ipsi nuncii nostri eorum nobis exempla mittent, confirmabimus non gravatim omnia, que justa et honesta fuerunt et in iis, que de gratia fuerint, nos benigne exhibebimus, quod etiam illis rescripsimus et tu pollicearis.

Non placet nobis, quod castellanum Barensem in prefectura reliqueris, tamen credimus, te non abs re neque sine consilio fidelium nostrorum fecisse. Et proinde remaneas ibi et cum eo superintendas arci, donec nuncii nostri venient, ne quid innovaretur.

Et quia tante sunt querimonie adversus Josue et Franciscum de Crema Errarium Modoni, volumus, ut in ipsa arce Barensi maneant, neque ad aliquid se intromittant, usque ad nunciorum adventum et tunc syndicatui consistant et unicuique de illatis injuriis respondeant, et similiter alii officiales, fiatque omnibus cum illis justitia debita.

Legata Illme. olim domine ducis etsi in toto tenere nollemus, presertim alienata in perpetuum, quod facere non potuit ipsa Illma. dna. dux, cum fuerit usufructuaria tantum ducatus Barensis, tamen tu nullam ejus animi nostri significationem des, quin pollicearis, nos benignam omnium servitorum illius rationem habituros, quemadmodum et nos illis rescribemus.

Quando autem nuncii nostri istuc erunt et tu ad nos redibis, tum voluntatem nostram, te consulto, illis declarabimus.

Scribimus literas cesareo consilio collaterali Illri. duci, dno. Adrie, dno. Cesari de Lampertinis, Epo. Insulano et aliis, quibus censuisti. Si jam persolvisti justa et parentalia Barii Illme. dne. duci defuncte, recte quidem, sin minus, expectabis nuncios nostros et cum illis ea exequemini.

De obligatione in duana facta mercatoribus Almanis, si eam intelligis, que concernit residuum dotis nostre, volumus, ut cassetur, quandoquidem ipso ducatu simus jam potiti.

De debito mercatoris Neapolitani, quod Illma. olim dna. dux in se receperat, nuncii nostri venientes, rem disquirent, et si debitum erit justum, solvi curabunt. Tu interim illos prestolare et statum istum manu teneas et gubernes quanto melius poteris, et cum illi venerint,

venerint, citra moram ad nos redeas. Certo autem tibi persuadeas, quod nos hanc diligentiam et servitutem tuam, quam in obeundis negotiis nostris impendere non cessas, gratias tibi referemus. MDXXIV.

CXXI. Sigismundus, Rex Polonie, L. Aliphio et Joanni Dantisco.

Nobiles fideles dilecti. Hesterno die allate sunt nobis litere Josti ex Bario, significat statum illum et omnes res recte habere nihilque adversi illic ortum preter tumultum contra Josue, qui et ipse tandem est positus. Allate sunt litere a civitatibus Barensi et Modenensi, quibus fidem suam erga nos abunde testantur, quam et aliorum pariter Jostus declarat: esse vero magnas querimonias omnium subditorum adversus Josue et alios officiales petiturque cum illis justitia ministrari, petitur confirmatio jurium et privilegiorum, petuntur boni et equanimes officiales, que omnium prima erit illic cura vestra, ut videlicet compositis et sopitis rebus, si que in perturbatione sunt, justitiam unicuique ministretis et officiales tales constituatis, quorum probitas et fides spectata esset et populo essent ex sententia. Castellanum Barensem ipse Jostus in officio reliquit, idque non ab re fortassis, neque sine consilio eorum, qui nobis bene volunt, vos tamen illuc venientes id ita mutabitis et statuetis, quemadmodum ex usu nostro et illius status fore videbitur. Petunt a nobis ipsi subditi, ut Josue et Franciscum de Crema, Erarium Modunensem, ad standum syndicatui et respondendum unicuique de illatis injuriis juberemus; quod fieri voluimus et commisimus illis manere in arce Barensi usque ad vestrum adventum. Vos vero curabitis, ut unicuique cum illis justitia ministretur et querimoniis populi ac ejus voluntati, quoad fieri potest, satis fiat. Cod. bibl. Ossoliniana.

De privilegiis confirmandis respondimus, nos id facere velle, quod et vos eis illic polliceamini et transsumpta illorum nobis mittatis, quibus visis libenter confirmabimus, quecunque justa et honesta fuerint. Scripserunt etiam nobis executores testamenti Illme. olim dne. ducis, matris nostre, de iis que egerunt post illius mortem et de legatis per illam. Que tametsi nos in toto tenore nollemus, presertim ea, que ejus Illtas. ut usufructuaria alienare non potuit, tamen non rejiciemus illos a spe, ne quod interim adversi molirentur, quod et vos faciatis; posthac vero per alium nuncium, et cum illic eritis, eis et vobis voluntatem nostram aperiemus.

Scripsit etiam nobis Jostus de quodam mercatore transfuga, cujus debitum Illma. olim dna. dux in se receperat, clarius ab illo rem intelligetis, et si debitum erit justum, illud exolvi curetis. Et quia hec negotia status Barensis moram non patiuntur, volumus, ut vos absolvatis quam celerius, omissis Venetiis et Ferraria, recta et preterita Urbe, Barium proficiscamini et ibi, stabilitis et compositis prius rebus, que sunt necessarie, Romam ad obeunda mandata nostra regrediamini, quod his negotiis, que talem celeritatem non exigunt, parum officiet. Reliqua fidei et industrie vre. committimus. Dat.

CXXII.

CXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie et Bohemie.

MDXXIV. Cod. bibl. Ossolinianae.

Serme. princeps. Nuncii nostri, quos ad capiendum ducatum nostrum Barensem misimus, literis suis nobis declararunt, viceregem regni Neapolitani possessionem ejusce ducatus nobis ademisse ac senatum collateralem illius regni sequestrem fecisse, atque id se jussu imperialis Mtis. facere asseverasse. Nos quidem de sue Mtis. cesaree virtute et prudentia atque erga nos benivolentia et amore fraterno sic persuasi sumus, ut nobis adjumento potius quam impedimento sit futura in iis assequendis, que justo jure nobis deberi cognosceret, sique id jussu sue Mtis. factum sit, propter ea factum esse, quod quibusdam artificiosis persuasionibus inducta sit, Illmum. dnum. Franciscum, ducem Mediolani, qui se, nescimus quid juris habere contendit, jure ipso quam nos potiorem esse debere, cum facile id cerni poterit, perlectis literis ac juribus nostris, eum ipsum. dnum. ducem Mediolani nihil penitus juris habere, totum enim translatum est et donatum Illme. olim matri nostre, dne. Isabelle et ita confirmatum, ut nulla possit esse dubitatio, que disceptationi de jure locum non relinquat. Cujus quidem juris ea vis est, ut successoribus eque serviat, atque ei, dum viveret, servivit. Itaque vehementer mirari cogimur, sic nobiscum agi, ut alteri parti mox sit fides habita in re tam magni momenti, nobis ad disquisitionem non vocatis, nec cognita causa jureque nostro. Si enim apud aliquam barbaram gentem, juris et justitie expertem, id fieret, equius utique ferendum videretur, quum autem ibi sit, ubi leges et jura nata sunt et florere feruntur, non aliud cogitare possumus, quam eos homines, qui absente Mte. imperiali regno Neapolitano presunt, adverse parti cum injuria nostro in eo gratificari voluisse. Mtem. igitur vram. vehementer oramus, dignetur ejus rei justam rationem habere, que non solum injuriam, verum etiam levitatem, immo vero contumeliam nostram pre se ferre videtur, atque eam per literas Mti. imperiali diligenter exponat rogetque illam enixe, ut nostros nuncios ad possessionem ducatus nostri Barensis, qua injuste spoliati sumus, restitui faciat. Illmus. vero dux Mediolani facile a nobis equitatem consequi poterit, postquam repetemus possessionem nobis debitam. Credimus autem vre. Mtis. et Serme. ejus conjugis, dne. regine, preces tam efficaces esse futuras, ut nihil timendum sit, Mtem. cesaream id, quod juste petimus, non gravate esse facturam, et qui nunc Turcici exercitus excursione in terris Russie magnam calamitatem accepimus, cujus tamen pars non contemnenda a nostris cesa et deleta est, ut saltem ab illa parte Mtis. sue cesaree jus nostrum inviolatum vre. Mtis. auxilio retineamus. Post egressum vero Turcorum iterum tartaricus exercitus quadraginta milium eas ipsas terras invasit, qui nunc igni et ferro omnia populatur et vastat. Summam tamen habemus curam et diligentiam, si modo gratia divina non deerit, ut prius quam ad campos suos repedaverint, meritas penas audacie et temeritatis sue persolvant. Dnus. deus diu servet Mtem. vram. sanam et felicem. Datum in Julio.

CXXIII.

CXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Marie, Regine Ungarie.

Serma. princeps. Exposuimus Mti. regie Sermi. nepotis nostri etc. causam et injuriam nostram, que nobis illata est in adempto nobis et sequestrato ducatu nostro Barensi. Ex cujus literis vra. quoque Mtas. eam cognoscet, et quid facto opus sit accipiet. Rogamus enim, ut sua Mtas. ad imperialem Mtem. scribere dignetur, ne vel vi, vel aliquo colore juris ipsius ducatus possessio nobis eripiatur. Vestram quoque Mtem. etiam atque etiam rogamus, ut nos literis suis apud ipsam imperialem Mtem. itidem juvare dignetur. Nihil enim dubitamus, vre. Mtis. preces apud illam Mtem. tam efficaces esse futuras, ut id, quod equum est, ipsa petente, non sit nobis in favorem alicujus negatura. Bene valere Mtem. vram. optamus. MDXXIV. Cod. bibl. Ossolinianae.

CXXIV. Petrus Tomiczki, Eps. Posn. Vicecancell. Joanni Dantisco etc. amico charissimo.

Propter insperatam injuriam regie Mti. et Serenissime dne. regine in adempta possessione ducatus Barensis illatam, extrusus est hinc ad vos dnus. Dr. Bork, qui cum quibus mandatis et instructionibus istuc missus sit, plane te informabit, declarabit etiam tibi, quanta cedes quantaque perturbatio sit hic in regno nostro facta. Duo enim potentissimi exercitus, alter Turcorum, alter Tartarorum, terras nostras Russie successive, unus post alterum, ingressi, illas crudelissime ferro et igne vastarunt, ingentem hominum et pecorum predam abegerunt. Tabescit animus audire miserorum hominum fletus, imprecationes, quarum plena sunt hic omnia, et certe pro dolore et animi angustia plura scribere de his non possum. Predixerunt jam pridem astrologi et alii divinaculi, hunc annum periculosissimum omnibus provinciis et regnis futurum, quos quamvis ridere plerumque soleamus, sumus tamen nunc magno nostro malo experti, vaticinia et predictiones illorum non omnino vanas et futiles esse. Mtas. regia die crastina hinc egredietur Sandomiriam versus omnesque subditos ad arma secum vocat, mandans, ut ex qualibet civitate, oppido et villa decimus quisque homo robustior ad extinguendum commune incendium expediatur. Nunciatur enim nobis pro certo, quod tertii hostes, et hi quidem numerosi, adventant ad funditus delenda et exurenda dominia nostra. Deus meliora prospiciat, in cujus manibus sunt omnes potestates et omnia regna. Ex cod. mss. bibl. Korn.

Habeo tibi magnas gratias, quod mihi frequenter scribis, et ut idem perpetuo facias, hortor te et plurimum rogo. Cetera, que hic aguntur, referet tibi Dr. Bork. Vale bene mei memor. Datum Cracovie IX Augusti.

CXXV. Sigismundus et Bona, Rex et Regina Polonie, Ludov. Aliphio et Joanni Dantisco, Legatis.

MDXXIV. Cod. bibl. Ossolinianae. Post discessum vrum. allatum est testamentum Illme. olim domine ducis etc. quod cum legissemus, offendimus ejus Illtem. plurima legasse et debita nonnulla demonstrasse, que in magnam pecunie summam excedunt. Quod quidem ejus Illtas. jure facere non potuit usu fructuaria duntaxat existens et obstante priori contractu nobiscum facto; utcumque est, nolentes illum ducatum tantis legatis onerari, volumus et committimus vobis et hereditatem et possessionem ipsius ducatus Barensis non adeatis vigore testamenti, sed ab intestato cum beneficio inventarii eamque commissionem nostram secretissimam habeatis, neque illa nisi in summa necessitate utamini, propter aliquam notam existimationis ejusdem Illme. matris nostre defuncte. Quod autem ad legata pro servis et ad pia opera attinet, tu, Ludovice, non ignoras, quod cum ejus Illtas. anno superiore per fratrem Joannem Baptistam, Cartusiensem, a nobis postulasset, ut quandam non exiguam summam liceret illi cum nostro consensu ad pia opera et servis legare, nos nisi ad summam decem milium consensisse. Et proinde volumus, ut hec summa duntaxat distribuatur ad ejus legata. Non quantum cuique dari precepit, sed ut juxta summe quantitatem unicuique jure contingere poterit. De debitis vero, ne quo modo impii adversus ejus Illtem. videremur, volumus benignam habere rationem et que justa et decentia fuerint exolvere. Quemadmodum vobis prius scripsimus, committimus vobis, ut iter vestrum acceleretis et Barium recta proficiscamini, nam alia mandata nostra posterius exequi poteritis.

CXXVI. Sigismundus et Bona, R. et Regina, Civitatibus singulis Ducatus Barensis.

Cod. bibl. Ossolinianae. Fideles dilecti. Fuerunt apud nos syndici et nuncii vestri, qui diligenter et retulerunt nobis, quanta sit fides ac devotio vra. erga nos, et prestiterunt nomine vro. id totum, quod ad confirmandam fidem vram. illis commisistis. Ad postulata vero, que exposuerunt, id concessum est a nobis, quod in presens fieri potuit, prout ipsi latius referent. Fidem autem et devotionem vram. grato animo suscepimus. Vosque uti fideles subditos nostros et gratia complectemur et in juribus vris. conservabimus et tuebimur.

CXXVII. Sigismundus, Bona, Rex et Regina, Caraphe, Comiti S. Severine.

Cod. bibl. Ossolinianae. Reddite sunt nobis litere vre., quibus plane significastis propensionem, operam ac strenuam sollicitudinem, quam facitis in rebus nostris, que concernunt defensionem jurium nostrorum

ac

ac pacificam possessionem ducatus Barensis pro nobis. De quo in nos studio Mgcus. MDXXIV
Alfonsus Alanus late nobis retulit, et pro ista vestra in nos propensione ac observantia agimus vobis non vulgares gratias et curabimus illam omni favore et benivolentia semper referre; sed non satis mirari sufficimus de Hannibale Barone, auditore regio, qui quemadmodum edocti sumus, quando nuncii et commissarii nostri venerunt ad ducatum Barensem volueruntque possessionem et juramenta ab illis subditis illius dominii accipere, illos populos dehortabatur, quod nobis nullam facerent obedientiam, eo instructus argumento, quod istud contra consilium regium et cesarem esse deberet. Cujus consilii regii erga nos et in rebus nostris summum studium et egregiam voluntatem antea semper cognovimus, et ita nobis persuadere non possumus, quod ipsi juribus nostris et justitie nostre deberent esse impedimento. Non ignoramus etiam, cesarem benignum ac justum principem esse, qui ex genuina sua virtute et ex conjunctione sanguinis, que inter nos arcta intercedit, semper rebus nostris favit, nec ipsius est intentionis, ut in juribus et possessione quieta nostra quovis modo perturbemur. Utcumque est Mgciam. vram. rogamus, prout prospere cepit, diligentem operam suam facere velit, ne nos impedimentum aliquod aut injustitiam in bonis nostris habeamus, velitque nunciis istic nostris auxilio esse et consilio et nos dignetur gratia et benivolentia prosequi speciali. Nos vicissim vestri in nos meriti non erimus immemores, immo illud omni studio et gratificatione nostra curabimus vre. Mgcie. semper referre. Quam bene valere optamus.

CXXVIII. Sigismundus et Bona, Rex et Regina, Viceregi Neapolitano.

Delatum est ad nos ex Mediolano: Illmum. dnum. Mediolani ducem agere apud Mtem. Cod. bibl.
cesaream, quo ducatum nostrum Barensem, ad quem nescimus, quid juris sibi pretendere Ossolinianae.
contendit, poni faceret in sequestrum, donec per suam Mtem. cesaream, cognita causa, id quod equum fuerit decerneretur.. Nos, ut vra. Illtas. non ignorat, possessionem ejusdem ducatus post mortem Illme. olim domine Isabelle etc. jure successionis accepimus eamque fidem de cesaree Mtis. justitia et erga nos singulari benivolentia et amore habemus, quod nihil, inaudita altera parte in ea causa sit factura, quod juri nostro noxium sit futurum. Scientes autem, eandem Illmam. dnam. olim, matrem nostram, plurimum sibi de vre. Illtis. erga se affectu et animi propensione semper persuasisse eamque supremum exequutorem testamenti sui fecisse, plurimum illam rogamus: velit pro sua auctoritate proque ea benivolentia, quam istic, 'ut edocemur, non vulgarem in rebus nostris juvandis exhibet, adjuvare nos in ejusce ducatus possessione, et, ut ab illa non amoveamur, operam suam interponere, quo nos tanto magis sibi devinciet, quum ad cumulum suorum erga nos officiorum id etiam accesserit. Felicissime valeat vra. Illtas.

 CXXIX.

CXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Dantisco, Oratori.

MDXXIV. Cod. bibl. Ossolinianae.

Quidam ex nostris benivolis nobis ex Mediolano per literas denunciarunt: Illrem. dominum ducem Mediolani sollicite agere apud cesaream Mtem., ut ducatum nostrum Barensem recipi faceret in sequestrum et nobis illum adimeret, nescimus sub cujus juris pretextu, quo inniti velle dicitur ad hanc hereditatem, tanquam sibi debitam, quam tamen nos non ignoramus tam certo et justo jure nobis deberi, ut nihil posset esse certius, quemadmodum hoc litere et privilegia nostra declarant. Scribimus hac in re ad cesaream Mtem. cujus interest et nos in jure nostro conservare et tueri nos, ne quid importune et violenter contra nos fiat ad diminuendam vim juris nostri, in quo, ne quid impedimenti ab eodem dno. Mediolani duce habeamus, mandamus tibi: ut mox privilegia donationis et confirmationis ipsius ducatus nostri Barensis transcribi cures ac cum eorum exemplis te ad Mtem. suam cesaream in Hispaniam recipias, agasque nostro nomine et roges illam, ut inprimis justitie, quam enixissime colere dicitur, rationem habere dignetur, ac demum benivolentie amorisque nostri mutui, quem inter majores nostros et item inter nos sanguinis et affinitatis conjunctio conciliavit, nec permittat, aliquid impedimenti nobis in ipso ducatu vel ejus possessione afferri. Quia vero Mgcus. dnus. Mercurinus de Gattinaria, supremus cancellarius Mtis. sue cesaree, cujus opera nos, ut scis, in rebus nostris uti solemus, dicitur in Italiam adventare, volumus, ita iter tuum in Hispanias dirigas, ut venire illi obviam possis, cui hoc nostrum negotium diligenter fac commendes et roges, ita illud stabilire velit, ne qua difficultas ac injuria nobis in jure ac justitia nostra oboriatur. Omnia autem agas tam apud cesaream Mtem., quam apud alios, que et tempus et necessitas suppeditabit ejus rei ex animi nostri sententia ita perficiende, ut nulla deinceps procella obnoxia esse possit. In qua ex rerum successu et eventu consilia captabis, eaque dexteritate uti curabis, ut in primis diligentiam atque industriam tuam merito commendatam habeamus et deinde labores tuos aliquo digno premio compensandi justam causam habeamus.

CXXX. Sigismundus, Rex Polonie, Cesari Carolo Quinto.

Cod. bibl. Ossolinianae.

Serme. ac excellentissime princeps etc. Significatum est nobis nuper ex Mediolano, Illmum. dnum. Mediolani ducem petere decrevisse, vel forte jam petivisse a Mte. vra., ut consilio regni Neapolitani demandare dignetur, quo ducatum Barensem, ad nos jure legitime successionis devolutum, acciperet in sequestrum, in quo idem dnus. dux Mediolani, nesçimus, quid juris sibi competere asseverat et deducere nititur: Illmam. olim dominam Isabellam de Aragonia, matrem nostram etc. non hereditario jure, sed duntaxat vite sue spatio illum possedisse. Nos non dubitamus, jus certum et indubitatum penes nos et Sermam.

dnam.

dnam. conjugem nostram esse, quod non verbis, sed literis, non unis, sed pluribus sine controversia probare poterimus, quorum beneficio post mortem ipsius olim dne. matris nostre possessionem illius ducatus continuavimus, quaque privari citra insignem injuriam nostram non possumus, nec ullam dubitationem de vre. Mtis. justitia et singulari erga nos benivolentia et amore, qui ex consanguinitatis vinculo nobis cum ea intercedit, habemus. Sed certi sumus, quod ita se geret in hac causa Mtas. vra., ut nihil in ea, altera parte inaudita, sit diffinitura. Nihilominus tamen Mtem. vram. pro ipsa nostra mutua benivolentia et amore proque justitie debito plurimum rogamus et oramus: dignetur non prebere faciles aures iis, qui jus nostrum apud eam invertere et sinistre interpretari contendunt, et committere velit viceregi et consilio regni sui Neapolitani, ut nos in possessione ducatus Barensis predicti tueantur et nullam vim aut injuriam nobis in illo a quopiam inferri permittant. Cum enim ad disquisitionem ventum fuerit, melius diplomata seu privilegia nostra, quam nuda verba vim juris et justitie declarabunt. Nos vero eam benivolentiam hocque fraternum et vere cesareum vre. Mtis. in hac causa nostra officium, volumus et pollicemur illi vicissim omnibus non solum officiis, sed etiam viribus ac facultatibus nostris, quibuscunque poterimus semper referre. Commendamus nos ex animo fraterno amori vre. Mtis., cupimusque, ut sit perpetuo sospes et felix. MDXXIV.

CXXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Mercurino de Gattinaria.

Facti sumus certiores, Illmum. dnum. Mediolani ducem a cesarea Mte. petere constituisse, aut forte jam petivisse, quo mandaret ducatum Barensem recipi in sequestrum, quod quo jure petat incertum habemus. Nos mortua Illma. olim dna. Isabella etc. adire hereditatem ejusdem ducatus non dubitavimus sumusque in ejus possessione, non assertione juris sit vero jure, quod non verbis sed privilegiis continetur, et non dubitamus quidem, Mtem. cesaream nihil temere esse facturam, quo alteri gratificetur, alteri vero incommodet. Scripsimus tamen illius Mti. rogantes: ne quid contra nos constituere et decernere, incognita causa, dignetur. Tuam Dtionem. etiam atque etiam rogamus, ut nos sua auctoritate in retinenda ejusce ducatus possessione adjuvare velit et non permittat, nos ab illa indebite commoveri, quod illi vicissim omni studio et benivolentia nostra regia curabimus semper referre. Et bene valeat vra. Dtio. Cod. bibl. Ossolinianae.

CXXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Ferdinando, Archiduci Austrie.

Certa relatione ad nos ex Mediolano delatum est, Illmum. dnum. Mediolani ducem ab imperiali Mte. enixe petere, ut ducatum Barensem, cujus possessionem cum Serma. dna. Cod. bibl. Ossolinianae.

conjuge

MDXXIV. conjuge nostra jure hereditario post mortem Illme. olim domine Isabelle etc. adimus, in sequestrum accipiat, que sibi hereditario jure debere, ex ea causa idem dnus. dux Mediolani contendit, tanquam dna. Isabella non perpetuo, sed temporario jure eum, dum viveret, possideret. Nos vero justo jure ipsius possessionem et hereditatem cum ipsa Serma. dna. conjuge nostra adimus. Extant namque litere Illmi. olim dni. ducis Ludovici, parentis moderni domini ducis Mediolani, et sunt apud nos, quibus ille consentit, ut ducatus Barensis maneat perpetuo apud Illmam. olim dnam. Isabellam etc. et ejus successores; extant ejusce qnoque rei confirmationes, non solum per Sermum. principem dnum. Maximilianum, sed etiam per Sermam. vre. Sertis. matrem ac demum Sermum. modernum dominum imperatorem, vre. Sertis. germanum, facte. Accedit, quod mox post contractas nuptias nostras omnia capita rerum in ipsa ordinatione sive contractu matrimonii inter nos cum Serma. dna. conjuge nostra pactarum et conclusarum ad ipsam imperialem Mtem. Sermi. dni. Maximiliani, vre. Sertis. avi, a nobis missa, delata sunt, ut confirmentur, inter que ducatus ipse Barensis insertus et descriptus confirmatus est et tenetur a nobis tam certo tamque firmo jure, ut si hoc esset violabile, crederemus in rebus humanis nihil firmum nihilque inviolabile extare posse. Scripsimus ad suam Mtem. cesaream, istam ipsam dni. ducis Mediolani petitionem non esse nobis incognitam, et ea, que vre. Serti. ad declarandam justitiam nostram exposuimus, sue quoque Mti. cesaree aperuimus, et cum nos non lateat in omnis generis et ordinis homines suam Celsitudinem in exercenda justitia ita se semper gerere solere, ut nihil unquam ex omnibus causis, que ad sue Mtis. judicium vel arbitrium undecunque referuntur, reprehensione dignum inveniatur, nos quoque nihil minus dubitare volumus, quam in hac ipsa causa ex sue Mtis. arbitrio omnia nobis ex sententia successura esse; quandoquidem juris nostri indubitata series id nobis sine ulla exceptione pollicetur; sed non minus amor noster mutuus, quem vinculum consanguinitatis et affinitatis inter nos et inprimis inter majores nostros arctissime conciliavit et auxit, nos bene sperare jubet. Vram. autem Sertem. etiam atque etiam rogamus: dignetur ejusce amicitie et conjunctionis nostre eam, quam par est, rationem habere ac literis suis apud ipsam imperialem Mtem. ita nos juvare velit, ut nulla narratio in detrimentum juris nostri excogitata et inventa huic assertioni nostre et quidem verissime contraria apud suam Mtem. locum habere possit. Nos enim cum tempus opportunum cognoverimus, id quod contendimus, non nudis verbis, sed literis et privilegiis probare presto erimus. Eas vero literas, quas vra. Sertas. in commendationem et auxilium cause nostre scribere dignabitur, ad Mtem. cesaream, per suos tabellarios mittere dignetur. Quicquid autem Sertas. vra. in hac causa gratificando nobis efficiet, id nos illi omni studio et facultate nostra curabimus per occasionem omnem semper referre.

CXXXIII.

CXXXIII. Sigismundus, Rex et Bona, Regina Polonie, Joanni Dantisco, Nuncio et Secretario.

Magce. nobis sincere dilecte. Scripsimus tibi paulo antea. Nos certiores factos esse, Illmum. dnum. ducem Mediolanensem in grave prejudicium nostrum apud cesaream Mtem. sollicitare, quod ipsa ducatum Barensem acciperet in sequestrum et teneret tamdiu, quoad dignosceretur, quis ad eum ducatum jus potius haberet, commisimusque tibi, et plenam dedimus instructionem, qualiter in hoc facto apud Mtem. cesaream te gerere deberes. Quod ipsum nunc quoque tibi committimus et volumus, ut in hoc exactam et sollertem facias deligentiam, ne justitia nostra in aliquo sit oppressa. Credimus siquidem, te non latere, Illmam. dnam. Isabellam, matrem nostram charissimam, fel. mem., testamentum condidisse et fecisse eo pretextu multas alienationes et donationes in ducatu nostro Barensi in perpetuum et etiam ad longum tempus hominibus multis et servitoribus sibi gratis. Quod quidem facere minime potuit, pactis et ordinationibus, circa initium contracti matrimonii factis, obstantibus. Que pacta, prout edocti sumus, executores testamenti illius infringere et labefactare conantur, tanquam illa minus essent valida, ex eo quia illa Mtas. cesarea non confirmasset et ex eo maxime, quia et Illma. olim domina dux specialem habuisset a Mte. cesarea indultum de bonis immobilibus libere testandi. Et quoniam istud esset nobis valde damnosum et prejudiciale, ubi ista legata et alienationes in suo robore perstare ac firma esse deberent, mandamus tibi: ut si inter scripturas et literas in archivis dicte Illme. domine ducis, matris nostre, eam confirmationem, quam ipsa ab initio se impetraturam a Mte. cesarea obstrinxerat, non reperies, tunc tu eam capitulorum matrimonii confirmationem apud illius Celsitudinem diligentissime sollicites. Que capitula per eundem nuncium tibi mittuntur. Preterea in curia cesaree Mtis. existens requiras, si illius Mtas. dederit facultatem testandi ipsi olim domine matri nostre, necne, et nihilominus omni diligentia sollicites apud Mtem. suam cesaream, ut quam primum litere ipsius ad consilium regni Neapolitanensis per postas, et ante tuum illinc discessum expediantur, ne nos in justitia nostra et pacifica possessione ducatus Barensis per executores, vel quempiam alium impediamur. Quia ita nobis persuademus, quod Mtas. cesarea rata habebit illa pacta matrimonii, nec permittet nobis in aliquo fieri injuriam, alia etiam negotia, que tibi commisimus et que in re presenti intelligere poteris nobis fore necessaria ac opportuna, diligenter apud cesaream Mtem. sollicites pro pacificatione dicti ducatus Barensis ac quieta possessione ejusdem. Pro officio tuo et gratia nostra ea omnia facturus. Datum Cracovie die XXVIII Augusti. MDXXIV. Ex cod. mss. bibl. Korn.

CXXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Chrisostomo.

Significatum nobis est, quod executores testamenti Illrme. olim domine Isabelle, ducis Mediolani, matris nostre charissime defuncte, contendunt nos gravare et volunt exequi donationes factas per eam in testamento, nullo habito respectu, quod ipsa domina dux ab Cod. bibl. Ossolinianae.

initio

MDXXIV. initio contracti matrimonii se nobis obligaverat, quod nullam alienationem facere debuit ex ducatu barensi: quemadmodum tu bene ea omnia nosti, qui fuisti auctor et internuncius matrimonii nostri et non ignoras, que circa contractum illius matrimonii capitula facta et conclusa fuerunt. Non te latet etiam, quod ipsa debuit obtinere eorum capitulorum a cesarea Mte. confirmationem. Quare te hortamur: ut, postquam hec tu omnia clare nosti, executoribus et aliis, quibus opus est hec notifices, et quantum in te est, da operam, ne nos in justitia nostra impediamur, de quo non dubitamus, quod hec diligenter et pro eminenti virtute tua facies. Nos vero tuam diligentiam ac operam tibi vicissim gratia nostra regia referri curabimus. Datum.

CXXXV. Bona Sfortia, Regina Polonie, Ferdinando, Archiduci Austrie.

Cod. bibl. Ossolinianae. Serme. princeps. etc. Cum venisset nobis Romam et Neapolim mittendi et scribendi necessitas, cujus gratia hunc nostrum tabellarium cum literis expedivimus, iterque istac ille esset facturus, noluimus eum ad vram. Sertem. literis vacuum ire, quibus pro nostra mutua benivolentia ejus incolumitatem Serenissimeque conjugis ejus invisamus et agamus gratias, quod rebus nostris et Sermi. regis domini et conjugis nostri apud Sacram et fraternam imperialem Mtem. pro rei necessitate opem et auxilium ferre tam prompto tamque alacri animo dignata sit; quod profecto utrique nostrum adeo gratum est, ut pene pluris hanc ipsam vre. Sertis. benivolentiam, quam rem, de qua agatur, facere videamur, quamvis et ea non parvi sit apud nos, utpote que agitur de jure patrimonii nostri; atque ideo vre. Serti. sic agimus et habemus gratias, ut non dubitemus, iterum ab ea petere, ut non pretermittat occasionem, qua deinde id, quod cepit, apud ipsam imperialem Mtem. prosequi non cesset, quoad perficiet, ut nobis et Sermo. dno. conjugi nostro jus et libertas ducatus nostri Barensis ex arbitrio nostro habendi et gubernandi per suam Mtem. restituatur, persuadeatque sibi de Mte. dni. nostri et item de nobis vra. Sertas., ut qua parte eidem Serti. vre. parem gratiam referre possimus, nihil nos unquam esse pretermissuros, adnixurasque, ut hec nostra mutua amicitia, que jam pridem inter majores nostros altius radices egit, recenter vero tam arcto vinculo atque indissolubili quodam nexu confirmata est, ad summam benivolentiam perveniat, et multas nestoreas etates duret et firma permaneat. Optamus vram. Sertem. bene et feliciter valere. Cui nos ex animo commendamus.

CXXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Ferdinando, Archiduci Austrie.

Serme. princeps. etc. Litere vre. Sertis. incredibili letitia nos affecerunt, cognovimus enim ex eis, quanta animi alacritate vra. Sertas. commendare curaverit cesaree Mti. causam ducatus nostri Barensis. Quia vero ipse ducatus cum summa nostra injuria et contumelia nobis eripitur, mittimus ad ipsam cesaream Mtem. hunc secretarium nostrum etc. cui commisimus, ut inter eundum vram. Sertem. nostro nomine inviseret et nonnulla desideria nostra, causam ipsam Barensem attinentia, eidem referret. Quam plurimum rogamus, ut et fidem illi adhibere et iis, que nostro nomine postulabit, pro amore nostro mutuo annuere velit tanquam consanguineus et affinis noster charissimus. Quem pro consolatione nostra optime et felicissime valere desideramus. MDXXIV. Cod. bibl. Ossolinianae.

CXXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni, Dantisco, Oratori.

Postquam intelleximus, qnod vicerex Neapolitanus ademit nobis possessionem ducatus Barensis, fortassis ex mandato et jussis cesaree Mtis., quamvis antea tibi commisimus, ut ires in Hispanias ad suam Mtem. et has et alias res, que statum ipsum nostrum Barensem concernunt, sollicitares, attamen veriti, ne in itinere aliqua tibi supervenirent impedimenta, misimus eo et doctorem Stanislaum Bork, ne res nostre in aliquo retardarentur. Mandamusque tibi, ut negotia nostra una cum eo agas diligentissime et cures, ut omnia optato per vos fine terminentur et ut hac animi molestia, qua ex tam insigni et manifesta injuria affecti sumus, liberari tandem possimus. Facturus pro fide et gratia nostra. Cod. bibl. Ossolinianae.

(Legatio dni. Stanislai Bork desideratur.)

CXXXVIII. Verba Doctoris Stanislai Bork ad Ferdinandum, Archiducem.

Clarissime princeps, dne. clementissime. Cum ad sacram imperialem Mtem. Mtas. dni mei clementissimi me legare dignata sit, voluit, ut inter eundum ad vram. Sertem. diverterem ac sue Mtis. nomine ejus incolumitatem gratularer. Que cum animi sui letitiam literis suis per me redditis vre. Serti. exposuerit affatim, quod is amor, qui jure et merito in tanta cognatione esse debet, ad summam benivolentiam pervenerit, quemadmodum vre. Sertis. litere, quarum sua Mtas. literis suis meminisse dignata est, testantur et declarant, existimari me facturum esse opere precium, si hunc locum silentio pretermittam. Abrogatis Cod. bibl. Ossolinianae.

 autem

MDXXIV. autem his rebus, que ad factum duntaxat dici et fieri solent, hoc vre. Serti. repetere volui, quod ad S. Mtem. imperialem missus sum, ut sue Mti. exponam, quantum injurie Mtas. dni. mei acceperit, cum ducatus Barensis vi ei ademptus sit, nulla premissa disquisitione, nec ullo juris processu contra suam Mtem. aut Sermam. conjugem suam dnam. reginam instituto. Nemo est enim qui nesciat, eam esse peculiarem totius orbis hominum legem, ut qui sunt bonorum possessores non soleant de possessione depelli, nisi jure victi. Graviter quidem et moleste fert sua Mtas. et miratur vehementer, quenam ratio S. Mtem. imperialem adduxerit eamque voluntatem ei ingesserit, ut sine causa suam Mtem. tanta injuria immo vero contumelia affici permiserit, que cum omnes animi sui vires ad id intendere consueverit, ut de sua Mte. omnibus in rebus optime mereatur, eamque spem sibi polliceretur, ut in omni occasione parem sibi gratie relationem expectarit ab ea; tamen in eo casu, cujus justitia luce meridiana clarior cerni oculis potest, aliter experitur. Cum autem nesciat, quid suam Mtem. ad id faciendum permoverit, non penitus de amore ejus et benivolentia fraterna desperans atque ingeniis et persuasionibus aliquorum, hunc ipsum ducatum ambientium et affectantium, in errorem prolapsam existimans, me ad suam Mtem. misit, ut tota serie juris exposita et ostensa, adjiciam, suam Mtem. de illius S. Mtis. favore summam spem sibi polliceri, non solum ex eo et vetusto et recenti sanguinis vinculo, quod sue Mti. cum vris. Mtibus. intercedit, sed etiam, quod ipsa pro omnibus regnis christianis, tanquam in statione quadam perpetua contra omnes hostes ethnicos, quorum inumeras copias diverseque generis Oriens effundere quotidie non cessat, excubare et vigilare cogitur cum summo suo discrimine et ingenti sua regnorumque suorum jactura, quam si connivere vellet, ut ad vicina regna libere commearent, facile effugere et vitare posset. Sed quum nihil antiquius sibi ducat, quam de omnibus, si vel ingrati existant, beneficiorum bene mereri, pluris sua Mtas. ea facit premia, que ventura sunt unicuique pro laboribus suis, quam aliena ingratitudine ac benefactis possit averti. Vram. autem Sertem. rogat, cui sua omnia secunda cordi esse videt sicut et adversa dolori, dignetur suam operam sue Mti. apud illam S. Mtem. imperialem ita navare, ut emendatis erroribus admissis, qui magis reprehendi possunt quam corrigi, ad possessionem ducatus Barensis suam Mtem. et Sermam. dnam reginam restitui faciat. Illmus. autem dux Mediolani, si quid injurie accepit, non magno negotio equitatem consequetur. Cum enim affinitate juncti sint, nihil Mtas. regia detrectabit, quod ad ejus equitatem conservandam videbitur pertinere, ut amicitie fraterne, que necessitudini debetur, inviolata servetur et augeatur.

CXXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali Campeio.

Cod. bibl. Ossolinianae. Rme. Post obitum Illme. olim. domine Isabelle etc. ducatus Barensis ad nos jure hereditario devoluti possessionem accepimus, firmam habentes spem, quod in eo nulla impedimenta habere deberemus, num nuncii nostri, quos illuc misimus, nobis significarunt, quod Vicerex Neapolitanus

Neapolitanus accepit nobis possessionem ejusdem ducatus et posuit illum in sequestrum MDXXIV.
forte cesaree Mtis. mandato. Ea propter mittimus nos istum nuncium, venerabilem Bork etc. ad ces. Mtem., cui committimus, ut descenderet ad Sermum. dnum. Ferdinandum etc. et ad vram. Dtionem. Rmam., quibus exponeret hanc injuriam nobis preter spem illatam. Rogamus itaque Dtionem. vram. Rmam.: dignetur hoc negotium nostrum commendare Sctmo. dno. nostro et dno. Ferdinando, quatenus ipsi intercederent pro nobis ad cesaream Mtem., ut juberet nos restitui in possessionem, que nobis per injuriam adempta est, mandaretque, ne in eo ducatu foret nobis amplius aliqua molestia, quemadmodum is ipse nuncius latius referet Dtioni. vre. Rme., cui dignetur fidem adhibere omnimodam. Et valeat felicissime et nos diligat.

CXL. Sigismundus, Rex Polonie, Clementi VII. Pontifici maximo.

Beatissime pater. Non sum ego nescius, vre. Scti. esse cognitum jus conjugis mee Serme., Cod. bibl. Ossolinianae.
dne. regine, in ducatu Barensi, quod Illme. Isabelle de Aragonia etc. cum successione hereditaria, nulla exceptione nullaque conditione adjecta donatum est. Eo itaque jure fretus mox audito morte ejusdem Illme. dne. Isabelle etc. misi nuncios et procuratores ad capiendam possessionem meo nomine et ipsius domine regine, qui cum mandata perfecissent et continuarunt aliquanto tempore ipsam possessionem nihilque suspicarentur, quod ex adverso futurum esset, quominus citra quodvis impedimentum ex ipso ducatu potiremur, res minime sperata accidit. Scribunt enim iidem mei procuratores, viceregem regni Neapolitani jussu imperialis Mtis., ut ferunt, ejusdem ducatus Barensis possessionem eis ademisse, assignato sequestro, qui eum gubernaret, quoad per suam Mtem. decernatur, quid cum eo sit futurum, quasi lis esset sub judice, cum nihil unquam de eo sit judicatum, sed ne id quidem fieri posse, si quis velit; tanta vis est literarum et privilegiorum, quibus nitimur, ut nemo possit aliquid actionis Serme. conjugi mee, domine regine, super jure ejusce ducatus intentare, nisi aliqua cavillatione utens querere velit incommodandi occasionem. Non ignorat autem vra. Sctas. laboriosarum actionum mearum seriem in iis bellis, quibus sine intermissione dominia mea ab Infidelium potentia acerrime urgentur et premuntur. Que ego tanquam in statione manens, maximis impendiis pro omnibus fero, et tamen nulla ratio habetur laborum meorum et hoc amplius ea impedimenta ingeruntur, ne jure meo bonisque meis libere uti possim. Accedit, quod et huic secte pestifere, que se Luteranam appellat, queque odio ecclesie romane et sedis apostolice cum magno detrimento et scandalo Reipublice christianc excitata erupit, tantopere resisto, quominus vires sumat in terris meis, suntque multis ex partibus terris meis vicini, nec desistunt sollicitare et allicere vicinos, ut se eodem veneno imbuant et inexpiabili scelere contaminent, jurisdictionem romanam labefactare et enervare satagentes. Oro vram. Sctem., quam video omnes suas curas et vigilias ad id convertisse, ut rei christiane labanti et ex omni parte

 periclitanti

MDXXIV. periclitanti opem ferre valeat, dignetur earum rerum quam par est rationem habere et mihi regnoque meo opportunis subsidiis adesse. In hac autem causa ducatus Barensis, que sine controversia est justisissima, dignetur per literas oratori suo, quem apud imperialem Mtem. habet injungere, ut una cum meo, quem in hac causa Barensi in Hispaniam usque ad suam Mtem. misi, rem agat, vre. Sctis. nomine, ut possessio adempta citra omnem delationem mihi restituatur. Quidquid autem gratie et benivolentie rebus meis in hac et in aliis causis vra. Sctas. impartiri dignabitur, ego pro virili parte, quibuscunque meritis et officiis potero promereri et referre curabo ac me totum ejus gratie et amori paterno commendo et trado optoque, ut in ista sancta sede quam diutissime presit sospes et incolumis resque christianas felicissimis successibus moderetur.

CXLI. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali Protectori.

Cod. bibl. Ossolinianae. Rme. Ex literis nostris, quas ad Sctmum. dnum. nostrum dedimus, vra. Dtio. Rma. cognoscet, que sit causa nostra, pro qua scribimus; res enim agitur de ducatu barensi, cujus possessio jussu fortasse imperialis Mtis. nobis per viceregem neapolitanum adempta est. Mittimus autem ad suam Mtem. usque in Hispaniam ejus rei gratia nuncium nostrum et vellemus causam agi apud eam auxilio Sctmi. dni. nostri, qui ut oratori suo illic agenti eam literis suis commendare dignetur, ut communi consilio cum nostro agat. Rogamus Dtionem. vram. Rmam. nos apud suam Sctem. juvare dignetur. Rem nobis profecto gratissimam faciet, qui de romana ecclesia ac sede apostolica bene mereri non cessamus, id agendo, quod merito contra Infideles et Hereticos utrosque ejus hostes acerrimos agi debet. Optamus autem vram. Rmam. Dtionem. bene valere.

CXLII. Sigismundus, Rex Polonie, Viceregi Neapolitano.

Cod. bibl. Ossolinianae. Mgce. etc. Ex literis nunciorum nostrorum, quos post mortem Illme. dne. Isabelle etc. misimus ad capiendum ducatum Barensem, accepimus te jussu imperialis Mtis. ejus possessionem eis ademisse, et mirati sumus vehementer, que causa suam Mtem. impulerit ad hanc injuriam nobis irrogandam. Quapropter ad eam nuncium misimus, petitum, ne in ea voluntate perseverare dignetur, sed cognita melius causa mutataque sententia, faciat eosdem nuncios nostros restitui in possessionem. Spem autem indubitatam habemus, suam Mtem., que sua est prudentia et in justitiam animi propensio, fraterne et amice in hac ipsa causa esse acturam. Ceterum is nuncius noster exponet tibi in ipsa causa esse mandata nostra, que ad te informandum a nobis accepit. Quicquid igitur nostro nomine dixerit, fidem ejus verbis habeas eque ac nostris.

CXLIII. Sigismundus, Rex Polonie, Francisco Regi Gallie.

Magna injuria affecti a vicerege regni Neapolitani, qui nobis possessionem ducatus Barensis, jure ad nos et Serenissimam conjugem nostram devolutam, vi ademit, nulla premissa dispositione nec ullo juris processu contra nos instituto, mittimus ad cesaream Mtem. hunc nuncium et secretarium nostrum Stanislaum Bork, decretorum Dr., qui cum per regnum et terras vre. Mtis. iter sit facturus, rogamus illam plurimum: velit illi de securo transitu providere, ut absque ullo impedimento et remoratione munus ac iter sibi injunctum perficere possit. Rem nobis gratissimam faciet Mtas. vra., quam illi vicissim omnibus officiis et gratificationibus nostris referre curabimus. Et felicissime valeat Mtas. vra. et nos diligat. MDXXIV. Cod. bibl. Ossolinianae.

CXLIV. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo V. Romanorum Imperatori.

Serme. princeps et dne. frater et consanguinee noster charissime ac honorande. Cum non multo ante cognovissemus Illmum. dnum. Mediolani ducem, Franciscum, apud vram. Mtem. vehementer instare et petere, ut pretextu cujusdam juris, quo niti dicitur, possessio ducatus nostri Barensis nobis adimeretnr, mox ad Mtem. vram. literas dedimus, juris nostri ordinem et seriem declarantes, petimusque iisdem literis, ne quid vra. Mtas. statuere dignetur, quod juri nostro contrarium censeri possit. Nunc autem nuncii nostri ad eundem ducatum barensem missi literis suis nos informaverunt, viceregem neapolitanum possessionem ejusdem ipsius ducatus barensis nobis ademisse et sequestrum in eo constituisse. Magna igitur molestia ex hac nova et insperata injuria affecti, mittimus ad vram. Mtem. hunc secretarium nostrum, venerabilem Stanislaum Bork etc. rogamusque illam plurimum, ut et fidem illi adhibere et in iis, que nostro nomine postulabit, ita se exhibere dignetur, ut illius excelsa virtus et nostra justitia nosterque mutuus amor et conjunctio exposcit. Quod illi vicissim omnibus officiis omnique amore et observantia nostra semper referemus. Christus deus servet vram. Mtem. cesaream diutissime sospitem et felicem. Cui nos ex corde commendamus. Cod. bibl. Ossolinianae.

CXLV. Sigismundus, Rex Polonie, Mercurino de Gattinaria, Cancellario Cesaris.

Illris. et Magce. dne. Cognovit abunde vra. Dtio. ex aliis literis nostris, quas non multo ante ad eam dedimus, nostram necessitatem, que ad imperialem Mtem. scribendi materiam prebuit. Cod. bibl. Ossolinianae.

MDXXIV. prebuit. Nunc vero ex literis nunciorum nostrorum, quos, ad ducatum Barensem misimus, accepimus, viceregem neapolitanum possessionem ejusdem ducatus nobis ademisse seque ad illum intromisisse cum magna injuria nostra. Nos quidem omnibus in rebus, quas unquam apud imperialem Mtem. egimus, vre. Dtionis. benivolentiam satis superque experti sumus eaque quoad opus erat ita usi sumus, ut in iisdem actionibus nostris omnia nobis ex sententia succederent, et nunc cum tanta sit necessitas ac injuria nostra, quantam vra. Dtio., etiam si eam nemo referret, facile cognoscit, rogamus illam plurimum, operam suam iisdem actionibus nostris apud ipsam imperialem Mtem. navare velit, quas altius repetendo iste secretarius noster etc. coram exponet, cui suo consilio et patrocinio adesse velit, ut tanto commodius munus, quod obiturus est, ex re et sententia nostra conficere possit. Quo nos tanto magis sibi devinciet, quum ad cumulum suorum erga nos officiorum id etiam accesserit. Et valeat felicissime vra. Dtio.

CXLVI. Joannes Dantiscus, Orator, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. bibl. Ossolinianae. Serma. Mtas. et dne. clementissime. Post humillimam perpetue mee servitutis commendationem. Paulo ante significarunt mihi Velserorum factores, quod in Flandriam secretum tabellarium mitterent, qui infra horam hinc exiret; proinde ut saltem Mtas. vra. sciret, me jam huc applicuisse XXVa preteriti, has subito exaravi. Non sum hic acceptus hoc tempore ut prioribus duabus vicibus, suspicantur, nescio quid, de Gallis. Hic passim predicantnr, que cum rege Gallie nomine Mtis. vre. per dnum. palatinum siradiensem sunt tractata et plura adduntur, que forte in rerum natura nunquam fuerunt. XIXa preteriti perveni abhinc duo miliaria et misi pro hospitio, more solito data mihi fuerunt tria, unum apud quendam sacerdotem, ubi neque stabulum neque culina fuit, alia duo apud mulieres, quas cortisanas vocant. Ibi penitus neque pro equis aut pro servis ulla fuit commoditas. Conduxi hic igitur hospitium, pro quo qualibet septimana solvo tres ducatos. Cum magno cancellario fui aliquoties et in prandio et in negotiis, pollicetur egre operam suam, nihilominus pollicetur, sed sobellos sine cesaris voluntate accipere non vult; sunt adhuc apud me, neque dabuntur frustra. Cesar hinc recuperande valetudinis gratia et ut sororem juniorem Catharinam expediat in Portugaliam, ubi matrimonium contractum est, superioribus diebus ad quinque miliaria discessit, et hanc illius quartanam, qua laborat, causam esse ferunt, quod adhuc in colloquium non admittor. De sequestro status Barensis egi cum cancellario ad longum, addens, si non restitueremur in integrum, futurum, quod omnis amor et observantia Mtis. vre. erga cesarem certo corrumperetur, et alia, que videbantur huic negotio expedire. Respondit amorem vre. Mtis. remansurum et cesarem nihil aliud hac in causa, quam quod equitatis sit, facturum. Aliud ex illo hactenus extorquere non potui. Versor itaque in his turbinibus usque ad vertiginem, que et nunc me male habet; scribam tamen, cum auditus fuero a cesare, latius de omnibus, scribam etiam diffusius,

fusius, que hic aguntur paulo post. Intra duos dies posta Romam mittetur, illac dirigam meas, que venient in manus college mei Neapoli. A Christianissimo rege Gallie in Lugduno humaniter et auditus et habitus sum. Illius Mtas. libenter mihi dedit liberum transitum. Ibidem a quodam amico, ut ulterius progrederer, centum ducatos accepi in mutuum, quos, acceptis a Fuccaris pecuniis, hic solvi. Polliciti mihi sunt pro sustentatione, que erunt necessaria, alias nescio, quomodo hic mecum ageretur. Bellatur ab hac parte atque agitur acriter. Nunquam majorem pecuniarum penuriam in hac aula cognovi, quam hoc tempore, et hec spero brevi faciet pacem. Habita liberiore opportunitate, scribam uberius de omnibus Mti. vre. Serme. Cui me suppliciter commendo. Datum ex Valleoleti III Octobris. MDXXIV.

CXLVII. Joannes Dantiscus, Orator, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. etc. Ea que potui pro temporis angustia Mti. regie descripsi. Applicui huc sanus confecto longissimo itinere octingentis et quindecim miliaribus, oblitus omnium discriminum, laborum et incommoditatum cum hic sum. Pontifex misit huc breve oratoribus florentinis in negotio status Barensis: si proficiet, experiemur, a me nihil omittetur, quantum se intellectus meus extendit usque ad extremum. Bonum tamen esset, quod cum prime litere regie huc venirent, mentem et animum sue Mtis. hac in re declarantes, quibus mihi et animus adderetur et in dicendo fides firmior adhiberetur. Suspicor hoc sequestrum non esse ob aliam rem magis factum, quam ut castrum Barense acciperetur, quod factum est ob metum Gallorum fortassis, ne illis in manus daretur. Hoc quod timui et coram dixi, accidit: ista legatio ad Galliam fecit sequestrum, si hoc vel precibus, vel minis solvere poterimus, omnis danda est opera. Ex Urbe illac scripturus sum de omnibus latius, meas accipiet paulo post, Serma. Mtas. regia et Dtio. vra. Rma. dabunt celeritati veniam, et presertim Mgcus. dnus. palat. cracoviensis, quod illi in presentia non scribo. Ad commissionem Georgii Hegel, nomine Dtionis. vre. Rme. accepi trecentos ducatos a Fuggaris; cum cirographus meus ostenderetur, queso Dtionem. vram. Rmam. det apud Mtem. regiam operam, ut solvantur. Rmo. dno. Premisliensi me plurimum commendo, dno. Nibszicz et dno. Zamboczki mille mille salutes dico et me in gratiam vre. Dtionis. Rme. dedo et trado totum. Datum ex Valleoleti III Octobris. Cod. bibl. Ossolinianae.

CXLVIII. Joannes Dantiscus, Orator, Nicolao Ssidloricio, Castell. Sandomirien. et Regni Polonie Thesaurario.

Mgce. et gratiose dne. Humilem servitiorum meorum commendationem. In discessu meo, nescio quem gravem animum Mgcia. vra. contra me conceperat ob importunam fortassis Cod. bibl. Ossolinianae.

expeditionis

MDXXIV. expeditionis mee sollicitationem. Dolui hoc profecto vehementer, hoc accidisse, petiique subito veniam et dno. Nipszicz postquam Cracoviam exiveram, injunxi, cum mihi sit in aula Mtis. regie singularissimus amicus et Mgcia. vra. eum libenter gratia sua prosequitur, ut me illi modis quibus posset commodioribus reconciliaret. Quod quamvis factum non dubitem, cum Mgcia. vra. sit preter alias virtutes, quibus predita est, humanissima mente apud omnes nobiles tamen et in presentia per tam longam inter nos intercapedinem si unquam deliqui, queso fasso ignoscat, nihil enim gratia et favore Mgcie. vre. mihi potest esse jucundius et in illo me velim oblectare semper. Non potui igitur mihi temperare, licet tam procul absim, quin saltem hunc meum affectum per tantam distantiam, que inter nos est, Mgcie. vre. significarem et is mihi ad illam scribendi prebuit materiam. De negotiis mihi commissis quo sint in cardine et que hic aguntur, abunde ut reor Mgcia. vra. ex meis ad Mtem. regiam intelliget, hoc tamen addendum censui. Mgcia. vra. me faventem partibus Cesaris semper cognovit; hinc fuit, quod nulla inter me et dnum. Antonium Rinconem erat consuetudo, cum vero nunc videam mutari auram, et ego vela contraham. Placuit mihi mirum in modum Christianissimus rex Gallie cum propter illius persone prestantiam et humanissimos mores, tum etiam, quod illum res Sermi. dni. nostri summopere cordi habere agnovi, et si secus evenerit quam speramus, et ego capiti meo cristas imponam. Alia non restant. Commendo me Mgcie. vre. et dedo totum quesoque gratia sua, qua olim consuevit, me prosequatur, et ubi per occasionem poterit, rebus meis apud Mtem. regiam faveat. Ex Valleoleti XII. d. Novembris.

CXLIX. Joannes Dantiscus, Orator, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. bibl. Ossolinianae. Rme. in Christo pater et dne. dne. gratiosissime. Humillimam commendationem. Dnum. doctorem Bork et literas Dtionis. vre. Rme. ita libenter vidi et excepi, ut unquam aliquid quod in hoc mundo mihi fuit gratum. Ea omnia, que cum illo hic egerim, ex literis meis satis prolixis ad Mtem. regiam intelliget. Intelliget etiam difficultates meas, in quibus hic versor, cum mihi neque redire neque manere satis sit integrum; potuisset mihi saltem Dtio. vra. Rma. pro solita sua in me gratia aliquid significasse, si aliqua difficultas se in his rebus offerret, presertim de mora hic facienda, quid mihi sequendum foret. Nunquam profecto in animo meo sic fui turbatus et perplexus, et quemadmodum hanc profectionem huc non ambivi, ut Dtioni. vre. Rme. cognitum est, sic etiam ferre potuissem, ut quisquam alius, qui largitionibus id querebant, hic pro me fuisset. Hoc, quod ego semper timui, et cum Dtione. vra. Rma. locutus sum aliquoties, evenit: omnes enim has difficultates per dnum. Ferdinandum archiducem habemus, omnes tractatus hic passim... a pueris canuntur.... — ulterius itaque caute erit ingrediendum, ne vel hunc..... Gallum vel Cesarem offendamus. Nondum est finis. D. apud... Gallum se dixit ad..... pontificem esse missum, ut tanto..... melius expediretur, et multa ibidem..... promisit, et cum hoc non eveniet, nove

nove erunt suspiciones, et timendum est..... ne postea utrumque amittamus. Quod pro MDXXIV. incomparabili prudentia sua Dtio. vra. Rma. melius quam ego describere possim intelliget. Nusquam tuta fides. Ego hic, cum sic mihi est in fatis, manebo, velim tamen, si cum gratia regia et reginalis Mtis. fieri possit, ut cito revocarer et alius etiam periculum faceret, quid hic agatur; non tamen ut ego volo, sed fiat voluntas domini. Queruntur mirabiles vie, ut reor, a principibus quibusdam germanis, hoc potissimum tempore, quibus amicitia et benivolentia inter Mtem. cesaream et Sermum. dnum. nostrum infici et penitus tolli possit, quo factum est, quod hactenus..... vellus aureum non est..... perlatum. Nuper etiam audivi in simposio una cum dno. doctore Bork a preposito de Waltkirchen, qui hic nunc omnia imperii et Germana negotia dirigit, quomodo huc fuissent misse litere Sermi. dni. nostri, quas ad regem Ungarie scripserat, et ipse dnus. prepositus gloriabatur, se eas legisse, in quibus continebatur, quomodo Sermus. dnus. noster regem Ungarie hortabatur...... ut pacem faceret cum Turcis si viribus suis diffideret modis quibuscunque, quod hic factum contra cesarem sunt interpretati. Hinc perpendat Dtio. vra. Rma., quam secreto res nostre apud illum bonum regem servantur, et qui sint, qui hec secretiora partium nostrarum huc mittant. Tales tractatus, meo rudi judicio, per literas fieri non deberent, cum sic periculosum sit et hec curia boni regis tot malis hominibus regatur. Amisimus nostra incuria castrum Barense, unde omnes has difficultates habemus,..... fuit in eo cum quadraginta suis conductis stipendiariis, potuit deponere castellanum et non fecit, certe culpa carere nequit. Hoc non scribo, ut..... illi nocerem sed fides mea et veritas mecum vi impellunt. Sed de his aliquando coram latius. Hec summa fuit Cesarianorum practica, ut castrum hoc mox post mortem Illme. dne. ducis haberent. Dubito valde de restitutione. Hinc nos fortasse cogent, si jure statum hunc habere nequiverint, ut per hujusmodi difficultates eum vendamus. Intellexi etiam Neapoli a dno. secretario Ludovico, quod Illma. dna. dux..... nullum super castrum jus habuerat. Bene fuit instructum et optimis machinis munitum.

Status Italie mutatus est vehementer, postquam dux Burbonensis nervo carens secedere fuit coactus; aliqui hic dicunt, quod..... pontifex sentiat cum Gallo. Quod sic si fuerit, actum est. Alia hoc tempore hic non habentur, ea, que postea se offerent, cum hic remanere debeo, scribam copiose et sedulo. Interea Dtio. vra. Rma. mei dignetur habere rationem, ut cum viatico mihi provideatur. Eos trecentos ducatus, quos ex dispositione Georgii Hegel ad fidem Dtionis. vre. Rme. et meam accepi, queso Mtem. regiam efficiat, ut solvantur, illos habeo in deposito pro meo reditu, nam hic nihil spero. Cum Rdo. Dre. Bork latius de omnibus. Commendo me et sacellum meum humiliter Dtioni. vre. Rme. Deus opt. max. faxit, ut illam brevi salvam et incolumem videre possim et ab illa neque latum unguem dimoveri amplius. Ex Valleoleti Castilie XII Novembris.

CL. Joannes

CL. Joannes Dantiscus, Orator, Nicolao de Ssidlovec, Castell. Sandomirien. Thesaur. Regni P.

MDXXIV. Cod. bibl. Ossolinianae. Mgce. dne. Humillimam servitiorum commendationem. Cum certo sciam ea in notitiam Mgcie. vre. ventura, que ad longum Serme. regie Mti. descripsi, nolui prolixis meis literis Mgcie. vre. esse morosior, sed illa in compendium conferre, in quibus gratia et adminiculo Mgcie. vre. plurimum egeo. Cum adhuc totus essem Cesareanus, nulla mihi cum dno. Antonio Rincono potuit esse consuetudo, qua de re cum nuper in curia Christianissimi regis Francie cum ipso dno. Antonio multa sum locutus, obtinui ab eo, ne hanc meam inofficiositatem, si dici potest, egre ferret. Rogavit me cum aliquando ad Mgciam. vram. scriberem, illi eum summopere commendarem. Postquam hac in aula mihi est immorandum et conductus, quem a rege Christianissimo habui, evanuit, alius mihi pro reditu erit impetrandus, pro quo a Mte. regia ad illum regem literas petii et a Mgcia. vra. alias ad dnum. Antonium peto, quibus ille facilius operam suam apud Mtem. Christianissimam impenderet, ut liber mihi transitus per Galliam in reditu daretur. Dominus Antonius de mea erga illum excusatione fuit contentus, que hec fuit. Eo tempore cum esset apud nos mihi fuit incognitum, quid nomine regis sui apud Sermum. regem nostrum tractaret, cum autem postea mihi res hec in notitiam venisset, presertim de ista conjunctione et affinitate utrinque composita, non potui nisi illi favere, cui Sermus. dnus. meus bene vellet, quo fieret, si prius illi fortassis fuissem adversus, nunc velim deinceps illi semper esse addictus. Collaudavit hanc purgationem meam et se posthac ea de re nunquam mecum expostulaturum promisit. Quomodo a Christianissimo Galliarum rege fuerim exceptus et quam humaniter ab illius Mte. in Lugduno habitus aliquando coram referam. Interea me vre. Mgcie. ut dno. meo gratiosissimo commendo et rogo rebus et fortunis meis post tam longam et duram servitutem, ubi occasio se offeret, coram Serma. Mte. regia favere velit. Datum ex Valleoleti villa castilica XIII. Novbris.

CLI. A. Cricius, Eps. Premisliensis, Raphaeli, Epo. Plocensi.

Cod. Korn. Rme. etc. Missus preteritis diebus in Ungariam redii gratia dei salvus et incolumis. Erant due cause missionis mee, altera necessitas Sermi. dni. regis Ungarie in componendis turbis et seditionibus domesticis autoritate Mtis. dni. nostri, que tanta est illic, ut vel hic major desiderari non possit, altera ob quedam nostra negotia, que gratia dei, ut Mtas. sua voluit et res nostre expostulabant, sunt a nobis confecte. Turbe autem et seditiones regnicolarum illius Mtis. ita sedate sunt, quemadmodum solent male curata vulnera, ut obducta duntaxat cicatrice, brevi plus erumpat et vulnus rursum recrudescat. In summa enim

enim omnia illic ea sunt, que apud nos, sed eo utique magis, quod et principem habemus, illi principis duntaxat simulacrum, et quod iste artes, que nos et illos perdunt, ad nos illinc fluxerunt proindeque magis ibi quam apud nos usitate, que nullo modo tolli possunt, nisi vel per seditionem popularem, vel, quod deus avertat, per hostem. Quando, deo bene juvante una conveniemus, latius de his loquemur. Verum tempus est jam, nos a somno surgere; sumus enim in extremo positi periculo, seponende essent private utilitates et privata studia, que pacis sunt: nisi enim omnes unanimiter ruentem publicam rem capesserimus, actum erit de nobis. MDXXIV.

Ego in Ungaria existens tanta comperi non solum de illis, sed etiam de nostris rebus, ut mallem nihil comperisse; ventitabant enim ad me summates plerique et omnes querimonias suas in sinum meum libere effundere solebant. De quibus hactenus. Optavit a me vra. Dtio. Rma., ut marsalco suo darem aliquem conductorem meum in Ungariam, quod et alia omnia libentissime faciam pro Dtione. vra. Rma., cujus bone gratie me commendo. Datum Cracovie XVIII° Novembris.

CLII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Crac. Vicecancellario.

Tomicius eo tempore abierat Cracovia ad conventus Prossevicen. et Corcinensem.

Rme. in Christo pater et dne. benefactor gratiosissime. Mandare mihi dignata est Mtas. regia, has literas vre. Dtioni. Rme. et dno. palatino mittere, ex quibus intelligent, quam principes illi urgeant ad comparendum in termino designato. Idem agit mecum dnus. Strigoniensis, ne per Mtem. regiam compromissum videretur annullatum. Verum, ut puto, non caret mysterio aliquo hec cura ipsius domini archiepiscopi et missio pro legato apostolico. Vellet Mtas. regia quam celerius rescribere, optatque, ut Dtiones. vre. quantocius sententiam suam significent. Mitto etiam vre. Dtioni. Rme. literas nostri Broderici et Pisonis, ex quibus intelliget, nihilominus eos promoveri, qui et nihili sunt et non nisi mercimoniis nituntur. Habet tamen ipse Brodericus adhuc spem nonnullam, eam fulciri cupit regio patrocinio, qua in re cupio amicum et nobis addictissimum juvare. Proindeque supplico Rme. Dtioni. vre.: dignetur mihi in ea ipsa re consilium prestare et Mti. regie pro eo non nihil scribere. Uterque tam Brodericus quam Piso denotant gratifice dnum. Strigoniensem, cujus studium est, neminem idoneum, nisi qui totus ex se dependeat, promovere. Dignetur, rogo, utrinsque literas mihi rursus remittere. Commendo me humiliter Rme. Dtioni. vre. Datum Cracovie in vigilia conceptionis Domine nostre. Ex cod. mss. bibl. Korn.

CLIII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Betro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

MDXXIV. Cod. K. R. Rme. in Christo pater etc. Post expeditum nuncium cum literis regiis accurrit ex Srzoda cubicularius cum significatione dni. Gorski, secretarii, de actis conventus illius, cujus literas misissem cum his aliis vre. Rme. Dtioni., verum illas nondum regie Mti. perlegi, respuente Mte. sua prolixitatem ipsarum, quibus ille more suo diligenti et accurato et quo pacto vocatus fuerit ad ecclesiam, que loca nobilitas queque constiterit, ubi ipse collocatus fuerit et alia id genus explicando, totam illam historiam copiose depinxit. In summa est autem, scissam fuisse nobilitatem, unam partem voluisse cum dno. Luca de Gorka, cast. posnanien. de propositis necessitatibus Reipublice consulere et nuncios eligere, alteram hoc colore obstitisse, quod unus solus esset ex consuetis dominis consiliariis, proindeque si cum illo solo nuncios eligerent, viderentur nonnihil aliis dominis consiliariis detrahere, cum quibus preteritis duobus conventibus hanc electionem recusassent electosque per unam ipsam partem hos XIII nuncios srzemensem, biechoviensem, caminensem castellanos, Sandivogium Czarnkowski, Andream Grudzinski, Georgium Konarski, Joannem Gostinski, Dnum. Iwienski, Thurek Grabienski, Grzymałtowski, Kxiąski, Bojanowski, Suchorzewski. Ad quos post multas turbas et alteram partem consensisse ea lege, ut tractarent omnia pro bono et utili Reipublice cum consilio dominorum consiliariorum, committentes illis, ut Mtis. regie decreta susciperent et consiliarios honorarent, dantes illis plenitudinem potestatis omnia faciendi. Nunc Mtas. regia edocere debet dominnm castellanum posnaniensem: utrum his nunciis, pluribus preter solitum electis, expense dari debeant nec ne. Nam et sequelam malam esse dandi, negandi vero novum aliquod impedimentum et perturbatio. Quod Mtas. sua statuet, adhuc incertus sum; si Rma. Dtio. vra. significare dignaretur suam sententiam, celerius opportune faceret. Cujus gratie me humiliter commendo. Cracovie in vigilia conceptionis Marie sub vespera.

CLIV. Joannes Dantiscus, Orator, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. R. Serma. Mtas. regia et dne. dne. clementissime. Duodecima mensis preteriti per postam, que ad Urbem hinc dirigebatur, descripsi ad longum omnia, que eo tempore per me et dnum. Doctorem Bork, collegam meum, erant acta. Interea nos huc cesarem sequuti XXV^a^ predicti mensis venimus duobus diebus prius, quam Magnus cancellarius applicuisset, in amplum et magnificum hospitium locati, in quo nihil aliud quam nudos habuimus parietes et erant nobis mense, scamna, lecti, et preterea quicquid ad usum domesticum spectat emendum. Paulo post etiam advenit archiepiscopus Capuanus, ille de Ssonbergk (Schonbergk Cod. Ossolin). Et quum apud Magnum cancellarium et comitem de Nassau de castrorum recuperatione ad statum barensem spectantium multa egissemus, ad illum etiam fratrem, si

si ea in re a pontifice quicquam in commissis haberet, nos contulimus. Qui in primo congressu statim de rebus illius status quesivit, dicens, se habere mandata desuper pontificis. Et quum rem in compendio retulissemus et quod castra in sequestro essent retenta, subjunxit: non bene posse aliter fieri, quum castra illa essent in limitibus regni, sequi necessario, castellanos illis prefici debere, qui cesari grati et fidi atque jurati essent. Omneque id quod nobis est adversum proposuit perinde ac si ab alia parte ad tractandum fuisset institutus, addens etiam, quod hic res aliter quam apud vos in Polonia aguntur, et non omnia, que sunt de jure, posse fieri, aliter etiam agi in Anglia, alludens ad hoc, quod frater ejus Joannes ibidem fuisset, quum et ego eram. Respondimus: si quid in commissis haberet rationibus nostris accommodatum, id nomine pontificis Mti. cesaree referret si postea de castellanis res in tractatus deveniret, nos hoc suscepturos, quod necessitas doceret, ipse modo negotium nostrum sic haberet commendatum, quemadmodum de pontifice Mtas. vra. Serma. sibi polliceretur. Promisit, ut fieri solet. MDXXIV

Nos desuper sedulo ex consilio dni. comitis de Nassau, ut ad colloquium cesaree Mtis. admitteremur, sollicitavimus. Tandem secunda mensis istius Decembris in nocte misit ad nos cancellarius, quod mane ad missam cesaris venire deberemus, homagium prestituri et de omnibus audientiam habituri. Quod cum fecissemus, cesar post missam in sede residens, presentibus multis et oratore regis Anglie, circumstantibus aliis et genuflexis Magno cancellario et secretario, Petro Garcia, proposito ad partem libro evangeliorum et cruce, nos coram se ad genuflectendum admisit. Et quum homagii juramentum fecissemus, cujus exemplum presentibus cum aliis adjunxi et ad ea verba oribus et manibus pervenissemus, cesar digitos in pectine junctos utramque manum exhibuit, inter quas quilibet nostrum seorsum manus sic etiam conjuntos inclusit et tandem ultimum articulum postquam ter legissem, dnus. collega omnia per me lecta rata habuit; desuper dictus secretarius uti notarius publicus instrumentum per testium vocationem confecit, acceptis a nobis prius mandatis et facultatibus nostris. Inde surgentes, pauca propter tumultus (cesar enim venatum ire debuit) cum illo loqui debuimus; sed nos de omnibus ad cancellarium remisit, cui singula, que adhuc erant expedienda, presertim de cautione prestanda et castrorum custodia in scriptis per modum supplicationis dedimus, que, ut hic mos est, ex commissione cesaris ad quemlibet articulum subscripsit et decretavit ac nobis reddidit.

Quum autem in illis invenissemus, quod tam de cautione, quam etiam de castris ad collaterale consilium neapolitanum essemus remissi, quod alias in rebus his nobis non parum fuit suspectum, iterum sera nocte cancellarium convenimus et super his, que nobis suscipienda non erant, satis plene contulimus, unde motus hanc decretationem cassavit et tertiam addidit, sic videlicet, quod reginalis Mtas. statuere potest suum castellanum, cesari tamen gratum, qui jurare debebit, si juridice decretum fuerit, statum hunc ad reginalem Mtem. non pertinere, de illo decedere: sicut hoc ex nostris supplicationibus et illis desuper decretationibus videbitur, quarum exemplum etiam presentibus addidi. Rem ulterius promovere nequivimus. Fertur aliter fuisse superioribus diebus in hoc negotio in Burgos civitate decretum, multique putant: nos non parum in hac causa obtinuisse cum quadam etiam admiratione. Hec rerum et temporum mutatio non vulgariter istis negotiis profuit; caute tamen utendum etc.

Presentibus

XXIV. Presentibus omnium literarum exempla sunt addita utpote investiture, confirmationis observatorie, assecurationis vasallorum cum aliis publicis ac privatis literis ad collaterale consilium. Que quantum constiterint et quid pro eis expositum sit in cancellaria, ex literis dni. doctoris habebitur, qui cum his recta Neapolin contendet, habiturus profecto, hoc precipue belli tempore, longum satis durum et periculosum iter hinc. Quomodo ibidem suscipientur et tractabuntur, liquido describere poterit.

Ego hic, sicut in novissimis scripsi, negotiis id exigentibus, maneo, quod consultum et commodum nobis utrisque visum est: si fortassis in istis expeditis apud hoc collaterale consilium aut alibi emergeret obiter aliqua difficultas, quod novis expensis et legationibus non foret necessarium, non, quod hanc moram sumptibus non parvis Mtis. vre. Serme. libenter hic facerem. Deum testor, cui nihil abditum, testabitur etiam Dr. Bork ea de re mentem meam, nihil tamen in servitio Mtis. vre., modo bene servire possem, mihi durum aut difficile est futurum, quum mihi illius desuper certa voluntas nota fuerit, quam mihi cum primis significare dignetur.

Reliquit mihi hic dnus. Doctor usque ad ulteriorem informationem Mtis. vre Serme. trecentos ducatos et de aliis omnibus adhuc mihi ducenti ducati restant, cum quibus, ut reor, tribus mensibus vivere possum, servato viatico pro reditu, si me intra hoc tempus Mtas. vra. Serma. revocare dignabitur. Quodcunque ulterius per me fieri volet, usque ad extremum halitum fideliter et quantum se meus intellectus extendit exequar et non gravate suscipiam, dummodo certo edocear, quid factu sit opus.

Adjunxi his dupplicatas h. c. copias mearum literarum et omnium scripturarum, quas XXI[a] preteriti versus Urbem misi, si forte intercepte ad Mtem. vram. Sermam. non pervenissent. Ex his istius aule historiam totam intelliget, in qua adhuc versatur.

Mtas. cesarea quartana, ut prius, laborat, in expeditionibus morosa et difficilis, quo factum est, ut dnus. Doctor citius expediri non potuit; si fuisset sana et liber ad illam ut quondam adytus permitteretur, pro veteri mea hic practica, ut reor, commodius omnia et magis ex sententia fuissent expedita.

Nescio, quis modus in literis Mtis. vre. Serme. mittendis inconveniens servatur. Reddite hic mihi sunt paulo ante XXVIII[a] preteriti litere Mtis. vre. Serme. X[a] et alie XXVIII[a] Junii Cracovie date; que si huc tempestivius ad me fuissent perlate, non parum his negotiis commodassent. Inter illas, que erant cesaree Mti. inscripte, non sunt per me reddite, neque erant expeditionibus nostris apte. Que vero scripte erant ad me de Magno cancellario, qui tunc in Italiam dicebatur venturus, ut me inter eundum ad eum conferrem, pro ea confidentia, quam de illo Mtas. vra. Serma. haberet, eas illi legi. Quantum ad hunc punctum videbatur valde gratus, quod illi tantum Mtas. vra. tribueret, et obtulit se plurimum et deinceps etiam mitius et planius nobiscum loquebatur. Deinceps queso, si mittende sunt litere, faciat eum ordinem, ne tam diu sint in itinere. Et si Mti. cesaree vel cuicunque alteri a Mte. vra. Serma. scribetur, exempla ad me mittantur, ut sermo habendus cum literis conveniat, quod expedire videtur, quia vox viva plus quam scripta penetrare soleat.

In eisdem literis Serme. Mtis. vre. inclusa erant pacta et tractatus matrimonii in simplici carta descripti, mandavitque Mtas. vra. Serma. ut desuper a Mte. cesarea confirmationem peterem.

rem. Quum autem dnus. Doctor duobus mensibus post datam istarum literarum a Mte. MDXXIV.
vra. Serma. huc cum ampla omnium negotiorum informatione fuerat expeditus et de istiusmodi confirmatione nullam haberet commissionem cartaque mihi missa non esset in forma publica, cui credi posset, descripta, et ne adhuc hic liquido cognosceretur, matrimonium non esse confirmatum, me continui usque ad aliam Mtis. vre. Serme. informationem, hac potissimum de causa, quod Mtas cesarea Illme. dne. ducis testamentum non confirmavit, neque aliquem super legatis consensum dedit et deinceps, nisi cognitum fuerit prius, est confirmatura, ut ex decretationibus desuper latius habetur. Proinde, quodcunque ex re Mti. vre. Serme. visum fuerit, significare dignetur, omnia experiar.

Ceterum ut redeam ad Ulyssem illum vel potius Sinonem de Schonbergk, in novissimis Mti. vre Serme. perscripsi, quanto cum desiderio illius hic adventus expectabatur, sed retentus a Gallis donec Alpes transirent et rursus Mediolano potirentur, aliquandiu venire non potuit. Venit tandem ultima mensis preteriti, sub noctem. Ilico Magnus cancellarius ad eum se contulit et ex diversorio, in quo erat, illum met tertium, ut in postis venerat, in domum suum secum abduxit. Mane dnus. comes de Nassau eum in palatium accepit. Ibi cum illo quotidie fere primores cesaris consiliarii convenerunt et nescio, quid tractarunt. Hoc tamen scio, rogari dnum. cancellarium, cum mihi esset scribendum et dno. college redeundum ad Mtem. vestram, ut si qua spes tandem pacis esset, quam Mtas. vra. inter istos principes maximopere cuperet, velit nobis impartiri, Mtem. vram Sermam. certiorem faciendam. Ille respondit: dnus. Capuanus huc venit a pontifice et proposuit cesari, si forsan Mtas. cesarea per istam mutationem Gallis in Italia existentibus sibi timeret, pontificem operam daturum, ut aliqua pax vel inducie saltem confici possent et de remediis opportunis tractaturum. Ad quod Mtas. sua cesarea inquit: „Timere non possum, quum „omnia mea sint integra. Ille, qui tot accepit damna et detrimenta potius timeat, pacem „tamen cupio semper et nihil est, quod magis cogitem, modo equis et me dignis condi„tionibus offeratur. Quod si pontifex pro suo debito et officio de hujusmodi mediis trac„tare decrevit, non potest mihi nisi esse gratum.“ Cum hujusmodi expeditione remissus est Capuanus. Hec fuerunt, quantum ipse memini, ex ordine cancellarii verba, ex quibus Mtas. vra. Serma. pro sua incomparabili prudentia metiri potest, quanta adhuc ad istam pacem restet intercapedo. Sic iste bonus frater hinc quintum post diem, quo advenit, non omnino perfectis ex sententia negotiis, relicta etiam, ut feruntur aliqui, quadam suspicione pontifici discessit. Et ut est versatior quam rota figularis, quum apud illum essemus post questionem de statu Barensi, mox intulit: „quomodo habent res pru„thenice? quomodo inducie? audio magistrum uxorem ducturum. Nonne cum apud vos „essem tibi hoc bellum futurum predixi?“ et alia quedam per scommata. Respondi ego: „dominus collega meus nuper advenit, ille scit fortassis, quid in his fiat, magistrum vero „uxorem ducturum hic a Magno concellario audivi. Certum etiam habeo, quod isti vestri „fratres et sacerdotes in Konisberg idem faciunt. Omnes aras et Sanctorum imagines ex „ecclesiis ejecerunt.“ „Ecce quam pia hec religio“ subinde inquit: „igitur subditi illorum „et plebs tanto citius ad dominum verum deficiet.“ Et ne illi ad hec et de bello pruthenico responderem, cepit mecum de me et familiaritate nostra Cracovie contracta loqui et tandem

MDXXIV. tandem cum magnis cerimoniis et inclinationibus hunc honorem Mti. vre. competere, dicens et plurimis laudibus, ut astantes audire possent, illam extulit nosque extra januam conduxit. Postea, quia clam discessit, apud illum non fuimus. Ego, quod ipse rebus nostris favere deberet, illi non credo et tamen, ut spero, salvabor.

Que alias hic aguntur, sic fere habent, uti scripsi in novissimis. Per gelidas iterum Gallus transtulit Alpes in Latium, quum jam sub nive terra riget. Mediolani dumtaxat civitate potitur. Facta fuit obsidio et impetus in Paphiam, sed re infecta, et, ut ferunt, cum detrimento discessum. Vicerex cum duce Barbonensi de industria, ut hic dicunt, Mediolanum ob commeatus inopiam et sevitiam pestis reliquerunt, facta de omnibus castri munitione et abducto in Cremonam ipso Francisco, titulo tenus Mediolani duce. Timuerunt fortassis et non immerito, ne id faceret, quod illius egit frater, qui nunc est in Gallia. Utinam ille etiam ibi esset. Non satisfecit magnificis verbis, que mihi hic Camillus, illius agens, retulit: se vivo castrum hoc non deserturum. Deus vindex et justus est judex, cujus judicium in exitu hujus tragedie patebit.

Scriptum est etiam huc, quod Galli per eorum incuriam a copiis ducis Borbonensis, quas adhuc in Italia habet, quodam in loco cladem quandam accepissent; sed timeo, ne rumor iste ex castro aërea, que hic sepius struuntur. Raro certi hic aliquid habetur de his rebus et hoc ex negligentia vel quod dicere nolo etc.

De his omnibus suprascriptis, quid hinc nobis suppetiarum sit sperandum, nulli est obscurum. Utinam Mtas. vra. Serma. pacem haberet modis etiam quibuscunque et hic isti, qui hoc cupiunt bellum perpetuum, votis suis non potiantur. Fertur hic etiam, quod dux Moscovie insignes nuncios suos hic mittit, qui per regnum Mtis. vre. Serme. sub salvo conductu huc sunt venturi. Hic aliqui sibi de illis aureos montes pollicentur. Velim si ita visum fuerit Mti. vre. Serme., ut mihi scriberetur, quomodo me erga illos gerere debeam, si forte, ut hic fieri solet inter oratores, cum illis esset conveniendum, aut si apud cesarem aut illius officiales, me presente, de illis negotiis sermo haberetur.

Venit huc etiam paulo ante per Flandriam et Angliam magistri Prussie nuncius mettertius, sed de illis rebus mihi eque nulla est notitia; si videbitur expedire, non esset incommodum, ut certior fierem, quo in puncto hererent; nunquam enim nisi questum veniunt illius nuncii, et hoc, quod ille nobis facit aut machinatur, in nos retorquere solet, quemadmodum ante duos annos apud regem Anglie confinxerat.

Incidit mihi de illius complici, rege Danie expulso, qui hic etiam suum habet agentem, fertur, quod sollicitet apud cesarem, ut huc una cum uxore et liberis possit venire. Et nisi classis ex Flandria eo nesciente solvisset, quod data opera factum est, jam illum hic haberemus essetque cesari, hoc presertim tempore, perinde gratus atque aqua maris, ut dici solet nautis, que per rimas penetrans naves mergit.

Soror Mtis. cesaree Catharina, que Portugalie regi est desponsata, adhuc est in Tordesillis apud matrem, cur tam diu tenetur et non transmittitur, incognitum est; multi multa suspicantur.

Leonora regina continuo est cum cesare, mavult esse apud aulam, quam cum matre. Mtas. cesarea non diu hic est immoratura, conferet se Valentiam, ubi marchio Joannes est, sororius

rorius Mtis. vre. Serme., qui et in Valleoleti et hic passim moratus fuisse dicebatur; sed hodie ab eo venerunt litere, que huic rumori sunt contrarie. MDXXIV.

Aliud hic nihil habetur dignum scientia Mtis. vre. Serme., quam id, quod latius scripsi in novissimis, quarum ultimam clausulam ut repetam, ex re mea censui. Supplico humillime Mti. vre. Serme., cum me revocare dignabitur, ut mihi literas ad regem Christianissimum mittat, quibus salvum conductum pro reditu ad Mtem. vram. Sermam. impetrare possim, similes etiam ad regem Anglie, si forsan commodo et opportuno tempore mari me committerem. Mandet mihi item, per quod iter redire debeo, et quid ulterius per me fieri velit; ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit, dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus. Et nihil pretermittam, quod fidelis servi et subditi fidei convenit. Dignetur itaque Mtas. vra. Serma. mei de reditu clementem habere rationem, ne forte deficiam in via; experietur Mtas. vra. Serma. me de omnibus expositis aperta fronte justum calculum daturum, si qui fortassis sunt, qui me calumniari velint, pluris ego facio fidem et gratiam Mtis. vre. Serme., quam omnia emolumenta, que totus orbis ferre possit.

Postremum et hoc necessarium rogo: Mtas. vra. Serma. velit committere, ut in literis mittendis alius servetur ordo et impensis non parcatur, si quid erit scribendum magni momenti et quod moram ferre nequit, utque de omnibus hic agendis plane et late edocear; nollem enim divinare vel plus sapere quam oportet, neque solitus sum ingenio meo, quod satis rude est, multum fidere in propriis, quid in commissis gravioribus et arduis. Est in adagio: mitte sapientem et nihil dic! mihi videtur contrarium, quod etiam nostris his temporibus, sapiens bene sit instruendus et bene instructus caveat, ne labatur mandataque frangat.

Ex Neapoli a dno. Ludovico, collega meo, de sequestro interposito in Valleoleti binas accepi de XIX[a] Julii et XII[a] Augusti in mense preterito Novembre, hic rursus binas XXIX[a] Augusti et XXII[a] Septembris scriptas, et cum jam has occludere vellem, terne iterum ex Barchinione de XXII[a] Julii, prima et XII[a] Augusti mihi sunt reddite, omnes fere ejusdem tenoris. Diligentiam hanc laudo, velim tamen, ut supra scripsi, quod in mittendis literis certior ordo fieret. Ipse profecto, ut ex illius literis intellexi, nullam omisit apud hoc collaterale consilium operam. Nunc illic habebit omnia et homines novit omnia illic esse venalia. Et quum jam dux Mediolani exutus est regno, victoriam certam spero, quam ut assequamur, quum adversarius in nervo deficiat, velis et remis esset incumbendum neque respirandi locus relinquendus.

De relevio Mti. cesaree modis quibus potuimus dignioribus Mtibus. vris. Sermis. supplicavimus, ut ex copiis annexis videbitur, sed timeo, quod vix aliquid obtinebimus. Remissa est questio ad collaterale consilium, si ad hoc persolvendum regio sanguine prognati teneantur nec ne; tributum quidem, ut a Magno cancellario accepi, non solvunt; quicquid erit, a tempore investiture annus integer solutionis restabit.

De salvo conductu pro barone de Casalecto etiam illic rejecta est questio, quemadmodum ex copia literarum Mtis. cesaree patebit. Aliud hoc tempore non potui. Et ne quicquam pretermisisse videar, innitens mandatis Mtis. vre. Serme., que etiam de minimis hujus ante rebus vult habere scientiam: venerunt huc duo Rmi. dni. cardinalis Moguntini oratores, qui

MDXXIV. qui Mti. cesaree exposuerunt ea gravamina, que per heresim Luteranam et per subditos eorum domino inferuntur, et hoc facinus, quod Magdeburgenses commiserunt, expediuntque hic mandata et nescio quas penas contra illos. Si suscipientur, bene res haberet.

Hic de Lutero neque loqui permittitur, statim Vulcanus est ad manum, qui ora comprimit. Sollicitatur etiam hic pro liga confirmanda, per cesarem inter ducem Austrie, cardinalem Salczburgensem et alios facta.

Dii bene vertant, quo hec Luterana pestis, que omnes ordines inficit, rursus elidi possit. Commendo me suppliciter Sermis. Mtibus. vris., ut dominis meis clementissimis, et rogo humillime: dignentur per occasionem longe et dure mee servitutis aliquando habere clementem rationem. Ex Madrillis, oppido regni Toleti, XVIII. Decembris.

CLV. Joannes Dantiscus, Orator, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. R. Rme. in Christo pater etc. Superiori die XIIa m. p. Mti. regie omnem historiam, que eo tempore habebatur, per multam papyrum descripsi et Dtioni. vre. Rme. seorsum aliqua in cyphris, quarum scriba meus exemplum non fecit, que omnia per postam ad Urbem expepeditam transmisi, et illarum literarum, si forsan non essent perlate, iterum copias mitto, ex quibus intelliget Dtio. vra. Rma. in quibus hactenus cum dno. doctore Bork difficultatibus versati sumus et quo tandem rem perduximus. Si dux Mediolani jam in Cremona quodammodo captus, juridice contra hunc statum Serme. regine domine nostre agere non poterit, presertim si standum erit privilegiis Sermi. Friderici, regis. Status iste jam sic per Mtem. cesaream confirmatus, deinceps reginali Mti. erit pacificus, quemadmodum illum Illma. dux mater tenuit et possedit. Cum autem aliquando inter os et ossam aliquid intercidere solet, dnus. Doctor et ego commodum censuimus, ut unus hic nostrum, donec omnia per nos expedita firmarentur, maneret, sors autem super me cecidit, non tamen eo modo, quod me ultro ingesserim, ut dominus Doctor testabitur; sed ne quicquam per me stetisse videretur, unde cum aliter fieri non potuit, hic maneo et pro solita mea fide, donec Mti. regie visum fuerit, manebo, modo ista mansio non ex me ipso provenisse censeatur. Jam ego ferre possem, ab omni ambitione liber, quod alicubi in angulo non procul a Dtione. vra. Rma. inglorius delitescerem, quod nemo mihi post deum quam Dtio. vra. Rma. efficere potest, in quam hic in terris omnis mea spes sita est. Nihil est, quod magis me hic angit, quam quod multas pecunias exposui et in dies expono, ne mihi aliorsum, quam fidei mee convenit, ascriberetur. Qua de re pauca annotare libuit, ex quibus preter expensas non parva summa exposita dinoscetur. Postquam cum dno. Ludovico Aliphio, collega meo, Venetiis primum applicuissemus, illi visum fuit, ut in vestibus luctus illic alloqueremur ducem, unde quisque nostrum ejusdem valoris pannum pro superiori veste, et subtus de serico raso, quod atlas vocant, pro sajone emimus, constabat autem

autem XXXIII ducatis. Que vestis adhuc est Neapoli apud dominum Ludovicum. Si meminit Dtio. vra. Rma. antequam Cracovia exirem, dixi, me pro expeditione de pecuniis mihi pro expensis datis XL ducatos exposuisse. Immorati Venetiis et Ferrarie pro pompis nostris illis, qui nos curarunt, nomine istorum principum et cymbarnm ductoribus pro parte mea XXI ducatos. Voluimus lucrari in equis antequam triremem ascenderemus postea vix nobis tantum pro eis solutum est, quantum in hospicio consumserant. Pro triremi et itinere Venetiis emi lectum portabilem ligneum pro III ducatis et que ad lectum spectant VI ducatis. Dominus Ludovicus solvit pro nauta patrono. Postquam Barium venimus et dnus. Ludovicus Neapolim iniisset meque ad se vocasset, pro conductis equis usque Neapolim exposui XVI duc., quando illinc erat exeundum versus Hispaniam, relicto lecto, uti voluit dnus. Ludovicus, pro aliis equis dedi ducatos L per Italiam et ulterius pro bolletinis et conductoribus viarum expertis exposui ducatos XXX. Huc veniens pro alio lecto ducatos V. pro apparamentis et duabus auleis, pro usu camere et quibus equi, qui portant sarcinas, teguntur, ducatus X. pro scutellis, discis mensalibus et aliis ad quotidianum usum necessariis ducatos XII, pro quatuor petiis argenti, vase, quo aqua funditur, et III pateris XLV ducat. pro panno, quo famulos ad hiemem et me vestivi XXIV ducat. Alia, que minora sunt et que ad quotidianum usum emuntur omitto, hic enim in hospitiis et inter eundum nihil reperitur quam id, quod quisque secum portat. Summa istorum expositorum facit CCCXVIII ducatos. De expensis, nisi esset morosum, etiam dari ratio posset, sed hec, deo bene favente, aliquando coram, ne cuiquam ansa calumniandi me relinqui possit. Hec ideo Dtioni. vre. Rme. descripsi et ingenue in illius notitiam pervenire volui, si forsan alia de me apud principes nostros haberetur suspicio, ut illam diluere possit. Nollem enim, donec spiritus iste in hoc est corpore, quod Dtio. vra. Rma. propter me ruborem aliquem habere deberet, potius mallem me nunquam esse natum, scio etiam, quod non mihi, sed Dtioni. vre. Rme. creditur, que, ut fortunis meis aliqua accessio fieri possit, in has legationes me struxit, in quibus, deo bene favente, cum sic mihi est in fatis, ita me geram, quod nec mihi, nec Dtioni. vre. Rme. quicquam honesto contrarium impigi possit, cum hoc semper utili proponere consueverim. Proinde Dtioni. Rme. vre., ut dno. meo unico et clementissimo, humiliter supplico, si cognoverit, quod hoc duro et fideli meo servitio per nescio quas dilationes, quas non metuo, vel in principum meorum indignationem, aut aliquam suspicionem, fidei mee non convenientem, incidere deberem, velit efficere, ut cum primis revocarer, ut me inde exonerare possem. Nullus est, cui non hunc honorem faveo, in quo sum hic, et certo etiam per salutem anime mee mihi credat Dtio. vra. Rma., quod mallem esse minimus apud Dtionem. vram. Rmam. scriba vel stabularius, quam hic agere et sinistri suspicioni esse obnoxius. Scripsi in literis ad principes meos, quod mihi restarent de omnibus hic et a dno. Doctore acceptis pecuniis quingenti ducati, de quibus, ut dominus Doctor scit, quinquaginta jam desunt; accepi igitur ad fidem meam ab illo in mutuum centum ducatos, prius etiam centum de meis exposui, illos libenter expendam, saltem ut aliqua iniqua nota caream. De omnibus me ad dominum Doctorem refero, qui, ut vir profecto bonus et integer est, quicquid de me dixerit, oraculum esse volo. Ille etiam aliquando referet, quam ego ex mandato Dtionis. vre. Rme. cum MDXXIV.

 collega

MDXXIV. collega meo patientiam habui, ego non scripsi neque scribam, sed coram, ut in Deo spero, intelliget. Nihil est ab omni parte beatum. Alia non restant. Commendo me humillime favori et gratie Dtionis. vre. Rme., et rogo me Mgco. dno. palatino cracoviensi excuset, quod non scripsi, tot enim in dni. Doctoris expeditione se obtulerunt agenda, que mihi fuerunt impedimento. Rmo. dno. meo Premisliensi omnia fausta precor et me illi et Dtioni. vre. Rme. iterum atque iterum commendo. Ex Madrillis, oppido regni Toleti XIX Decembris.

CLVI. Investitura a Carolo V., Romanorum Imperatore Augusto ad ducatus Bari et Rossani, Sermae. Bonae, Reginae Poloniae et Divo Sigismundo I. Regi Poloniae, conjugi ejusdem, ad vitam utriusque data.

Ex cod. mss. bibl. Capit. Gnesnen.

Carolus etc. Universis et singulis etc. Feudorum successio certis personis ex ordine juris censura indicenda defertur; ab illis igitur, quibus hoc rationabiliter competit, consuetum homagium atque relevium ex more recepimus, et quod eis respondeatur de consuetis et debitis, nostras eis investitorias literas indulgemus, quas ad uberiorem cautelam confirmationis et corroborationis nostro munimine etiam validare solemus, quo possit ipsa successio permanere: sane pro parte Serme. Domine Bone Sphortie de Aragonia, Polonie regine, sororis nostre sincere dilectissime filieque primogenite, legitime et naturalis Illme. quondam Isabelle de Aragonia, Mediolani et Bari Ducisse ac Rossani Principisse, consanguinee nostre charissime ac etiam Sermi. Sigismundi, Polonie Regis, ejus viri, fratris nostri charissimi, fuit Mti. nostre expositum, quemadmodum regiis concessionibus et confirmationibus retro regum de domo Aragonia predecessorum nostrorum, in dicto nostro citra pharum regno, et confirmatione nostra ac aliis justis titulis, rationibus atque causis dicta Isabella de Aragonia, bone memorie, dum vixit, habuit, tenuit et possedit immediate et in capite a regia curia in feudum et sub debito et contingenti feudali servitio pro se suisque heredibus et successoribus utriusque sexus ex suo corpore legitime descendentibus, natis jam et in antea nascituris, in perpetuum Ducatum Bari videlicet civitatem Bari cum titulo et honore Ducatus, terras Pali et Moduny cum earum casalibus, castris et fortaliciis in provincia terre Bari, civitatem Rossani cum titulo principatus, et terram Longobucci cum earum casalibus, terris et fortaliciis in Provincia Calabrie ac etiam ex concessionibus et donationibus per Sermum. Catholicum et invictissimum regem, avum, patrem et dominum nostrum colendissimum, eidem Illme. Ducisse in excambium factis et concessis habuit, tenuit et possedit civitatem Hostunii de provincia terre Hidrunti cum juribus et pertinentiis suis ac integro statu eorum nec non terrarum Eviptaliarum in eadem provincia, quod ad juris dictionem criminalem et appellationem primam in civilibus, et territorium montis Serici de provincia Basilicate, et quod dictas civitates, terras, castra et territorium prefata Illma. Ducissa habuit, tenuit et possedit pro se suisque heredibus et successoribus ex suo corpore legitime descendentibus in perpetuum, ut prefertur, cum earum et cujuslibet ipsarum

rum hominibus, vasallis vasallorumque redditibus, feudis, quaternatis et non quaternatis feu- MDXXIV.
datariis, collectis utili dominio debitis, redditibus, reddentibus, censibus, affictis, libellis, angariis, proangariis, servitiis personalibus, realibus domibus, hospitiis, possessionibus, vineis, arbustis, starciis, querquetis, castaneis, olivetis, jardinis, terris cultis et incultis, montibus, vallibus, collibus, planis pratis, silvis, nemoribus, arboribus, pascuis, forestis, herbariis, landagiis, defensiis sive clausuris, demaniis, puteis, molendinis, trapetis, baptineriis, fidis, diffidis, tenimentis, territoriis, aquis aquarumque decursibus, dulcibus et salsis maritimis piscationibus, tonnariis, fluminibus, paludibus, aque ductibus, fontibus, ferreriis, feris aquarum furnis, passagiis, pedagiis, viis publicis, plateis, juribus platearum et caliture, gabellis, daciis, dohannis, stannaquiis, scalaticis, fundicis, terciariis ferri, acharii et picis exituris, olei et aliarum rerum anchorariis, arborariis, pannaticis, ballistis, portulanetis, bonis morticiniis ac bonis vacantibus, naufragiis naufragiorumque bonis, morticiniis et committencium crimen lese Mtis. et jure patronatus Ecclesiarum ad Baronem spectantium seu jure presentandi ad eas, et ceteris aliis juribus, juris dictionibus, directibus, rationibus, actionibus, proventibus et proprietatibus, juribus portulanie et mercature, ponderum et mensurarum cum integro earum et eorum statu ac omnibus et singulis bonis Burgensaticis, si que sunt, curie regie seu ad utile dominium dictarum civitatum, terrarum et locorum spectantibus et pertinentibus, tam de jure quam de consuetudine, seu alias quovis modo, que vellet sunt de demanio in demanium et que de servitio in servitium et que de feudo in feudum et que de burgensatico in burgensaticum, nec non cum juribus foculariorum et salis per universitates et homines dictarum civitatum, terrarum, locorum et casalium solvi solitis et consuetis ac quibusvis aliis oneribus solutionibus, impositionibus, quocunque nomine nuncupatis, ordinariis et extra ordinariis, impositis et de castro imponendis, spectantibus, pertinentibus et debitis quovis modo tam Baronibus et nobilibus quibusvis dominis, quam regie curie ex quavis causa in civitatibus, terris, locis et casalibus predictis impositis et imponendis ac cum barulatione mero mixtoque imperio et gladii potestate et cum omnimoda jurisdictione et cognitione primarum et secundarum ac tertiarum causarum civilium, criminalium et mixtarum quarumcunque et quatuor literis arbitrariis et cum omnibus aliis et singulis suis juribus, juris dictionibus et pertinentiis ad dictas civitates, terras et loca castraque spectantibus et pertinentibus, tam de jure et consuetudine prout hec et alia in suis privilegiis, titulis, scripturis et cautelis, ad que et quas relatio habeatur latius et plenius dicuntur contineri. Et quod dicta Illma. Ducissa illis preteritis diebus, prout Domino placuit, ab hoc seculo migravit, superstite eidem dicta Serma. Bona Sphortia, Regina, ejus filia primogenita legitima et naturali, succedente et succedere debente in omnibus ejus bonis et signanter in dictis ducatu Bari, principatu Rossani, civitate, terris, castris, casalibus et locis supradictis cum omnibus et singulis suis juribus, juris dictionibus et pertinentiis juxta formam et tenorem dictorum suorum privilegiorum aliarumque provisionum scripturarum et cautelarum in eis confectarum, ad que et ad quas nos referimus. Et licet presentibus non inserantur, haberi volumus eas pro insertis et specifice declaratis ac si hic de verbo ad verbum insererentur. Et cum ipsa Serma. Bona Sphortia, Polonie regina, ut heres predicta, intra legitima tempora obitum Illme. dicte ducisse, ejus matris, denunciaverit et se dixerit et dicat primogenitam filiam legitimam et naturalem, heredemque legitimam succedentem et succedere debentem ac volentem

MDXXIV. *volentem, eidem, ut premittitur, in omnibus bonis suis, et signanter in dictis ducatu, principatu, civitate, terris, castris, casalibus et locis supradictis cum omnibus et singulis suis juribus, jurisdictionibus et pertinenciis solitumque homagium et fidelitatem debitam pro eisdem prestare se nobis obtulerint et relevium nostre curie debitum pro eisdem ducatu, principatu, civitate, terris, castris, casalibus et locis, juribus, jurisdictionibus et pertinenciis suis solvere promiserint, fueritque deinde pro parte dicte Serme. dne. Bone Sphortie, regine Polonie, heredis prefate, et etiam dicti Sermi. regis Polonie, ejus viri, Majestatibus nostris supplicatum, ut eandem Bonam Sphortiam pro se suisque heredibus et successoribus utriusque sexus ex suo corpore legitime descendentibus in perpetuum de dictis ducatu, principatu, civitate, terris, castris, casalibus et locis supra dictis cum omnibus et singulis suis juribus, jurisdictionibus et pertinenciis sibi per mortem dicte Illme. ducisse, ejus matris, pertinentibus superius recitatis, et etiam dictum Sermum. Sigismundum, Polonie regem, tanquam ejusdem Serme. regine maritum, jure mariti, constante eorum matrimonio duntaxat, investire juxta formam, seriem et tenorem privilegiorum, provisionum, scripturarum, cautelarum predictarum de nostra solita benignitate dignaremur. Nos vero habentes respectum ad fidem sinceramque animi devotionem, quam prefata Serma. Bona Sphortia, regina, erga nos statumque nostrum regium gerit, et ad singularem amorem, benignitatem et sanguinis nexum, quibus nos tam dictos regem et reginam, quam dictam ducissam, ejus matrem, semper prosecuti fuimus et prosequimur, decrevimus predicte eorum supplicationi benigne et libenter annuere, et cum non solum de dicte regine, verum etiam dicti Sermi. regis Polonie, ejus viri, fide aliisque conditionibus necessariis plenarie nobis constet, postmodumque dicta domina Serma. Bona Sphortia, regina, et etiam prefatus Sermus. Sigismundus, rex Polonie, ejus vir, seu eorum nomine Mgcus. et Rdus. viri, Joannes Dantiscus, secretarius, et Stanislaus Bork, Doctor et canonicus cracoviensis, coram nobis constituti, sponte dicto procuratorio nomine in manibus nostris, prout in instrumento publico per nostrum secretarium infrascriptum die tertia mensis Decembris presentis anni currentis et infrascripti computati a nativitate domini Millesimi, quingentesimi quarti recepto et testificato apparet, solitumque homagium et fidelitatis debitum prestiterunt juramentum promiseruntque solvere curie mee relevium, nobis seu dicte curie nostre pro dictis ducatu, principatu, terris, castris, casalibus et locis, juribus et jurisdictionibus et pertinenciis debitum, prenominatam Sermam. Bonam Sphortiam de Aragonia pro se suisque heredibus et successoribus utriusque sexus ex suo corpore legitime descendentibus, natis jam et in antea nascituris, in perpetuum, et etiam dictum Sermum. Sigismundum, Polonie regem, tanquam dicte Serme. Bone Sphortie maritum, jure mariti, constante eorum matrimonio duntaxat, tenore presentium de data nostra scientia deliberate et consulto nostri sacri regii assistentis consilii, matura deliberatione preeunte et ex gratia speciali regiaque autoritate nostra ad eandem successionem dictorum ducatus, principatus, civitatis, terrarum, castrorum, casalium et locorum predictorum, jurium, jurisdictionum et pertinentium eorundem admittimus, ac ipsam Sermam. Bonam Sphortiam de Aragonia, ut heredem predictam, necnon dictum Sigismundum, Polonie regem, tanquam dicte Serme. Bone Sphortie maritum, jure mariti, constante eorum matrimonio duntaxat, de dictis ducatu Bari, videlicet civitate Bari, cum titulo et honore ducatus, terris Pali et Modunii cum earum casalibus, castris, fortaliciis, civitate Rossani cum titulo principatus ac terra Longobucci cum earum casalibus, terris*

terris et fortaliciis, civitate Hostunii cum juribus et pertinenciis suis ab integro eorum statu, nec non terra Eviptaliorum, quod jurisdictionem criminalem aut appellationem primam in civilibus et territorio montis Serici de provincia Basilicate cum earum et cujuslibet ipsarum hominibus, vasalis vasalorumque redditibus, reddendis feudis, quaternatis et non quaternatis feudatariis collectis utili dominio, debitis, redditibus, reddentibus, censibus, affictis, libellis, angariis, perangariis, servitiis personalibus et realibus domibus, hospiciis et possessionibus, vineis, arbustis, starciis, querquetis, castaneis, olivetis jardinis, terris cultis, incultis, montibus, vallibus, collibus, planis pratis, silvis, nemoribus, arboribus, pascuis, forestis, herbariis, landagiis, defensis sive clausuris, demaniis, puteis, molendinis, trapetis, baptineriis, fidis, diffidis, tenimentis territoriis, aquis aquarumque decursibus, dulcibus et salsis, maritimis piscationibus, tonnariis, fluminibus, paludibus, aqueductibus, fontibus, rivis, ferreriis, feris, aquarum furnis, passagiis, pedagiis, viis publicis, plateis, juribus platearum et caliture, gabellis, daciis, dohannis, stannagiis, scalaticis fundicis tertiariis, ferri acharii et picis exituris, olei et aliarum rerum anchorariis, arborariis, pannaticis ballistis, hortulanetis, bonis morticiniis ac bonis vacantibus, naufragiis et naufragiorum bonis, morticinis et commitentium crimen lese Mtis. ac jure patronatus ecclesiarum ad baronem spectantium, seu jure presentandi ad eas et ceteris aliis juribus, juris dictionibus directibus, rationibus, actionibus, proventibus, proprietatibus, juribus portulanie et mercature, ponderum et mensurarum cum integro earum et eorum statu ac omnibus et singulis bonis burgenstaticis, si que sunt curie regie, seu ad utile dominium dictarum civitatum, terrarum et locorum spectantibus et pertinentibus, tam de jure quam de consuetudine, seu alias quovis modo, que videlicet sunt de demanio in demanium et que de servitio in servitium, que de feudo in feudum et que de burgenstatico in burgenstaticum, nec non cum juribus focularioriorum et salis per universitates et homines dictarum civitatum, terrarum, locorum et casalium solvi consuetis solitis ac quibusvis aliis oneribus, solutionibus, impositionibus, quocunque nomine nuncupatis, et ordinariis et extraordinariis, impositis et de cetero imponendis spectantibus et pertinentibus ac debitis quovismodo tam baronibus quam nobilibus dominis, quam curie regie ex quavis causa in civitatibus, terris, locis et casalibus predictis quovis modo debitis impositis et imponendis et cum barulatione mero mixtoque imperio et gladii potestate et cum omnimoda jurisdictione et cognitione primarum, secundarum et tertiarum causarum civilium, criminalium et mixtarum quarumcunque et quatuor literis arbitrariis et cum omnibus ac singulis aliis juribus, jurisdictionibus et pertinentiis ad dictas civitates, terras, loca et castra spectantibus et pertinentibus tam de jure quam de consuetudine, cum quibus dictos ducatum, principatum, civitatem, terras, castra et loca et casalia predicta ad jurisdictionem eviptaliarum hactenus dicta Illma. ducissa dum vixit melius et plenius tenuit et possedit, virtute privilegiorum, provisionum scripturarum et cautelarum predictarum ut premittitur concessorum et confirmatorum sine tamen prejudicio alterius cujuspiam salvoque jure cujuslibet tertii, jus pretendentis in ducatu, principatu, terris, casalibus et locis, juribus, jurisdictionibus et pertinentiis per majoris gratie cumulum prenominate Bone Sphortie, ut heredi predicte, nec non dicto Sermo. Sigismundo, Polonie regi, tanquam dicte Serme. Bone Sportie marito, constante eorum matrimonio duntaxat, dictum ducatum, principatum, civitatem, terras, castra, casalia, loca, jura focularioriorum et salis et alia jura, jurisdictiones, bona et pertinentia pro se suisque heredibus et successoribus utriusque sexus MDXXIV.

MDXXIV. *sexus ex suo corpore legitime descendentibus, natis jam et in antea nascituris, in perpetuum, in feudum tamen et sub debito et contingenti feudali servitio et ad hoc quoties in dicto regno indicetur, juxta formam et tenorem dictorum suorum privilegiorum, provisionum, scripturarum et cautelarum, que et quas licet presentibus non inserantur seu exprimantur, pro insertis tamen et sufficienter expressis habere volumus ac si hic de verbo ad verbum insererentur, si et prout dicta Illma. ducissa, dum vixit et post illius obitum dicta Serma. regina melius et plenius predicta habuerunt, tenuerunt et possederunt de dicta nostra certa scientia deliberate et consulte ac ex gratia speciali, ut supra confirmamus, ratificamus, accipimus, aprobamus, et quatenus opus sit, concedimus et elargimur nostre hujusmodi confirmationis, ratificationis, acceptationis, approbationis et, quatenus sit opus, nove concessionis munimine et presidio roboramus et validamus. Volentes et decernentes expresse, quod tam dicta nostra investitura, quam ipsius rei investite confirmatio et nova concessio eidem dicte Serme. Bone Sphortie supplicanti, ut heredi predicte, ejusque heredibus et successoribus et etiam dicto Sermo. Sigismundo, Polonie regi, tanquam Serme. regine marito, jure mariti, constante eorum matrimonio duntaxat, omni tempore in perpetuum sint reales, stabiles et fructuosi nullumque diminutionis incommodum, vel repugnationis objectum in judiciis ac extra, quomodolibet pertimescant, supplentes hujusmodi privilegii serie, de certa nostra scientia et plenitudine nostre dominice potestatis auctoritateque regia omnem et quemlibet defectum juris et facti seu consuetudinis, ordinationis regni vel ritus et obmisse solemnitatis alterius cujuscunque in premissis et singulis premissorum, seu qui et que exprimi possent quomodolibet in posterum de investitura, confirmatione et concessione predictis ita, quod illam et eandem efficaciam habeant, tanquam si defectus ipse non contigisset et obmissa solennitas non fuisset, sed hic esset distincta, apposita pariter et expressa. Quem quidem defectum si hic et sui natura vel causa exigentie necessario eximendus foret, haberi tamen volumus et decernimus in presenti privilegio pro apposito, declarato, expresso efficaciter et suppleto. Et quod singula verba presentis privilegii semper interpretentur et interpretari debeant in favorem dicte Serme. Bone Sphortie et ejus mariti, jure mariti, constante eorum matrimonio duntaxat, et non aliter, nec alio modo, declaramus expresse, quod dicta Serma. Bona Sphortia, ejusque heredes et successores predicti, quotiens totiens in perpetuum, et etiam dictus Sigismundus, Sermus. rex Polonie, ejus vir, jure mariti, durante eorum matrimonio duntaxat, dictos ducatum, principatum, civitatem, terras, castra, casalia, loca, jura focula-riorum et salis, cum omnibus juribus, actionibus, pertinentiis et jurisdictionibus ante dictis, que de feudo in feudum et que de burgensatico in burgensaticum immediate et in capite a nobis et nostra curia ac heredibus et successoribus nostris in dicto regno teneant et possideant, nullumque alium preter nos et successores nostros ac heredes in regno predicto in superiorem et dominum recognoscant servireque propterea teneantur et debeant nobis et curie nostre ac heredibus et successoribus nostris predictis de feudali servitio quotiens per nos et curiam nostram ac heredes et successores nostros in dicto regno generaliter indicentur. Quod servitium prefata Serma. Bona Sphortia pro se dictisque suis heredibus et successoribus et etiam dictus Sermus. Polonie rex, ejus vir, jure mariti, constante eorum matrimonio duntaxat, quotiens in dicto regno generaliter indicetur, facere, prestare et solvere promiserunt, solitumque privilegium et homagium ac fidelitatis debite juramentum in manibus nostris solenniter juxta*

dicti

dicti regni usum et laudabilem consuetudinem per dictos eorum procuratores, ut premittitur, prestituerunt aliaque adimplere, que de jure sunt adstricti, infra annum unum a die date presentis in antea teneantur, fidelitate tamen nostra feudali quoque servitio et sine prejudicio alterius cujuspiam et cujuslibet alterius tertii jus pretendentis in dictis ducatu, principatu, civitate, terris, castris, casalibus, locis, jurisdictionibus, juribus focIlariorum et salis et aliis predictis juribus semper salvis et penitus reservatis, et ut premissa illum, quem volumus, sortiantur effectum Illri. propterea, spectabilibus et magnificis viris, viceregi et locum tenenti generali, Mgno. quoque cancellario et locum tenenti ejus sacroque nostro consilio presidentibus et rationabiliter camere nostre summarie regenti, et judicibus magne curie, vicecancellarie, scribe portionis thesaurario nostro generali seu ad id officium regenti, ceteris demum universis et singulis officialibus et subditis nostris tam majoribus, quam minoribus, quocunque nomine nuncupatis, officio, autoritate et potestate fungentibus dictorumque officialium locum tenentibus, presentibus et futuris, ad quem seu quos spectat seu spectare poterit, quomodolibet in futurum dicimus et distincte precipientes mandamus: quatenus hujusmodi nostram investituram et confirmationis gratiam ceteraque omnia et singula in presenti privilegio contenta et expressa, teneant firmiter et observent, tenerique et observari inviolabiliter per quos decet faciant, et non contra faciant vel veniant seu aliquem contra facere vel venire permittant, ratione aliqua vel causa si preter ire et indignationis nostre incursum poenam unciarum auri mille cupiunt evitare. In cujus rei testimonium presentis privilegii seriem jussimus nostro magno negotiorum Sicilie citra pharum regio sigillo impendendo muniri. Datum in oppido nostro Majoreti die XVII mensis Decembris, indictione XIII. anno a nativitate domini MDXXIIII regnorum nostrorum videlicet electionis S. imperii anno VI, regni Castelle etc. anno XXI. Navarre X Aragonie, utriusque Sicilie, Hierusalem et aliorum IX regnorum vero omnium nono. MDXXIV.

Annus Domini Millesimus Quingentesimus Vigesimus Quintus.

Anni Domini MDXXV. memorabilia.

Misit rex ad conventum terrarum Prussiae Thorunii habitum, ut ibidem consulerent, utrum induciae cum magistro Prussiae prorogandae aut bellum renovandum.

De inhibenda cusione monetae Gedani. De extirpando Luteranismo ex Prussia.

In hoc conventu pro defensione regni contributio universalis et taxatio bonorum decreta est.

Misit rex nuncios Gedanum, qui civiles turbas et tumultus componerent illosque de adventu regis certiores redderent.

Plenipotentia data erat Georgio, marchioni Brandeburgen. et Friderico, duci legnicen. ad tractandum pacem inter regnum Poloniae et ordinem Cruciferorum.

Pacis conditiones factae inter regem Poloniae et magistrum Prussiae et alios fratres ejus.

Magister Prussiae creatus est dux a rege Poloniae Cracoviae.

Privilegium confectae pacis et concordiae inter regem et ducem Prussiae factum.

Epistola Joannis Laski, archiepi. gnesnen. ad summum pontificem, in qua suadet, ut generale concilium indiceret ad tollendum Luteranismum, et regem excusat, quod cum Turca inducias fecerit.

Epistola regis ad summum pontificem purgatoria, quod magistrum Prussiae ducem creaverit.

Missus fuerat a rege legatus ad imperatorem Turcarum de faciendis in sex annos induciis.

Franciscus, Rex Galliarum, fusus et captus a Carolo V imperatore.

Allatus fuit Sigismundo regi a Clemente VII. pontifice gladius et pileus per Gonsalvum de Sangro.

Petitio ducis Prussiae a Sigismundo rege, ut cum Ludovico rege conveniret, cum Joachimo electore foedus renovaret et filiam suam illius filio in matrimonium collocaret et ut fratrem suum Wilhelmum in curiam reciperet, ut ducissam Masoviae cum parte aliqua vel toto ducatu illi in matrimonium traderet.

Rex Ludovicus respondet Joanni Karnkovio, nuncio regis, de stabiliendo statu utriusque regni, de mittendis ad papam oratoribus, de transigenda pace inter imperatorem et regem Galliarum, petens, ut Sigismundus rex in Olomuncz Ludovicum conveniret.

Mandat rex Joanni Dantisco, oratori, ut cum a Francisco Sfortia jure impetitus fuerit de ducatu barensi, caesarem rogaret, quo uno et eodem judicio etiam de ducatu Mediolanensi et de civitate Cremona decerneret.

Sigismundus rex gratias agit Carolo imperatori, quod jussisset restituere ducatum Barensem, tamen, quo haec restitutio firmior evaderet, petit, ut et arx Barensis sibi traderetur.

Significat

Significat Dantiscus regi, quas conditiones obtulerat imperator ducissae de Alanson, sorori regis Galliarum, ni mirum, ut tres miliones auri pro damno bellico daret et eum Romam at coronationem proficiscentem comitaretur, Burgundiam restitueret filioque suo Delphino pro obside caveret. Sed eas conditiones Galli recusarunt tanquam inhonestas.

Rex Sigismundus ab imperatore Carolo V. est aureo vellere ornatus ex sententia universi ordinis istius.

Respondet rex literis ordinum terrarum Prussiae, qui petebant, ut Thorunensibus emporium restitueret, quod rex certis de causis negavit.

Mittit rex commissarios Thoruniam, ut seditionem inter plebem et consules ortam sopirent et tam consuli de plebeo quam plebeo de consule justitiam administrarent.

Committit rex negotium castellano Gedanensi Balinski, ut Marienburgi de Luteranis supplicium sumeret.

Datum est responsum Gedanensibus a regia Mte., illorum constitutiones nec approbare nec rejicere posse ante quam in conspectum suum fuerint allatae.

Mittuntur a rege commissarii Marienburgum, ut ibi tumultus inter consules et Ferber exortos sedarent. Quod non fecerunt, totum enim negotium judicio regis commissum fuerat.

Scribit rex Gedanensibus, ut ea que in catholicam fidem direptione, distractione, blasphemiis patraverant, in integrum restituerent et consules propria auctoritate exauctoratos in pristinum dignitatis statum reponerent. Ad ea non per literas, sed per quinque nuncios responderunt Gedanenses objecta omnia autoritate s. scripturae refutando, videlicet, quod nullum scelus in eo commiserint, quod sacramentum hostiae, imagines ex ecclesiis ejecerint, monachos expulerint, aurum et argentum ecclesiasticum expilaverint, ceremonias aboleverint, senatum exautoraverint. Quae omnia etsi disertis verbis, impudentibus tamen, probare regiae Mti. conati fuerunt, longa serie verborum, quae appologiam nominavere, omnem tumultus in causa religionis facti causam in magistratum ostenderant et rejecerant, quoniam post habitam concionem Luteranorum, consules correptis armis forum occupaverant; affirmabant tamen omnes jam post tumultum excitatum in amorem et gratiam rediisse. In secunda parte legationis petunt a rege, ut emporium sibi adjudicatum in favorem Thorunensium sibi non adimatur.

Ad tam prolixam legationem respondet Tomicius nomine regio: aliter sibi regia Mtas. de illis persuasum habebat, etenim hic verbis subjectionem regie Mti. declarastis, re autem ipsa nihil eorum hactenus fecistis, quae vobis a regia Mte. injuncta fuerant, cum reliqua alia tum de fide catholica observanda, quare ut commodiorem dictis suis responsionem haberent, jubet regia Mtas., ut se intra hoc tempus Cracoviae continerent.

Petit consilium rex a consiliariis, quid sibi in negotio Gedanensium sit faciendum et exponit omnibus quaecunque acta sunt. Mittit Cricius, epus. premisliensis, deliberationem suam super legatione Gedanensium et suadet, ut responsio regia, quaecunque illa futura sit, severitatem prae se ferret.

Postquam rex a consiliariis edoctus fuit in negotio Gedanensium, illis dare responsum jussit, ubi autoritates s. scripturae, quas pro confirmando errore suo adduxerunt, doctissime Tomicius in legatos et errores illorum retorsit argumenta illorum et ut melius in ea re aliquid constitui posset, in conventum generalem negotium rejecit. Legatio interea Cracoviae manere jussit.

Mandat

Mandat rex Gedanensium communitati, ut eorum cives, autores istius seditionis de se mitterentur et bona illorum confiscarentur, praeterea tres concionatores illorum sub poena banni.

Epistola regiae Mtis. ad Gedanenses, qui propter insolentiam plebis fuerunt adacti ad abdicandum se magistratu, in qua regia Mtas. persuadet eis, ejusmodi abdicationem nihil eorum bonae famae et existimationi cum apud externos tum apud domesticos nocere posse.

Literae regiae ad ducem Prussiae, ad magistrum Livoniae, ad Lubecenses, ad reliqua externa et propria dominia, in quibus scribit sua Mtas., ut famosas cantilenas in proconsules et consules gedanenses compositas submoverent illisque minime crederent.

Decretum regium, in quo cives, qui tumultum plebis senatu amoti fuerant, omnis seditionis immunes declarantur.

I. Literere pro Conventu generali Piotrkoviensi.

Sub finem a. d. MDXXIV. indictus fuit conventus generalis regni Polonie in oppido Piotrkow ad diem S. Thome, apostoli, ad quem dni. consiliarii regni sequentibus literis vocati fuerunt. Qui tamen non nisi in initio anni MDXXV. agi ceptus est, senatoribus tarde convenientibus. MDXXV. (MDXXIV.) Cod. Korn.

Sigismundus, Rex Polonie,
Primoribus Consiliariis Regni.

Mgce. sincere nobis dilecte. Nemo est jam qui nesciat, quantum detrimenti Respublica regni nostri proxima estate acceperit, quum terras nostras Russie exercitus hostiles potenter invadentes igneque et ferro longe lateque pervastantes ita depopulati sunt, predam ingentem hominum et pecorum abigentes, ut eam pene desertam et desolatam reliquerint viresque ipsius regni magna in parte labefactarint. Quum autem in re tam subita nullum presentius consilium inveniri et excogitari potuerit, hostibus animatis ad majora edenda facinora, credentibus, impetum suum retundi et reprimi non posse, postquam in primo congressu non fuit ventum ad manus justo prelio conserendas, hoc consilium, quod tunc tempus attulit, quodque salutarius videbatur, cepimus: ut ipsi nobilitatem et ex plebe decimum quemque ad arma capessenda commoveremus. Hac itaque nostra cum hoc subito collecto exercitu profectione hostes nostri Turci et Tartari, deposita spe concepta in viscera regni nostri profundius grassandi, impetum suum continuerunt. Verum quum hostes nostros, magnitudine prede illectos, de futuro bello nobis inferendo consilia capere non ignoremus, Nos etiam tempori servientes decrevimus interim cum universo senatu regni nostri super his rebus et aliis multis, que instant, agere et consultare, et presertim cum videamus magistrum Prussie in suis actionibus vigilanter se gerere, induciis cum eo factis ad finem jam appropinquantibus, civitatesque Prussie luteranis erroribus infectas ad summam licentiam erectas, vojevodam etiam Valachie pene oblitum federum ultro citroque pactorum hostili animo clam erga nos esse: conventum generalem in Piotrkow ad festum S. Thome apostoli futurum statuendi duximus, statuimusque et indicimus. Ad quem nos, nulla interposita mora, Deo bene juvante, veniemus. Tuam etiam Stem. hortamur, ut ad diem supradictum venire curet, quo tempore id, quod restat agendum, in nomine domini agere possemus, ne mora nostra iisdem actionibus afferat impedimentum aut detrimentum. Hunc

MDXXV. (MDXXIV) autem generalem conventum predictum precedet particularis terre posnaniensis in oppido Srzoda die S. Nicolai, quem deinde conventus colensis terris omnibus Majoris Polonie communis sequetur ad diem N. quibus tua Stas. interesse velit, ut ibi cum nobilitate electis cum plena et non limitata potestate nunciis, ejusmodi rerum agendarum peritis, qui non ad serendas discordias et tumultus in Republica excitandos, sed ad res tantas tractandas et agendas idonei esse censerentur, ad ipsum demum generalem conventum illinc recta proficiscatur. Factura pro officio sua et accessione gratie nostre non vulgari. Que bene valeat. Datum Cracovie fer. V. intra octavas festi omnium Sanctorum MDXXIV.

Sigismundus Rex Polonie
Consiliariis minoribus.

Generose, fidelis, dilecte. Credimus, jam nemini esse incognitum, quantum detrimenti regnum nostrum preterita estate accepit, quum terre nostre Russie a Turcis et Tartaris longe lateque ferro et igne vastate sint ingensque in eis damnum factum et nisi cum eo exercitu ex nobilitate et plebe terrarum Minoris hujus Polonie subito collecto accurrissemus, multo majora et pejora hostes ipsi moliebantur. Cupientes igitur futuris periculis occurrere et regnum ab interitu servare, indiximus conventum generalem regni nostri in oppido Piotrkow ad festum S. Thome apost. futurum, ut cum universo senatu regni nostri et nunciis terrarum super his rebus future defensionis contra eosdem hostes et super aliis multis, que instant agende, mature consultare possimus. Cum autem generalem conventum particularis in Srzoda die S. Nicolai et communis terrestris in Colo precedent, itaque hortamur tuam Ftem. ut ad ipsum particularem conventum srzedensem et communem colensem proficiscatur, auditaque legatione nostra consulat illic cum aliis, que opportuna videbuntur et nuncios, viros idoneos et ad res tantas tractandas peritos, cum plena facultate ad conventum generalem eligat. Ad quem demum et ipsa venire curet una nobiscum et cum aliis consiliariis nostris ac terrarum nunciis de impendentibus periculis aliisque necessitatibus Reipublice consultura. Factura etc.

Scripte etiam litere fuerunt a rege ad equites regni cum narratione periculorum uti supra, ut conventibus particularibus suorum palatinatuum interessent et in illis nuncios ex eodem equestri ordine electos, viros idoneos, ad conventum generalem cum plena facultate mitterent.

Ad Capitaneos etiam terrarum scripte sunt a rege litere, ut literas conventuales ad nobilitatem scriptas transmitterent et conventus institutos in foris et congregationibus populi civitatum et oppidorum proclamari curarent.

Sigismundus, Rex Polonie,
Nunciis regiis, ad Conventus
particulares designatis.

Venerabilis, fidelis, dilecte. Instituimus conventum generalem regni ad diem S. Thome in oppido nostro Piotrkow, quem particularis in Srzoda die S. Nicolai et communis terrarum Maj.

Maj. Polonie in Colo die .... de more precedet. Ad quos quidem conventus, cognitam habentes industriam tuam, te nuncium designavimus, volumusque, ut illuc proficiscaris et mandata nostra juxta instructionem nostram, quam tibi cum presentibus mittimus exponas, adnitarisque omni studio, quo nuncii cum plena facultate ad generalem regni conventum eligantur, id exigentibus summis difficultatibus Reipublice. Pro gratia nostra. Dat. Cracovie. MDXXV. (MDXXIV)

Instructio Nunciis regiis data ad Conventus particulares missis.

Post dictam et nunciatam gratiam regie Mtis. tam dignitariis quam proceribus et oblatas fidei literas dicendum:

Quod Mtas. regia, postquam in aliquot superioribus conventibus, in quibus varie consultationes super defensione regni fuerunt habite, nihil tale determinatum esset, quod firmum et validum censeri posset ad defensionem, tandem in preterito Piotrkoviensi post multas disceptationes et differentias, quum nullus modus et ordo opportunus ad reprimendos hostiles impetus institueretur, consentientibus animis consiliariorum suorum, decrevit et indixit id, quod in manu ejus erat, generalem belli motionem.

Quum autem instante vere Mtas. sua in ea sententia esset, ut communi decreto satisfaciens ad bellum proficisceretur, missis per universum regnum Restium edictis, ut ad diem et locum determinatum omnes, qui de jure et consuetudine ad ipsam bellicam expeditionem sunt obligati, convenirent:

Interim nuncii terrarum Majoris Polonie ad suam Mtem. venientes exposuerunt difficultates suas, quibus impediti non possent ad bellum ire, nisi cum summa gravitate et difficultate sua, petieruntque a Mte. sua, ut hanc ipsam expeditionem suam adhuc aliquantum continere et per singulos districtus terrarum conventus statuere dignaretur, in quibus aliquis alter modus defensionis preter ipsam motionem, que non sine maxima turba et difficultate semper fieri solet, inveniri possit.

Quia vero Mtas. sua nunquam deesse consuevit precibus subditorum suorum in his, que cum aliqua justa ratione peti solent, annuit, licet non cum mediocri timore, votis eorundem nunciorum conventusque non solum in Majori Polonia, sed etiam in terris cracovien. sandomirien. et lublinen. statuit et indixit.

In quibus cum universa nobilitas unanimiter et concorditer in contributionem consensisset maluissetque pecuniam conferre, qua mercenarius miles in Russia ali posset, quam difficultates motionis bellice subire, Mtas. sua communi subditorum suorum voto et cosensui adversari nolens et cavens, ne aliqua in re precibus et rationibus illorum deesse videretur, bellicam expeditionem in preterito Piotrkoviensi decretam intermisit et non est prosequuta.

Priusquam autem pecunie ex contributionibus institute colligerentur, quod quidem adeo subito fieri non potuit, ne interim fines regni et terre Russie omni presidio nudate quantecunque hostium paucitati exponerentur, Mtas. sua, quod in tam subito casu fieri potuit, conquisitis in mutuum pecuniis mille sexcentos equites et quadringentos pedites conduxit et in terras Russie cum quadringentis triginta equitibus curie sue et tormentis bellicis propere

 misit

MDXXV. (MDXXIV.) misit. Quod ni factum fuisset, procul dubio hostis ipse et majorem calamitatem eisdem terris intulisset et ulterius in intima regni penetrasset.

Quum autem res ipsa defensionis ita esset jam instituta atque ordinata, mox nuncii diversis ex partibus mitti cepeiunt, afferentes, exercitum Turcorum terras Russie ingressum omnia igne ac ferro vastare, predas hominum et pecorum agere, qui quidem exercitus tam validus erat, ut non esset possibile copias illas, a regia Mte. ad defensionem Russie missas, cum exercitu hostili sine metu periculi confligere posse.

Quum autem idem Turcorum exercitus e regno nostro preda onustus discessisset, mox alius Tartarorum multo potentior exercitus Russiam ingressus, reliquas ejus partes, quas Turcorum exercitus intactus reliquit, invadens ita depopulatus est ac pervastavit, ut verisimile non sit, eas plurium annorum spatio vires pristinas recuperaturas esse atque ad sui defensionem idoneas esse posse.

Et quum ipse Tartarorum exercitus ferens tantam predam e regno discederet, Mtasque regia ab exploratoribus edocta, iterum denuo majores exercitus Turcorum et Tartarorum instauratis viribus minari, se velle venire, postquam in priori incursione paucos obstare viderunt, qui eorum conatibus allaturi essent impedimentum:

Mtas. sua in tanta calamitate suorum subditorum reputans, quid inde sequuturum fuisset, nisi aliqua firmior et validior defensio inventa fieret, tandem cum ea deliberatione, que in tanta rerum et temporum angustia excogitari potuit, ipsa propria sua persona Sandomiriam primum et inde Leopolim conferre se dignata est, commota universa nobilitate terrarum Minoris Polonie ad eam expeditionem, que ad totum regnum in generali conventu erat decreta.

Hoc etiam adjuncto pro rei necessitate et ut aliquem timorem hosti incuteret, jussit ex omnibus oppidis et villis talem fieri expeditionem, ut ex ordine decimus quisque, sumptis armis, ad bellum iret. Quod nisi singulari divina gratia suffragante factum fuisset, sine dubio maxima pars regni hoc preterito tempore devastata desertaque fuisset.

Mtas. itaque regia previdens futura pericula atque eis divino auxilio occurrere cupiens, conventum generalem in Piotrkow ad diem S. Thome, apostoli, statuit et indixit, omnibusque consiliariis mandavit, ut illuc conveniant, de ejusmodi defensione cum sua regia Mte. consulturi, qua regnum ab imminenti periculo salvum conservari possit.

Videt enim Mtas. sua, hostes animosiores factos et ad invadendum regnum propensiores et audaciores, quum videant, omnia pro voto sibi succedere. Videt Mtas. sua et alia multa, de quibus, si quando necessaria erat consultatio, nunc potissimum et necessaria est et maxime salutaris futura, si pro necessitate rei facta fuerit. Sin autem neglecta fuerit, quanta sit omnibus deinde calamitas futura, quisque secum cogitans facile potest investigare. Nam Mtas. sua bene novit, quod| magister Prussie per omnem Germaniam discursans consilia et auxilia querit, quibus id, quod proposuit agere et perficere possit. Novit etiam Mtas. sua, civitates Prussie heresi luterana infectas ad tantam licentiam devenisse, ut hi, qui presunt, furorem multitudinis coercere non possint. Inducie vero cum ipso magistro jam ad finem approperant, qui priusquam veniat, opus est consilio, num he ipse inducie ulterius

rius prorogande sint an bellum renovandum et quomodo terre et civitates Prussie regie Mti. subjecte in bona firmitudine, concordia et tranquillo statu conserventur. MDXXV. (MDXXIV.)

Preterea cognitum habet Mtas. sua, vojevodam Valachie, semper alias non satis fidum, nec ad servandam amicitiam propensum, nunc multo plus suspectum esse, immo vero certis indiciis deprehensum, hostilia in nos cogitare et struere. De quo etiam consultandum erit, quomodo capiatur, ne vel ad Turcos deficiat, vel ab his debelletur. Tum enim si Turcus occupata Valachia immediatus nobis vicinus esset, multo nobis esset formidabilior atque gravior, quam sit nunc, quum vojevoda ipse nondum cum eo aperte sentit et dum terra ejus Turco non est subjecta.

Quare hortatur Serma. Mtas. regia vras. Dtiones, ut super hisce rebus aliisque regni necessitatibus id, quod expediret, in medium conferant et nuncios, viros graves, prudentes et rerum agendarum peritos, cum plena et non limitata potestate ad generalem conventum eligant, cum quibus et cum dominis consiliariis possit Mtas. sua impendentibus periculis maturo consilio occurrere et quod Reipublice utile ac salutare videbitur constituere. Nam eo rem jam devenisse manifestum est, ut necessarium esse videatur, majori nunc cura et sollicitudine de his ipsis necessitatibus et periculis tractare et consulere, quam antea consultum et tractatum fuit, ne, quod deus avertat, hostium impressione fracti et debilitati ad ultimum concidamus.

Mtas. vero sua ita se offert ad ipsas actiones pro salute subditorum, ut nihil sit pretermissura, quod ad optimi principis officium pertinere videbitur. Non retrahet suam Mtem. neque retardabit magnitudo laborum, metus periculi et sumptuum difficultas. Quicquid enim habet et habere poterit, omnia se effusuram pollicetur, ut subditos suos, quos regendos et tuendos suscepit, ab interitu servet prestetque securos.

Credentia.

Universis et singulis prelatis, proceribus, consiliariis et officialibus, ac ceteris in conventu srzedensi congregatis sincere et fidelibus dilectis, salutem et gratiam regiam. Mittimus in medium Sinceritatum vestrarum nobilem N., cui commisimus presentes Reipublice necessitates et voluntatem nostram de illis eisdem Sinceritatibus vris. referre. Quam ob rem hortamur illas: ut ei plenam fidem adhibeant idque exequi curent, quod nostro nomine ad consultandum Reipublice necessarium declarabit. Dat. Cracovie fer. V. intra octavam f. Sanctorum omnium.

II. Litere pro Conventu terris Prussie.

Sigismundus, Rex Polonie,
Episcopis et Palatinis Prussie.

Rde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Instantia ab hostibus pericula suadent, ut celerius cum consiliariis nostris convenientes de futura regni nostri et dominiorum defensione consilia capiamus. Hostes enim preteritis successibus animati ea parant ac moliuntur,

MDXXV. (MDXXIV.) untur, que suis rationibus conductura esse cognoscunt. Huc accedit, quod cum Illri. dno. magistro ordinis Cruciferorum finis induciarum appetit, qui per Germaniam discursando querit consilia et auxilia, quibus adjutus intermissum bellum instaurare possit. His igitur et aliis multis de causis conventum regni generalem Piotrkovie ad festum S. Thome futurum indiximus. Terris vero Prussie ad diem S. Barbare similiter generalem Thorunii indicimus atque agi volumus, ut ibi etiam omnes de more conveniant et de rebus communibus ad bonum et tranquillum statum istarum terrarum pertinentibus tractent et consultent ac de ipsa cum dno. magistro actione deliberent, num de induciis prorogandis in ipso proximo conventu piotrkoviensi aut de bello renovando agendum et decernendum erit. Vram. igitur Ptem. hortamur eique mandamus, ut ad diem S. Barbare Thorunium se omnino recipiat et nullo modo se subtrahere audeat, sub obtentu gratie nostre, et una cum aliis terrarum Prussie consiliariis nostris in ipso conventu, que e republica sunt futura, agat et consulet. Inprimis autem de ipsa cum dno. magistro actione, sitne ad inducias proferendas assentiendum, vel de bello renovando decernendum. Illinc autem facto delectu aliquot consiliariorum, quos rerum omnium seriem melius percallere cognoveritis, ipsos ad eundem conventum piotrkoviensem mittere curetis, ut ibi nobiscum et cum aliis regni nostri consiliariis super omnibus negotiis regni, quod agendum restat, deo nos juvante, agant et decernant. Bene valeat etc. Dat. Cracovie fer. V. ut supra.

Clausula ad Palatinos.

Quia vero necessarium esse arbitramur, ut nobilitas istarum terrarum etiam certior fiat de his rebus, que in predicto conventu thorunensi tractabuntur, volumus et mandamus tue Sinceritati, ut ante eundem conventum thorunensem alium conventum particularem nobilitati palatinatus sui et in aliquo loco commodo indicat et ei declaret, quod propter multas et arduas necessitates istarum terrarum Prussie, que celeri et maturo consilio indigent, eum ipsum conventum generalem Thorunii statuimus et indiximus, mandetque omnibus nostro nomine, ut si pariter ad eundem conventum venire non poterint, saltem nuncios ex medio sui cum plena facultate mittant, ne in rebus necessariis aliquid eorum negligatur, quod ad bonum et tranquillum omnium statum pertinere videtur.

Sigismundus, Rex Polonie, Nobilitati Terrarum Prussie.

Cracovie sabbato intra octavas f. Sanctorum omnium.

Nobilis, fidelis, dilecte. Propter multiplices et arduas necessitates istarum terrarum Prussie indiximus conventum Thorunii pro festo S. Barbare proximo, ut in eo consulatur communi et maturo consilio de eisdem necessitatibus. Mandamus tibi, ut ad eundem conventum te omnino conferas et in eo de his, que per nuncium nostrum proponentur, consulas. Sub obtentu gratie nostre aliter non facturus.

Ad

Ad capitaneos etiam et oppida eodem exemplo scripte sunt litere. MDXXV.

Ad capitaneos Prussie scriptum, ut conventum publicari facerent, et eidem conventui interessent et in eo consultarent etc. (MDXXIV)

Capitanei.

Marienburgensis,
Gnevensis,
Grawdecensis,
Radzinensis et Dzialdoviensis,
Rogosnensis,
Koprziwnicensis,
Sthumensis,
Tucholiensis,
Swecensis,
Slochoviensis,
Kowalensis.

III. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Conventum Prussie, Thorunii actum, missa.

Post dictam et annunciatam gratiam regiam et post oblatas literas credentiales dicendum: Bene constat Dtionibus. vris., quanta clades preterita estate inflicta sit terris Russie per duos potentissimos exercitus Turcorum et Tartarorum et quam gravia damna inde sint sequuta; quomodo etiam Mtas. regia, verita, ne iidem hostes prede copia illecti atrociora adhuc efficerent, cum iis copiis, quas in subito illo casu contrahere poterat, in occursum eisdem hostibus Leopolim profecta erat illicque, quoad omnis suspicio hostilis adventus penitus sublata erat, commorata est. Cod. bibl. Ossolinianae.

Intelligens vero Mtas. sua, quod hec moles belli ex composito tam contra se quam etiam contra Sermum. dnum. regem Ludovicum devoluta est, considerans etiam, quod ad tantam vim hostium reprimendam a nullis principibus christianis auxilia habeat, indixit conventum regni sui generalem Piotrkovie ad festum S. Thome, apostoli. In quo conventu cum consiliariis et subditis suis consilia capere instituit, quanam ratione hostibus resistere valeret.

In eodem etiam ipso conventu in deliberationem ponere constituit Mtas. sua, ex quo inducie cum Illri. dno. magistro Prussie et ejus ordine facte post paucos menses expirature sunt, quidnam potissimum ulterius faciendum sit, prorogandene sint inducie an bellum in Prussia renovandum.

Quibus in rebus Mtas. sua nolens quicquid inconsultis prius Dtionibus. vris. statuere, hortatur illas, ut hic prius inter se ipsas conferant et consulant, utrum consultius videatur, ut Mtas. sua prorogaret inducias cum ipso magistro et ejus ordine ad aliquantum tempus, vel bellum adversus eum renovaret.

Illud autem a vris. Dtionibus. potissimum perpendendum est et mature considerandum, quod Mtas. sua gravi et inextricabili bello cum Infidelibus districta, nequaquam uno et eodem tempore utrique bello et illic videlicet et hic satisfacere potest, eo idque minus, quod cum

MDXXV. (MDXXIV.) cum ejusmodi hostibus res ei est, qui nullis honestis conditionibus vel federibus contineri possunt. Quomodocunque tamen Dtiones. vre. hic inter se super ea re deliberaverint et quicquid optimum illis fore videbitur, designatis aliquibus de medio sui consiliariis, per eos sententiam suam ad conventum generalem significent.

Ceterum intellexerat jam pridem Mtas. regia: quod vre. Dtiones. Gedanensibus cudere monetam permiserint, illi vero ea conditione se id facturos promiserant, quod et bonam monetam cudere et ex ea cusione non majus lucrum habere debebant, quam ut impensam, que in id facta esset, deducerent. Nunc vero, ut Mtas. sua edoctus est, cudunt hi ipsi Gedanenses et expendunt monetam satis vilem, que quidem res eo etiam intolerabilior est, quod ex aliis quoque regionibus multiplices atque leves et viles monete hic inferuntur. Quare sua Mtas. mandat ac ita habere vult, ut Gedanenses ab ejusmodi cusione monete jam a modo cessent, et Dtiones. vre. dent operam, ut tam hec ipsa Gedanensium moneta quam cetere ad instar Swidnicensis, incertum ubi cuse, istic in terris Prussie penitus aboleantur et inferri huc et augeri prohibeantur. Interim vero sua Mtas. omni studio adnitetur, ut falsarii tales explorentur in eosque, uti meriti sunt, animadvertatur.

Quod ad sectam luteranam attinet, que fertur in dies magis istic in Prussia invalescere, vult sua Mtas., ut vre. Dtiones. omnem curam de extirpanda illa adhibeant. Quum autem nulla Respublica regi potest sine legibus ac institutis suis, leges autem stare nequeant, ubi cuicunque quod libet licet, religio vero unicum est vinculum in rebus humanis, quo leges ac instituta omnium Rerumpublicarum contineantur, quo dissoluto dissolvi necesse est universa, hortatur omnes subditos suos harum terrarum Mtas. sua: ne se hac labe heretica polluant et nomen ignominiosum sibi apud reliquos Christianos pariant ac sue Reipublice turbas seditiones ac casum aliquem, quem deus avertat, comparent, religionem sanctam catholicam, non plus sapientes quam oportet, colant et observent. Quo et divinum favorem sibi conciliabunt, res et ordinem suum bene stabilient nomenque bonum apud omnes et gratiam Mtis. sue regie demerebunt.

Postremo quicquid vre. Dtiones. intelligent ad bonum et tranquillum suum et harum terrarum statum pertinere, de eo inter se tractent et consulant ac demum per dominos, qui ad generalem conventum regni ituri sunt, Mti. regie significent, que pro ea cura et sollicitudine, quam de subditis suis habet, eo commodius de omnibus, que expedire videbuntur consulere et providere dignabitur.

IV. Joannes Zamboczki, Aulicus, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. Korn. Rme. dne., dne. gratiosissime. Post vulgatas illas fictasque nugas, servitutes videlicet et commendationes etc. Germani negotiatores propter ineptum hoc, quod mihi cum eis perpaucum est lingue germanice commerciolum, tum etiam, quia me in curia in ampla toga volitari vident, existimant, me aliquid esse, atque ita mihi molestiam exhibere non cessant, quin

quin meam sibi operam expetant. Ego vero non aliter quam illa Horatiana vel Esopica ranula, volens tante opinioni eorum de me concepte respondere, inflor atque intumesco, ut nisi tempestive desinere vellem, crepandum mihi esset. Hec eo tendunt. Heri post discessum Rme. Dtionis. vre. circiter horam secundam venit ad me e Thorunio famulus Kampe, is, qui has meas literas fert, meam opem implorans, ut videlicet literas ad regem Danie apud Rmam. Dtionem. vram. obtinerem. Quid autem in re sit ex exemplo literarum regis Danie, quas Gedanensibus misit, quarumque exemplum mitto, tum etiam ex relatione ejusdem famuli Kampe Rma. Dtio. vra. intelliget. Rogo eandem — ut ex stulto insanus fierem — h. e. ut isti ipsi sentiant meam operam apud Rmam. Dtionem. vram. sibi prodesse, ita ut literas ad regem Danie, ei negotio servientes, reportent. MDXXV.

Dnus. castellanus posnaniensis, quem ego semisomnis in multam noctem expectavi, tandem circiter noctis medium ex Suleyow rediit, oblique minimum et perplexe respondebat. Vereor, ne quid Andria huic apportet mali, sed permittenda sunt vela ventis. Nudus egressus sum de utero matris etc. Hodie, si deus volet, ad domunculam meam proficiscar Vra. Rma. Dtio. felicissime valeat. Piotrkovie fer. IV. VIII Januarii.

V. Ludovicus, Rex Hungarie etc., Sigismundo, Regi Polonie.

Serme. princeps, patrue noster charissime. Rationes vre. Mtis., quibus impedita ad festum Epiphaniarum domini proxime preteritum, aut venire aut mittere commissarios Posonium, prutenice controversie cognoscende et componende gratia, sicuti nos una cum Sermo. fratre nostro archiduce vehementer optabamus, non potuerit, ex proximis ejus literis abunde intelleximus. Non fuit profecto hujus nostri desiderii alia causa, quam quod videbamus, esse admodum periculosum in hoc nutantis regni nostri ac totius christiane reipublice statu, inter Mtem. vram. ac Illrem. Prussie magistrum aliquas renascentis belli causas superesse, presertim cum inter ceteros nostre fidei principes, ut Mti. vre. notum esse arbitramur, acriores quotidie contentiones et bellorum flamme excitentur. Habuimus etiam in animo, quibus cum hostibus assidue vra. Mtas. colluctetur — de Turcis, Moscis et Tartaris loquimur — nec putabamus posse fieri, ut eodem tempore et his resistere et prutenicum bellum commode posset instaurare. Nos de responso et rationibus, quas affert Mtas. vra., fratrem nostrum principem Ferdinandum fecimus certiorem; nec alium existimamus hac in re ejus esse animum, quam qui noster est. Non possumus itaque Mtem. vram. rursus non vehementissime rogare, ut, si nihil aliud, saltem adversam hujus temporis conditionem secum diligentius consideret: Christiani fere omnes mutuis inter se armis et odiis dissident et conflictantur, Turcus adeo nobis instat, ut vere proximo ad hujus regni excidium omni impetu, conatu et furore sit venturus. Hic si Mtem. vram. alio bello distractam senserit, quid non adversum nos audebit? Major illi accedet animus, magis vires nostras, infirmas alioqui, contemnet: rogamus Mtem. vram., cui regnorum Cod. R.

 nostrorum

MDXXV. nostrorum salus non minus, quam Polonie incolumitas cure solet esse, non gravetur, id quod sepissime contendimus, induciis prutenicis, antequam exeant, quinquennium aut saltem annos tres adjicere. Subditos autem omnes arbitrium et voluntatem vre. Mtis. ac nostrum in conventu pro festo divi Thome, apostoli, celebrato amplexos et secutos fuisse credimus, quum vre. quoque Mtis. intersit, ut inducie tantisper differantur, dum majore nostrum omnium commoditate rebus prutenicis nos et ceteri domini arbitri et compromissarii possumus intendere. Nostrum autem et Sermi. fratris nostri archiducis erit, ipsi quoque dno. magistro Prussie persuadere, ad quod eum adduci posse non dubitamus, ut has novas inducias libens sit amplexurus. Quibus de rebus bonum atque ultimum, et quale rerum nostrarum ac temporum ratio postulat, responsum a Mte. vra. expectamus. Eandem optime ac felicissime valere cupientes, cui nos nostraque omnia, uti patruo amantissimo, unice commendamus. Bude XII Januarii MDXXV.

VI. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Capitulo Posnaniensi.

Cod. Korn. Venerabiles dni., fratres charissimi. Scripsimus vobis non ita pridem, quanto conatu impetamur hic a secularibus, ut onus defensionis una cum illis ferremus. Quod tametsi omni studio per hoc totum conventionis tempus declinare curaverimus nihilque non tentaverimus, quo jura et immunitates ecclesiasticas illibatas conservaremus, tamen considerantes omnium in eo conatu pertinaciam, considerantes tum regni summum discrimen ab Infidelibus, tum ecclesie gravissimam tempestatem ab heresibus, que in dies magis invalescunt, timentes, ne per nos stare videretur, quominus opportuna defensio Reipublice constitueretur, atque inde ansa daretur improbis grassandi in bona nostra que inhiant, coacti sumus fundos ecclesie una cum aliis in commune taxandos offerre ad nonnullasque alias contributiones satis graves nos submittere, quibus tamen nondum satiati videntur, sed urgent nos ad decimas eidem oneri mancipandas, ad quod jugum indignum nos hactenus impellere non potuerunt neque impellent, adjutore deo, vel nobis unis renitentibus.

Significatum nobis est, dnum. Sigismundum Lanczki animam agere jamque fortassis extinctum. Ejus canonicatum conferre statuimus alicui viro idoneo, ut posthac prebendam hanc doctoralem efficiamus, non obstante coadjutoria alterius ad quam infringendam habemus modos necessarios. Et proinde curetis, ne quid ea in re nobis insciis et irrequisitis statuatis, presertim de acceptando altero ad ecclesiam et possessione tradenda. Valete feliciter nosque in vestris orationibus commendatos habeatis. Datum.

VII. Sigismundus, Rex Polonie, promittit Nobilitati Conventum justitie et jurium Regni executionem.

Manifestum facimus universis. Quia cum petiti essemus a communi nobilitate regni nostri cum alias tum in hoc conventu generali piotrkoviensi, ut et injurias, quas ipsa haberet, et que communem justitiam concernunt, reformaremus, nos vero primum defensioni regni, ut par est, consultum iri volentes, non potuerimus hactenus commode, nec tempus suppetebat, huic justitie ministrande intendere: conventum justitie generalem hoc anno circa festum S. Andree futurum statuendum decrevimus et statuere presentibus literis nostris pollicemur, promittentes in verbo nostro regio, quod, quicquid compertum fuerit vel injujurium esse cuipiam vel a justitia dissidere, in eo tam communitati omnium ordinum regni nostri, quam etiam singillatim unicuique justitiam ministrabimus aliaque omnia perficiemus, que pro bono et tranquillo statu omnium subditorum nostrorum opportuna videbuntur. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est impressum. Datum in conventu petricoviensi generali fer. II proxima ante festum cathedre S. Petri. MDXXV. Cod. Korn.

Nuncii terrarum, mutabile vulgus, contendebant summopere, ut officia cancellariatus adimerentur Tomicio et Ssidlovicio, ut ceteri dignitarii, qui capitaneatus aliquot obtinebant ob eorum bene merita ex his officiis deponerentur. Id nonnulli consiliarii ex invidia procurabant et nuncios ipsos tanquam canes ad latrandum et mordendum instigabant, occulte quidem illi, sed isti manifesti erant. Producebatur res et exequutio non secuta.

VIII. Litere pro Illustri Dno. Duce Masovie super X millibus florenorum.

Sigismundus d. g. rex Polonie etc. Significamus tenore presentium, quibus expedit universis. Quia quemadmodum Nos exigentibus Reipublice regni nostri negotiis, recepimus in mutuum et in numerata pecunia cum effectu levavimus X millia flor. in moneta, quemlibet flor. XXX grossis numeri et monete regni nostri computando, ab Illri. olim dno. Stanislao, duce Masovie, per manus Rdi. in Christo patris, dni. Petri, cracoviensis et posnaniensis epi., regni nostri vicecancellarii, ac Mgcorum. Christophori, palatini et capitanei cracovien., regni nostri cancellarii, et Nicolai de Schidlowyecz, cast. sandomiriensis, regni nostri thesaurarii et capitanei radomiensis, Nobis sincere dilectorum, pollicitique fuimus verbo nostro regio ac Nos successoresque nostros, reges Polonie, inscripseramus et obligaveramus eandem summam decem millium flor. prefato olim dno. duci Stanislao solvere et pro festo S. Martini immediate preterito in civitate warschoviensi reponere, prout etiam suprascripti consiliarii nostri hanc ipsam summam memorato olim dno. duci Stanislao pro tempore prescripto fore solvendum pro Nobis et Ex cod. mss. bibl. Korn.

 successoribus

MDXXV. *successoribus nostris specialibus suis literis sese inscripserunt et obligaverunt; in defectu vero solutionis prefate summe pro tempore predicto inscripseramus eandem summam memorato olim dno. duci Stanislao et successoribus suis in bonis nostris, videlicet castro et civitate totaque terra nostra plocensi atque omnibus ejus territoriis et districtibus. Que bona consenseramus sibi redimere de manibus modernorum tenutariorum, vid. palatini et capitanei plocensis ac aliorum quorumvis tenutariorum summis pecuniarum, que in ejusmodi bonis inscriptas habent. Verum quia priusquam veniret terminus solutionis summe predicte, vid. dies S. Martini, dnus. olim dux Stanislaus, ut Altissimo placuit, ab humanis decessit, ea ipsaque summa pecuniaria ad Illrem. dnum ducem Janussium, defuncti dni. Stanislai germanum, est jure successionis naturalis devoluta, egimus apud suam Illtem. pro ulteriori solutionis prorogatione termini et obtinuimus eundem terminum solutionis vid. diem festum nativitatis S. Joannis Baptiste proxime futurum, atque ita pollicemur et spondemus verbo nostro regio ac Nos successoresque nostros presentibus inscribimus et obligamus, prefatam summam X millium flor. in moneta, per triginta grossos quemlibet florenum computando, eidem dno. duci Janussio solvere ad diem festum S. Joannis Baptiste proxime ac immediate futurum, ac Warschovie simul et ex integro in effectu reponere. Quod si forte prefatam summam X millium flor. pro predicto die festo St. Joannis casu quocunque non solverimus Warschovieque non reposuerimus, ex tunc Nos cupientes dictum dnum. Janussium, ducem, pro summa predicta reddere securum et indemem inherendo inscriptioni nostre predicte, dno. duci Stanislao, dum viveret, super eadem summa facte, ac illam per istam firmando de consilio omnium consiliariorum nostrorum spiritualium et secularium nec non nunciorum omnium terrarum regni nostri in presenti conventione generali Nobiscum agentium, eidem dno. duci Janussio et successoribus suis consentimus et admittimus per presentes redimere castrum et civitatem totamque terram nostram plocensem cum omnibus ejus territoriis et districtibus, statim lapso dicto festo S. Joannis Baptiste, de manibus modernorum tenutariorum castri, civitatis et terre illius ac omnium districtuum et territoriorum ad castrum et terram plocensem pertinentium, vid. palatini et capitanei plocensis et aliorum quorumvis tenutariorum summis pecuniariis, quas in iisdem bonis inscriptas habuerint et quas adhuc de eisdem bonis inscript. proventus illorum bonorum extenuando et ad rationem capitalem compensando percipere deberent. Que quidem bona nostra, castrum, civitatem et totam terram plocensem etc. eidem dno. duci Janussio in prefatis X millibus flor., nobis per fratrem ejus Illtis mutuo date, ac in summis pecuniariis per eundem dnum. ducem dicta bona nostra de manibus modernorum ipsorum tenutariorum redimendo, exponendis, inscribere et obligare ac eorundem bonorum possessionem sibi consignare debebimus, et in verbo nostro regio pollicemur omnibus cautelis et difficultatibus semotis, cum pleno jure et dominio ac cum omnibus utilitatibus, censibus et proventibus universis, nihil proventuum pro Nobis ex eadem terra plocensi reservando, per ipsum dnum. ducem Janussium et ejus successores tenendum et possidendum modo tamen obligatorio tamdiu, donec sibi aut ejus successoribus dicta summa decem millium flor. etc. per Nos aut successores nostros, reges Polonie, integre et simul fuerit exoluta. Harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum de certa scientia nostra et consensu est appensum. Actum et datum Pyotrkovie in conventione generali, fer. IV. festi cathedri S. Petri.*

IX. Litere

IX. Litere fidejussorum pro supradictis X millibus florenorum.

Petrus d. g. cracoviensis et posnaniensis epus. ac vicecancellarius, Christophorus, palatinus et capitaneus cracoviensis et cancellarius, Nicolaus de Schidlowyecz, fratres germani, castellanus sandomiriensis et thesaurarius regni Polonie. Significamus tenore presentium, quibus expedit universis: quia cum paulo superiori tempore Sermus. princeps et dnus., dnus. Sigismundus, d. g. rex Polonie, Mg. dux etc. etc. necessitate Reipublice regni sui exigente, recepisset in mutuum ab Illmo. principe et dno. Stanislao d. g. duce Masovie, X millia flor. in moneta polonicali, triginta grossos in florenum quemlibet numerando, quam summam nos prefato Sermo. regi nostro numeravimus et in effectu reddidimus, prout sua Mtas. literis suis specialibus prefato Illmo. dno. duci Stanislao concessis, se eandem summam soluturum pro festo S. Martini, proxime preterito, et in defectu solutionis summe predicte promiserat, eidem dno. duci obligare et inscribere bona sua regalia, castrum, civitatem et totam terram plocensem cum omnibus illius districtibus et territoriis, consensum suum prebendo, ut bona eadem redimerentur per dnum. ducem predictum de manibus modernorum tenutariorum bonorum illorum, prout hoc in literis Mtis. sue regie prefato dno. duci Stanislao concessis latius scriptum extat. Pro quarum summarum solutione et implemento omnium premissorum Nos omnes suprascripti prefato dno. Stanislao fidejusseramus et spoponderamus specialibus literis nostris sub nostris sigillis concessis et manibus nostris subscriptis. Quia tamen priusquam terminus solutionis predicte summe venisset, prefatus Illmus. predictus dux Stanislaus, ut Altissimo placuit, ab humanis decessit et summa predicta ad Illmum. dnum. ducem Janussium, defuncti domini ducis germanum, jure successionis naturalis, devoluta est, cum quo Mtas. s. regia agens de prorogatione solutionis summe predicte, obtinuit ipsam differri ad festum S. Joannis Baptiste proxime venturum eandemque summam X millium flor. pollicita est et spopondit solvere prefato dno. duci Janussio ad diem festum S. Joannis Baptiste proxime venturum aliis literis suis et in defectu solutionis summe ejusdem, bona sua regalia scil. castrum, civitatem et totam terram plocensem cum omnibus ejus districtibus et territoriis sibi inscribere et obligare promisit per eundem, lapso festo S. Joannis Baptiste proxime venturo, possidendum et tenendum cum universis ejus attinentiis, utilitatibus, proventibus et commoditatibus omnibus ac toto jure et dominio, modo tamen obligatorio, ita quod ea ipsa bona idem dnus. dux Janussius pecuniis suis redimere debebit de manibus modernorum tenutariorum ejusdem terre plocensis illaque bona omnia in summa predicta X millium flor. ac etiam summa pecuniarum pro redemptione ejusdem terre exponenda possidebit idem dux Janussius et sui successores possidebunt ad illarum omnium summarum plenarem exolutionem. Pro quarum quidem omnium summarum solutione ac omnium supra scriptarum implemento nos omnes suprascripti inherendo nostre fidejussioni et sponsioni prefato dno. duci Stanislao facte illamque per istam firmando fidejubemus et spondemus eidem dno. duci Janussio. Quod si Mtas. regia non solverit aut successores Mtis. regie non solverint predictam summam X millium flor. eidem dno. duci Janussio pro festo S. Joannis Baptiste proximo aut ipsam summam in prefata terra plocensi non inscripserit MDXXV. Ex cod. mss. bibl. Korn.

et

MDXXV. *et possessionem prefatorum castri, civitatis et totius terre plocensis ac omnium ejus districtuum et territoriorum in defectu solutionis ejusdem summe eidem non dederit et non assignaverit in effectu, nos omnes promittimus et sese obligamus per presentes pro ipsa Mte. regia et ejus successoribus manu conjuncta et in solidum eandem summam X millium flor. ipsi dno. duci Janussio pro eodem tempore et festo S. Joannis Baptiste bona et sincera fide nostra solvere et in civitate Warschovie reponere realiter et in effectu pecuniis nostris propriis, exceptionibus et cautelis quibuscunque semotis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium sigilla nostra, quibus utimur, presentibus appendimus et has ipsas literas manibus nostris subscripsimus. Actum et datum Pyotrkovie fer. IV. in festo cathedre S. Petri.*

X. Fedus inter Sigismundum, Regem Polonie, et inter Duces Megapolenses et Pomeranie.

Cod. B. In nomine domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Omnes humane actiones, que hac lege fiunt, ut nunquam ab hominum memoria discedant, sed perpetua serie decurrentes sempiterne permaneant, nulla ratione melius stabiliri et firmari possunt, quam si literarum monumentis posterorum memorie prodite ab interitu vindicentur.

Ideo Nos Sigismundus, d. g. rex Polonie, Mg. dux Lithuanie, necnon terrarum cracoviensis, sandomiriensis, siradiensis, lanciciensis, cujaviensis, Russie, Prussie etc. dominus et heres, presentium literarum testimonio apud omnes homines, qui nunc sunt et futuri sunt, testatum esse volumus et profitemur, quod inter alia status nostri regnique et dominiorum nostrorum negotia, que recensendo et memoria repetendo in animo revolvimus et cum consiliariis nostris deliberando et consultando instituimus et decrevimus ad fulciendas res nostras et regni nostri, ut in pace et tranquillitate, quoad fieri potest, gubernante permaneant et retineantur, id etiam non minus consentaneum et utile, quam necessarium visum est faciendum, ut cum Illribus. principibus, dominis Henrico Mekelburgensi, Vandalorum principe, comite Swerinense terrarumque Rostochii et Stargardie domino ac dominis Georgio et Barnimo, Stettinensi, Pomeranie, Cassubie, Slavonie ducibus, principibus Rugie et comitibus in Guszkaw, fedus, societatem et amicitiam ineamus, quam nostros majores et cum majoribus eorum tenuisse et servasse litere ultro citroque desuper confecte atque in scriniis reperte testantur, quibus permoti paulo superiori tempore Rmos. et Rdos. in Christo patres, dominos, Joannem de Lasko, ecclesie gnesnensis archiepiscopum, legatum natum et primatem, Mathiam de Drzewicza, wladislaviensem, et Joannem de Lusianis, culmensem epos. Mgcosque. et generosum Stanislaum de Kosczieliecz, palatinum calissiensem, bidgostiensem et stumensem capitaneum, Georgium de Baisen, palatinum marienburgensem et gnevensem capitaneum et Achatium Czema, succamerarium Pomeranie et capitaneum slochoviensem, oratores et consiliarios nostros, ad tractandum et componendum de modo et ordine ejusce amicitie et societate designatis misimus, quorum studio et opera postea quam cum oratoribus et consiliariis eorundem dominorum ducum Mgco. Georgio comite

comite ab Ebersten et domino in Naugartem, utriusque juris doctoribus Nicolao Marschalci et Valentino de Stogentin, capitaneoque in Loczie, convenerunt, eo res deducta est, ut compositis rebus et descriptis omnibus articulis in hoc federe et societate inter nos et ipsos dominos duces pactis et ad nos sub sigillis partium perlatis, ipsos de consilio et assensu prelatorum, baronum et consiliariorum nostrorum status utriusque approbatos ad memoriam sempiternam eo tenore, qui sequitur confirmaremus. MDXXV.

Inprimis autem Nos et successores nostri cum supradictis Illribus. dnis. Henrico Megapolense etc. ac Georgio et Barnimo, Stettinense et Pomeranie ducibus, eorumque successoribus esse volumus harum serie literarum in amicitia perpetua conjuncti et confederati eisque ac eorum successoribus consilio, favore et auxilio opportuno pro posse nostro adversus quemlibet hostem, ducatibus et terris illorum propinquius adjacentem, assistemus in omni eventu, et presertim si Ill. dnus. Joachimus, marchio brandenburgen., elector romani imperii, aut ejus successores, heredes, complices, fautores, auxiliatores et adherentes illos vel terras et dominia illorum impeteret, aut alia quacumque via hostiliter invadere aut molestare simul vel divisim vellet, atque in effectu molestaverit aut invaserit.

Similiter ipsi quoque principes et dni. predicti eorumque successores esse debent nobiscum et cum nostris successoribus, regibus Polonie, in amicitia perpetua conjuncti et confederati nobisque et nostris successoribus, consilio, auxilio, favore pro posse suo adversus quemlibet hostem, regno, terris et dominiis nostris propinquius adjacentem, in omni eventu assistent, et specialiter si dnus. magister ordinis S. Marie Teutonicorum de Prussia cum ordine suo vel ejus successores, heredes, complices, fautores, auxiliatores et adherentes nos successoresque nostros, vel regnum, terras et dominia nostra impeteret aut alia quacunque via hostiliter invadere seu molestare singulariter vel conjunctim vellet atque in effectu molestaverit aut invaserit.

Contra paganos autem, hereticos, scismaticos in remotioribus agentes nos successoresque nostri pro virtutis nostre arbitrio et beneplacito prefatis dominis ducibus assistemus et opitulabimur, quemadmodum et ipsi quoque eorumque successores vicissim nobis et nostris successoribus contra eosdem infideles, hereticos et scismaticos in remotioribus agentes pro virtutis sue arbitrio et beneplacito assistent et auxilia ferent.

Ea autem auxilia et reliqua assistentie officia, nos eisdem dominis ducibus expensis nostris prestabimus et successores nostri prestabunt. Cum vero exercitus noster vel successorum nostrorum, quem in auxilium prefatis dnis. ducibus mittemus, ad eorum fines pervenerint, illum mox hi ipsi dni. duces et eorum successores per suum conductorem excipient, qui eidem exercitui in ejus profectione de quieto et securo transitu deque habendo commeatu justo eiusdem exercitus, pretio ac ere ejus proprio comparando, consulet et providebit eique assistet.

Quod si in bello, ad quod gentes nostras in auxilium prefatis dominis ducibus expensis nostris prestabimus et successores nostri prestabunt, contigerit, quod aliquis de exercitu ipso nostro vel eorundem successorum nostrorum sive preliando, vel aliis modis extra prelium ipsis dominis ducibus militando captus vel detentus aut in obligationem receptus seu sponsione fidei obstrictus fuerit illi, per eosdem dominos duces vel eorum successores consuletur

MDXXV. consuletur et suffragabitur et propterea etiam in manu et potestate eorundem dominorum ducum omnes et singuli captivi ex hostibus quacunque ratione capti esse debebunt.

Insuper deo opt. max. expugnationem aliquorum castrorum, arcium, civitatum et quorumvis aliorum locorum concedente in eo bello, ad quod auxilium per nos vel successores nostros dictis dominis ducibus fuerit missum, ea omnia et singula in eo ipso bello expugnata, si antea ad ipsos dominos duces vel eorum predecessores pertinuerunt, eis erunt relinquenda; si vero nec ad illos nec ad nos aut predecessores nostros spectabunt, nihilominus ipsis dominis ducibus et eorum successoribus cedent et cedere debebunt.

Et quia confederatorum interest mutuam rerum et actionum suarum curam habere, non indicemus bellum Nos et nostri successores ex vi et ordinatione horum federum cuicunque hosti nostro regnique et dominiorum nostrorum, insciis et inconsultis prefatis dominis ducibus aut eorum successoribus, fortasse enim, communicato cum illis consilio, vie et modi invenientur, per quos injuria nobis regnoque et dominiis nostris illata resarciri et pro illa debita satisfactio citra vim armorum impendi poterit, nisi forte Nos inopinate seu ex insperato invaderemur successoresque aut regnum et dominia nostra invaderentur.

Non permittemus autem nos et successores nostri pro virium nostrarum facultate transire et redire gentes sive nostras sive alienas adversus prefatos dominos duces aut eorum successores per loca regni et dominiorum nostrorum, hostili molimine proficisci conantes, neque illas quoquo modo occulte vel manifeste adjuvabimus, ut hosti ad usum, ipsis vero dominis ducibus aut eorum successoribus ad damnum pervenirent.

Et quoniam jacula previsa minus feriunt conatusque hostium presciti et cogniti non ita graves, ut subiti et inopinati esse solent, pollicemur pro Nobis et successoribus nostris, quod quotiescunque presenserimus aliquas insidias parari ipsis dominis ducibus, vel eorum dominiis, opponemus nos pro posse nostro, ut eas ipsas insidias avertamus industria vel viribus nostris. Et nihilominus eosdem dominos duces quam primum poterimus, premonebimus, ut rebus suis tempori provideant sueque et dominiorum suorum indemnitati prospiciant.

Liberum autem esse debebit ipsis dominis ducibus predictis et eorum successoribus, ultra debitum confederationis, subsidium, toties quoties voluerint milites in regno et dominiis nostris ere ipsorum proprio ad eorum necessitatem conducere cum scientia tamen, prescripto et ordinatione nostra et successorum nostrorum.

Item providebimus et providere curabimus in confinibus regni et dominiorum nostrorum, ne fiant latrocinia, cedes, spolia, invasiones, excursiones et captivitates inter nostros et dictorum dominorum ducum subditos, pro commissis autem damnis, injuriis et excessibus judices nostros commissarios omni triennio ad oppidum nostrum Choynicze, ad diem S. Galli, a festo ipsius S. Galli proxime preterito inchoando et sic consequenter pro eodem die de triennio in triennium designabimus et mittemus. Ipsi etiam domini duces prefati eorumque successores suos judices commissarios illuc in Choynicze de triennio in triennium, uti premissum est, pro tempore supra expresso designabunt et mittent, qui simul cum nostris convenientes oppressis, injuriatis et damnificatis communibus subditis nostris cum plena potestate tam in criminalibus quam civilibus causis justitiam indilatam ministrabunt.

Ut

Ut autem subditi dictorum dnorum. ducum, quibus per subditos nostros facta fuerit injuria et damnum, expeditius justitiam debitam consequantur, mittent querelas contra ipsos subditos nostros ad prefectum stolpensem, qui illas ad Mgcum. palatinum Pomeranie modernum et pró tempore existentem mittere curabit ita, ut prius uno quartali anni, antequam ipsa conventio agetur, hujusmodi querele ad manus ipsius palatini perveniant. MDXXV.

Similiter etiam subditi nostri querelas suas contra subditos ipsorum dominorum ducum ad eundem palatinum Pomeranie pro tempore existentem mittent vel deferent, qui illas ad prefectum stolpensem uno quartali anni, antequam ipsa conventio choynicensis inchoabitur, perferri curabit.

Qui quidem palatinus Pomeranie modernus et pro tempore existens subditos nostros tam actores quam reos ad locum et diem conventionis predicte coram nostris et ipsorum dominorum ducum judicibus commissariis judicialiter comparere jubebit. Qui si fuerint rei et comparere noluerint vel temere neglexerint, nihilominus ipsi communes commissarii parti querenti justitiam de illis ministrabunt, secundum quod jus et equitas dictaverit, et similiter de actoribus non comparentibus facient.

Item observandum erit, si quis de terris nostris Polonie aut ex ducatu Pomeranie cum alterutris subditis in dicto choynicensi conventu actiones suas jure prosequi voluerit, is etiam querelas suas in manus capitanei Majoris Polonie generalis, qui fuerit pro tempore, tempestive mittere curabit. Et in omnibus supradicta forma ab utraque parte observanda erit.

Item providebimus, ut in manutenendis limitibus nostra et dictorum dnorum. ducum dominia concernentibus equitas observetur et quod nemo subditorum nostrorum aliquem subditum eorundem dominorum ducum de possessione vetusta et usu aliquorum bonorum vel aliquarum pertinentiarum in dominiis ipsorum dnorum. ducum existentium ejiciat, nisi autoritate illorum adhibita.

Volentes autem nos ex ea conjunctione et affinitate, que cum predictis dnis. ducibus nobis intercedit, commoditatibus non solum suarum Illrtum. verumetiam subditorum eorundem prospicere, concessimus et harum serie literarum concedimus successoresque nostri concedent et permittent vigore ordinationis statuti et federum cum eisdem dnis. ducibus initorum eam facultatem ipsorum subditis nostris mercari ac negotiationes exercere libere et secure sine quovis impedimento, quandocunque et quotiescunque illis expediens et conveniens visum fuerit, salvis tamen juribus regni et dominiorum nostrorum, prout illis hactenus fuit observatum.

Et quia pro colonis profugis inter subditos utriusque dominii differentia et controversia solet plerumque suboriri, constitutum est: ut ab hoc confederationis tempore quicunque profugus fuerit infra quinque annos a suo domino jure repetitus, eidem repetenti, in quantum jus sibi ad ipsum competierit, sine omni renitentia restituatur. Sed lapso quinquennio a tempore scientie, subditum suum repetens suo corporali juramento probare debebit. Possessor hujusmodi profugi prescriptione quinquennali repellet ab actione repetentem, nisi repetens juramento suo probaverit, se non permisisse a tempore scientie sue transire prescriptionem quinque annorum.

Reliquum est, quod transgressoribus et aliis quibuscunque quocunque facinore excessu sive

 comminationibus

MDXXV. comminationibus atque inimicitiarum denunciationibus aut alia quavis suspicione notatis salvum conductum non dabimus nec dari faciemus, nisi cautione prius ab eis aut aliquo eorum recepta de stando et parendo juri in eo loco, in quo in iis dominiis predictorum dnorum. ducum deliquerint, ubi hi ipsi dni. duces et eorum successores eisdem transgressoribus et aliis quibuscunque notatis ac suspectis ad eos vel ad eorum loca et dominia venturis de novo salvo conductu providebunt. Et si tales juri vel rei judicate parere et satisfacere noluerint, pro proscriptis apud nos et successores subditosque nostros haberi, censeri et reputari debebunt, nec amplius in regno et dominiis nostris foveri poterint ad illosque capiendos et debita animadversione puniendos auxilium et consilium ubilibet in regno et dominiis prestabimus et prestari faciemus nostrique successores prestabunt et prestari facient.

Quos quidem federis, conjunctionis et amicitie modos, conditiones et articulos suprascriptos, sicuti premissum est, conclusos et confectos pro communi bono et tranquillo et quieto statu regni subditorumque nostrorum et etiam dominiorum ac subditorum ipsorum dnorum. ducum predictorum stabilitos, Nos Sigismundus, rex Polonie et Mg. dux Lithuanie etc. pollicemur verbo nostro regio de consilio et assensu prelatorum et procerum consiliariorum nostrorum status utriusque in omnibus punctis firmiter tenere, implere et inviolabiliter observare successoresque nostri observabunt perpetuo et in evum. In cujus rei fidem et testimonium presentibus sigillum nostrum appendi fecimus. Actum et datum Piotrkovie in conventu generali die S. Prisce virginis.

XI. Joannes Zamboczki, Aulicus, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. mss. bibl. Korn. *Rme. dne., dne. gratiosissime etc. Amicus et vicinus meus, dnus. Radziminski, qui et honestum victum et facultates, imo et dignitatem una cum uxore perdidisse videtur, dignum patella operculum nactus est, me videlicet consultorem et intercessorem, quo patrocinante Rma. Dtione. vra. et ex regie Celsitudinis gratia et clementia oppiduli Czchow usum ad tempus vite sue obtinere posset. Venit ad me miser madidis pre fletu genis, deum hominumque fidem obtestans, orans, obsecrans, ut se et causam, imo vitam et dignitatem suam Rme. Dtioni. vre. commendarem. Ego tametsi propter feditatem egritudinis, qua laboro, ipse miseratione egeo, misertus sum tamen ejus, nec ei id denegare quibam, quod a me flagitabat, non sine tamen maximo pudore meo. Quis enim ego sum, qui Rmam. Dtionem. vram., presertim de tanta re et tam occupato tempore, interpellare audeam? Sed dedit mihi animum Rme. Dtionis vre. incredibilis virtus atque humanitas simul et casus amici, qui de summa rerum periclitari videtur; nam si sibi hoc frustum panis eripietur, non erit causa, cur deinceps vivere magnopere concupiscat. Proinde mihi e dignitate et conditione Rme. Dtionis. vre. videtur fore, ut hoc ignotum pelagus et insuetum apud nos iter (videlicet virorum fortium rationis habende) tandem prima ingrediatur et daret operam, ne hic miser tanto Dei munere (videlicet tantis corporis viribus,*

viribus, quantis nemo alter) insignitus stipem petere vel latrocinari ob inopiam cogatur, parva jactura erit sue Mti., eum hoc alimento donare. Breve admodum tempus vixit uxor neque hic Nestoris evum durabit, aut snapte brevi morietur, aut in acie contra hostes, qui nobis jamjam imminent, dimicans opprimetur. Tunc rursus usus fructus et dominium oppidi Czchow ad suam Mtem. et ad suos pleno jure revertetur, Rma. vero vra. Dtio. prima hoc decus et hanc palmam merebitur, quod valentium virorum habendam rationem prima censuerit. Ruitura enim sunt hec, nisi viris fulcientur. Ego me Rme. Dtioni. vre. humillime commendo oroque et obsecro, ut quemadmodum olim alias meas fatuitates summa sua probitate et mansuetudine toleravit, sic et modo me ineptientem sustineat diutissimeque valeat. Cracovie XX Januarii. MDXXV.

XII. Joannes Zamboczki, Aulicus, Petro Tomiczki, Epo. Vicecancellario.

Rme. dne., dne. gratiosissime. Post humilem constantemque vetuste et paratissime servitutis mee commendationem. Etsi nullum justum et tempori aptum argumentum ad Rmam. Dtionem. vram. scribendi mihi nunc se offerebat, inerti videlicet et inutili animali, quod in concha inclusum duntaxat torpet et putrescit, tamen cum tam certus et tam fidus nuncius presto aderat, nefas esse ducebam, si Rmam. Dtionem. vram., ipse salutis inops, literis meis non salutarem, et quem valens et vigens numinis loco suspiciebam et venerabar, ei, projectus et decumbens, saltem serviendi votum non denunciarem. Deveni diu vivens tandem fere eo, quo ne devenirem ab ineunte etate mihi semper metuebam, h. e ne impetiginosum mancipium vel edilicio edicto redhibear, vel ob aliud vicium corporis ab aula ejiciar. Sed cum me sors ad eos infelicitatis terminos redegerit, nil aliud ad id efficacius esse animadverto, quam si ipse antevertero, quod me alii docturi essent, videlicet patientiam in adversis et deo gratias habere ex omnibus. Itaque hoc ago ajoque: dnus. dedit, dnus abstulit etc. Cod. Ossolin.

Quibus generibus morborum affligar, queri et vociferari, minime duxi opere pretium. Quid juvat, molestum esse hominibus? Illud certum est, si mihi concederetur optio, me alium vite exitum, quam hunc, qui imminet, mihi sortitum fuisse. Nunc tacitus casum meum ingemisco mecum his verbis: fluvione (pudet) mars inclite merges hanc animam? Adeone occumbere ferro, non merui etc. Ego si tam demens essem, ut fatis obniti conarer, scirem denique, me invitum et nolentem pertrahi. Quare suapte sponte sequi et imperio parere malo. Vram. autem Rmam. Dtionem. in omnibus actionibus ejus et votis deus opt. max. fortunet eamque sancte et innocenter partis diu frui concedat et eam in longos annos servet. Ego illud oro et rogo, ut granum illud sinapis, quod jam plus uno anno, terre (quod meminit Rma. Dtio. vra.) commendavi, jam tandem si non in culmum crescat, saltem radicem extendere vel pullulare incipiat, priusquam e vita migrem. Rme. Dtioni. vre. me humillime commendo. Cracovie XXVIII Januarii.

 XIII.

XIII. Joannes Dantiscus, Orator, Sigismundo, Regi Polonie.

MDXXV. Cod. Korn.

Serma. regia Mtas. et dne., dne. clementissime. Post humillimam perpetue mee servitutis commendationem. Cum tandem per pestes, bella, estus et mille alias incommoditates ac per tot rerum discrimina XIXa Septembris ad aulam cesaris in Valleoleti, regni Castillie oppido, applicuissem, subinde per binas postas, que Romam et Flandriam mittebantur, ea omnia Mti. vre. Serme. descripsi, que mecum agebantur et in quibus eo tempore res nostra herebat. Paulo post, cum dnus. Doctor Bork advenisset, iterum ex Valleoleti XIIa Novembris versus Urbem longo quodam volumine, que tunc per nos acta erant, significavi, missis omnium scripturarum et decretationum exemplis, demum postquam dominus Doctor cum omnium rerum expeditione hinc absolutus, Neapolim proficisceretur, rursus ad longum de omnibus ad Mtem. vram. Sermam. dedi literas cum copiis duplicatis illarum, quas XIIa Novembris scripseram, additis iterum omnium rerum expeditarum copiis.

Discessit hinc dnus. Doctor XIXa Decembris recta versus Barsalonam, unde Narbonam per Gallias in Italiam propinquius et tutius iter capere decreverat, et cum jam post elapsum mensem illum Italiam fere attigisse crederem, venerunt mihi ab eo litere ex Perpiniano, que ditionis cesaree est, quibus mihi discrimen, in quo versatus est et fidem gallicam descripsit. Illarum presentibus mitto exemplum, quo Mtas. vra. Serma. omnia liquidius cognoscat. Non potui non vehementer turbari, cum de casu tam periculoso istius boni viri, rerum Mtis. vre. studiosissimi, tumque istiusmodi impedimentis negotium in moram trahi longiorem, quam rebar, cognoscerem. Proinde licet quam primum ille hinc solvisset, non destiti pro literis duplicatis apud Mtem. cesaream et officiales in omnem eventum sollicitare, tamen in presentia, cum id necessitas exigit, vehementius incumbo, et jam litere scripte sunt; nihil aliud moratur, nisi egritudo cesaris, que illius Mtem. ad scribendum facit difficilem, spero nihilominus, quod illas cum primis postis ad Urbem, que brevi hinc expedientur, unde Neapolim commode perferri possunt, transmittam.

Scribi nequit, quantum me iste more discruciant; incidimus in pessima tempora, neque mari neque terra securus haberi potest transitus, sic omnia his bellis sunt perplexa, neque commeatus neque salvi conductus aliquid possunt, qui, ut certo hic intellexi, non solum dno. Doctori, verum etiam plerisque aliis sunt infracti, quo fit, quod mihi male metuo, cum erit redeundum, ne mecum etiam ita agatur. Rogo itaque humillime: Mtas. vra. Serma. dignetur cum primis huc literas suas ad regem Christianissimum scriptas, quibus ab illius Mte. salvum conductum impetrare possim, mittere, quas, cum revocatus fuero, efficiam per mercatores Welzeros, ut illius Mti. ad manus veniant, unde salvum conductum consequi possem. Et cum sint pro mittendis hinc inde literis periculosa tempora et quod sepius intercipiantur, ne quidquam omisisse videar, quo Mtas. vra. Serma. rerum omnium cognitionem, de quibus illam scire expedit, cum primis habeat, omnes onero postas, que ad meam notitiam perveniunt, neque hoc impensis caret, et semper novissimarum exempla mitto, quod hic etiam facio. Ex his latius omnia intelliget, que hic acta sunt.

Mitto

Mitto etiam investiture*) et omnium aliarum scripturarum copias. Hoc tempore aliud expedire nequivimus. Jus tertii reservatum est, de quo omnino ducem Mediolani acturum ferunt, presertim in hac ultima desperatione, que eum in presens agitat, sed optima me habet spes, cum adeo sit extenuatus ereque exutus, ut egre se Cremone captivus fere contineat, quod Neapoli, ubi venalia sunt omnia, parum proficiet. Auro igitur agendum erit. MDXXV.

Quomodo ego hic maneo ex literis meis aliis Mtas. vra. Serma. intellexerit. Certe nihil mihi unquam fuit durius, quam sic pendere animi, licet videam adhuc non fuisse inutile, quod hic sim, spero enim, quod investitura cum aliis literis per modum duplicatarum citius quam dnus. Doctor Bork Neapolim perveniet, et quamvis non sit incommodum imo necessarium, quod aliquis hoc tempore nomine Mtis. vre. hic agat, ob multas causas, tamen in animo nunquam sum tranquillus, quod sine mandato et commissione Mtis. vre. Serme. hic remansi, a domino Doctore partim, partim a me ipso, cum negotia id expostulare viderentur, persuasus. Quapropter iterum atque iterum, quantum totis viribus eniti possum, humillime supplico Mti. vre. Serme.: dignetur hanc unam mihi facere gratiam pro omnibus meis servitiis et me, quantum fieri potest, citius, de mente et voluntate sua reddere certiorem. Quod si in hac mansione deliqui, cum temere nihil fecerim, ad misericordiam et clementiam Mtis. vre. Serme. confugiam. Si vero ex sententia Mtis. vre. factum est, sublimi feriam vertice sidera et tanto alacrius, omnibus rebus meis omissis, quam diu Mti. vre. Serme. ex re visum fuerit, hic serviam, nihilque mihi tediosum vel durum erit futurum, etiam si vita sit ponenda, quod placitum est Mti. vre. Serme. et quod per me fieri volet, modo quid me facere oporteat sciam, et si quid erit hic agendum, quod moram ferre nequeat, queso in mittendis literis melior servetur ordo, sicut ex copiis novissimarum mearum his annexis videbitur. Ex iis etiam, quo in statu erant res hujus curie, cum illas scriberem, intelliget. Multa interim sunt inversa, que, quantum temporis angustia admittit, in compendium conferam.

Post abitionem domini Doctoris scribebantur huc varia nova, quomodo Gallorum exercitus ex obsidione Ticini h. e Paphie fuerat repressus, multis ibidem occisis et plerisque de primoribus viris desideratis, et quod retrocessisset usque ad Asti, Sabaudie oppidum. Dicebantur etiam multa alia gloriosa, ut fortassis cesari egro aliquod levamen fieret, sed paulo post longe ab his diversa nunciabantur: regem Gallie mille equites gravis armature et XIV milia peditum ad dominium pontificis et regnum Neapolitanum occupandum misisse. Que novitas, cum per oratorem florentinum cesari legeretur — eram eo tempore illic cum oratore Anglo ad missam — non parum illius animum perculit, quod vultus expresserat, adhuc tamen spes erat in statibus Italie, presertim in pontifice, qui parvum post tempus penitus illam destituit, missis huc binis litteris, que brevia vocantur, et inito cum Gallorum rege certo federe, priore cum cesare facto omisso. Quam sententiam hec brevia ferebant et quid Mtas. cesarea ad eas responderit, ex carta his inclusa, que habet de verbo ad verbum exemplum literarum cesaris ad pontificem, cognoscetur. Talis est scilicet temporum

*) Vide supra sub anno MDXXIV. pag. 140.

nostrorum

MDXXV. nostrorum egregia fides, et talia religio nostra habet capita, et adhuc miramur, quod tot plagis orbis christianus afficitur.

De rege Anglie et quibusdam germanis principibus etiam ambigitur. Mittitur itaque ad illum orator, ut aperte mentem suam, quid in hac tragedia agere decreverit, declaret, item alius ad Germaniam, qui etiam ad Mtem. vram. Sermam., ut intellexi, cum vellere aureo et cum quibusdam mandatis pro extorri Dacie rege et fortassis pro magistro, quod tamen non credo, venturus est. Magister enim Prussie, tum quod Luteranus est, tum quod aperte cum Gallorum rege sentiat, male hic auditur. Nuncius illius, de quo in novissimis scripsi, nihil cum huc venisset exponere voluit, sed recta ad dominum marchionem Joannem brandeburgensem Valentiam divertit et nuper cum eo hic rediit, unde me protinus ad dominum Magnum cancellarium contuli exposuique illi, volens expiscari, quid ab his moliretur, quippe cum hic nomine Serme. Mtis. vre. agerem, non fore inconveniens, me dare operam, ut rescirem, si quid ab hostibus, quod regis honori et bone existimationi Serme. Mtis. vre. esset contrarium apud Mtem. cesaream de causa, sic ut se veritas habet, informare possem. Dominus cancellarius respondit: quod nihil istiusmodi intellexisset, saltem quod magister in Spirensi conventu a suis fuisset revocatus et quod hic propter Luterum et Gallos non haberet gratiam, si tamen tale aliquid ad Mtem. cesaream perveniret, me illico certiorem redditurum. Dixit etiam, nuncios Mosci esse in itinere ad Hispaniam de pace cum Mte. vra. tractaturos per cesaris medium. De his etiam, ut prius scripsi, fortassis expediret, ut scirem, quid Mtas. vra. Serma. me velit hic facere. Nuncii regis Dacie exulis, qui huc pariter cum hoc magistri applicuerunt, ab eo et marchione Joanne male sibi timent, ne rebus illorum officiant. Amor iste quondam inter istum regem et principem in amarum conversus est odium. Iste bonus rex querit omnes modos, quibus restitui posset, sed ab arido pumice aquam postulat. Misit huc libellum et illius auctorem, quo se a criminibus illi ab electo rege novo et a Lubecensibus, preterea a Danis et Suetis objectis, expurgare nititur. Quem ego hic a capite usque ad calcem perlegi. Quod si consequi poterit, aliorum sit judicium.

Nova alia in presens non habentur, quam quod Mtas. vra. Serma. ex literis cesaris ad pontificem intelliget. Fertur tamen adhuc cesar in Italia non contemnendum habere exercitum in Paphia, Cremona et circum, numero, ut ajunt, XXX milium, qui parati sunt cum Gallis confligere, modo daretur copia, et quod Veneti adhuc cum cesare in fide maneant. Orator illorum pro magnis pecuniis vult deponere, quod a federibus non recedent. Dicunt etiam de quibusdam Germanorum copiis, quas Ferdinandus, archidux, mittit. Conscribunt hic etiam milites, quos classe, que ad Indiam erat instructa, in Apuliam cesar transjicere decrevit. Sunt etiam alie cesariane gentes in finibus circa Perpinianum. Pecunie item, ut solet in extrema necessitate fieri, modis omnibus et vix ante auditis, conquiruntur, et credo, quod haberi possunt, sed mora mihi suspecta est. Ego hanc aulam adeo extenuatam, ut nunc est, nunquam vidi; quicquid pecuniarum acquiritur, exercitibus mittitur. Penuriam interdum cesar usque ad commoditatem suffert, modo bellice gentes alantur; in illas omne, quod haberi potest, congeritur. Mtas. cesarea adhuc ista, quam jam satis longo tempore patitur, quartana vexatur, paulo ante dupplicatam se fecit, h. e duobus diebus

diebus cruciabatur et duobus aliis remittebatur. Hoc tempore in priorem punctum rediit; nulla tamen subest suspicio majoris periculi. MDXXV.

Soror ejus, desponsata regi Portugalie, illac nuper est missa, alia, que vidua est, hic agit.

Cum nuper essem, ut supra descripsi, apud dominum Magnum cancellarium et dicebam: me ad Mtem. vram. Sermam. scripturum, rogavit me, ut illum plurimum Mti. vre. commendarem, exosculaturque more hispano manus Mtis. vre. Serme. et pollicetur se illius bonum servitorem. Magna me humanitate prosequitur, de rebus secretioribus etiam interdum mecum occlusus conferre solet. Hinc est, quod mihi dedit copias has ad pontificem insertas, et spero, cum jam res ducis Francisci Mediolani penitus inclinatas videt, quod partibus nostris sincerius favebit.

De exitu hinc nostro paulo ante in consilio erat conclusum, quod in fine mensis preteriti cesar versus Hispalim, quam Siviliam vocant, se conferre debuit, ob aëris commoditatem; et cum hec pontificis defectio fuit intellecta, mutata est sententia. Ex eventu hujus belli sedes mutabimus. Speratur enim hic certo et brevi inter Gallos et Cesarianos futurus conflictus. Ego adhuc finem non video.

Alia hoc tempore scientia Mtis. vre. Serme. digna se non offerunt; si quid novi emerget, per omnem opportunitatem opera a me dabitur, quod cum primis in notitiam Mtis. vre. Serme. perveniat, unum hoc solum rogo, hoc unum deprecor et per deum immortalem Mtem. vram. Sermam. obtestor, ut me de mente sua super hac mora, quam hic facio, quantum potest fieri citius certiorem reddat. Jam sex menses preterierunt, quod nullas accepi literas; in qua animi versor inquietudine, Deo notum est, qui Mti. vre. Serme. diu incolumem et felicem etatem atque contra omnes suos hostes victoriam concedat, meque hic mori non permittat, donec more hispano coram manus vre. Serme. Mtis. exosculer. Cui me et longam meam servitutem suppliciter commendo. Ex Madrilis, oppido regni Toleti Hispanie, VII. Februarii.

Cum jam istas concludere volui literas, venit mihi in mentem, ut absolutionem hinc dni. Doctoris Bork Mti. vre. S. describerem, quod supervacaneum non censui futurum. Habitis jam omnibus literis a cesare subscriptis et sigillatis et tota negotiorum expositione, venimus ad cesarem, qui quoniam Mg. cancellarius non aderat, significavit nobis, si eum alloqui vellemus, ut hoc sermone italo fieret. Itaque cum post missam, que illic habebatur, Mtem. illius accederemus, grato nos vultu admisit. Exorsus est dnus. Doctor lingua itala, quam apprime novit, et habuit inprimis Mti. illius gratias pro tam justa et benigna expeditione, offerens se quam primum ad Mtem. vram. S. pervenerit, ea omnia ex ordine relaturum, etiam addens in fine rogando, ne illius Mtas. delatoribus unquam crederet, qui mutuo fraterno amori inter vram. et illius Mtem. invidentes, turbare eum fortassis niterentur, certum habitura, Mtem. vram. S. tam constantis et perfecti principem animi esse, qui non tam facile ut plerique a concepta semel amicitia deflecteretur, et si quid istiusmodi illius Mti. deferretur, me qui hic S. Mtis. vre. nomine remanerem, certiorem redderet, unde et respondere et id Mti. vre. describere possem. Mtas cesarea alacri vultu statim subintulit: quod hoc tempore alia non potuit fieri expedito, boni igitur consulere deberemus; se tamen semper, quantum illi conveniret, libenter Mti. vre. gratificaturam, et licet quedam

MDXXV. quedam et dicta et scripta fuissent, illius Mti. tamen se fidem non adhibuisse, nunquam se etiam ansam daturam, qua conceptus iste mutuus amor corrumpi possit, Mtemque. vram. sedulo pro bono fratre et loco patris se habituram, neque sibi aliter unquam de illa persuasisse et si quicquam contrarium sibi exponeretur, me hic in aula illico certiorem facturum. Deinde et ego germanice in priorem fere sententiam pauca in compendio retuli et in fine rogavi, cum mihi in illius aula esset immorandum, me solita sua gratia prosequeretur. Quod se facere libenter pollicebatur, germanice addens: „So viel mir möglich." Sic demum dnus. Doctor manus illius Mtis. exosculari patrio more voluit, ad quod nequaquam consensit, sed data illi manu, ut apud nos usu receptum est, benigniter et donatum a se dimisit. Hec igitur ad longum Mti. vre. S. descripsi, ut inde quis illius Mtis. erga Mtem. vram. S. sit animus, liquidius cognoscatur, et ne promissa nostra, quod nunquam est futurum, alios haberent eventus, sicut hoc Mtas. vra. S. pro incomparabili sua prudentia bene moderabitur. Alia ex Rmo. dno. meo. cracoviensi epo. Mtas. vra. S. intelliget.

Hec cum scripissem venerunt ad diversorium meum, missi ad me a Mte. cesarea, Rdi. dni. Baltazar, prepositus de Feltkirchen et Dr. Wolfgang Brantner, ordinis Scti. Georgii coadiutor, consiliarii et secretarii cesaree Mtis., exposueruntque mihi illius Mtis. nomine, quomodo nuper ex conventu Nurinbergensi imperiali Mti. cesaree ab omnibus principibus et statibus ibidem constitutis, scriptum fuisset, illius Mtem. rogando et hortando, ut bello, quod inter Mtem. vram. Sermam. et Illrem. dnum. magistrum Prussie fuit et per quadriennales inducias interceptum esset, tandem finem imponeret; unde cum Mtas. cesarea secum reputaret, quam hoc bellum reipublice christiane hoc presertim tempore perniciosum foret, si iterum recrudesceret et quod inducie ac compromissum desuper factum, pro futuro Aprili expirarent, cure haberet summopere, ne deterius quicquam ad utramque partem inde oriri possit, ut bonis mediis componeretur. Dedisset itaque magnam operam superioribus annis et per oratores et per literas suas ad arbitros, ut negotium hoc aggrederentur, et paulo ante etiam dnus. Joannes Hannard in Germaniam missus, inter alia hoc etiam in mandatis habuisset; quid vero ea in re egisset, illis esse adhuc incognitum. Et ne quicquam illius Mtas. pretermisisse videretur, cum ego hic nomine Mtis. vre. S. agerem, esset item alius etiam hic ab Illmo. dno. magistro: sua cesarea Mtas. tentare vellet, si per nos hic aliquid, quod his rebus expediret, efficere posset vel saltem consilium capere, quo casu istiusmodi belli componi, aut longiores inducie fieri possent, quibus stantibus, accuratius quam hactenus de certa pace tractaretur, facturusque essem rem gratam sue Mti. cesaree, si illi desuper sententiam meam exponerem. Summa hec fuit totius orationis, quam cum recte, ut mihi videor, intellexissem, nullam scilicet fuisse aliam causam, cur ad me esset missum, quam ut expiscaretur, si quid hac in re a Mte. vra. Serma. summopere averet in hoc negotio cesaris auxilium. Respondi: quod inprimis Mti. cesaree haberem gratias immensas nomine Mtis. vre. Serme. pro ea sollicitudine, quam gerit in rempublicam christianam partium nostrarum, quam libenter bene compositam et pacatam videret; verumque esset, inter alia bella, quibus nunc orbis christianus est perplexus, hoc bellum Prussie etiam foret non minimum, si recrudesceret, utpote quod illic ageretur, ubi respublica christiana armis

armis plus quam usque alibi ab infidelibus infestaretur, Mtas. vra. S., cum jam pene victoriam omnem in manus habuit, arma deposuerit et ad ces. Mtis. postulationem in certos arbitros admissis quadriennalibus induciis compromiserit, futurum sperans (quod longe secus evenit) interea promissam pacem fieri neque quominus hec conficeretur per Mtem. vram. S. stetit, essetque adhuc in Mtis. cesaree et illius officialium recenti memoria, quod ante duos annos me hac de re Mtas. vra. S. huc in Hispaniam missum agere et ut ejusmodi compromissum procederet apud Mtem. cesarem sollicitare jussisset, preterea ad omnes alios arbitros, hoc idem procurans, misisset. Quo vero factum est, quod in hac causa tanto tempore nihil sit tractatum, esset luce meridiano clarius. Proinde, quod se iterum Mtas. ces. iis negotiis interponeret, illius Mtis. prudentiam impense laudarem, prospiceret enim, si cicatrix hec refricaretur, quid morbi pretenderet. Mihi autem ea de re a Mte. vra. Sma. nullum adhuc esse mandatum, consilium autem, quod per eos Mtas. ces. a me postularet, pro rudi meo intellectu convenientius esse non posse, quam ut hanc piam ces. Mtis. sententiam Mti. vre. S. describerem, quod me diligenter facturum pollicebar. Hoc responso contenti et laudato, quod ea Mti. vre. Serme. deferenda censui, Mti. cesaree se id delaturos, sperantes hoc illi non ingratum fore dixerunt, seque recta ad magistri nuncium ituros, idem cum eo acturi, vellentque de illius mente edocti me rursus reddere certiorem. Inde, ut mihi certe persuasi, a dno. Joanne, marchione brandeburgense, hoc habentes, ceperunt dnum. magistrum excusare, quod non illius culpa negotium compromissi tamdiu intactum fuisset, sed quod morte quorundam arbitrorum id accidisset, unde me continere non potui et retuli illis, quid dnus. magister per suum nuncium Joannem de Schonberg, stantibus induciis, apud cesarem in Brabantia usque in Angliam et quid per sex menses apud illum regem etiam egisset et quod ipsemet quecunque contra inducias fecerat, sine pudore coram omnibus passim in Mtem. vram. retorsit. Indulgendum esse illius etati per Mtem. vram. prudentia et annis maturiorem, ajebant, et quod postea futurus sit cautior. Omnia hec per dominum marchionem hic aguntur, licet, ut supra descripsi, magister hic propter etc. male audiatur. Mtas. vra., que prudentissima est, quorsum hec tendant intelligit et que ex re sua erunt, providebit. MDXXV.

Serme. rex. Peto mihi a Mte. vra. S. dari veniam, quod sic incomposite et tumultuarie has conscripsi, cum enim admodum, ut mihi adferuntur, negotia annoto; paulo ante accepi, quis iste erit orator, qui cum caduceatore solemniter ad Mtem. vram. S. cum vellere aureo ac aliis rebus mittetur. Est unus ex iis, qui in causa magistri Prussie apud me erat, D. Wolfgangus Brantner, legum Doctor, ordinis S. Georgii, quem Maximilianus, cesar, cui deus opt. max. eternam det beatitudinem, in Austria instituit, coadjutor erat is apud illius Mtem., preclarissime memorie, secretarius precipuus, et nunc hic cum dno. preposito, supra descripto, omnes imperii res in consilio dirigit; juvenis profecto preter bonas literas, quibus affatim abundat, virtuosus, sincerus, apertus ac singulari humanitate rerumque gerendarum peritia preditus. Est mihi antiqua et multa cum eo familiaritas et consuetudo, et quam diu hic fui, non vulgare studiorum commercium. De exitu tamen illius adhuc certo nescitur, ipse etiam tam longinquum iter ingredi non vult sine sufficienti viatico. Si veniet, onustus erit ut reor, plurimis negotiis neque ingratus se ad Mtem. vram. S. conferet. Ex

 eo

MDXXV. eo intellexi, cum hodie mecum pranderet, quod heri, que fuit mala, ut hic vocant, dies cesaris, illius Mtem. febris omnino deseruisset, habeturque spes, quod ex ea egritudine jam penitus sit liberata. Unde cras ad congratulandum illius Mti. in aulam sum iturus et nisi me hec scriptio et poste hujus expeditio retinuisset, hodie hoc confecissem, sic ipse dnus. doctor, ut facerem hoc, apud me instabat, ob nullam fortassis aliam causam, ut suspicor, quam quod libenter videret, quod cum dno. marchione brandeburgense illic convenirem, vel quod forsan Mtas. cesarea de illius ad Mtem. vram. S. profectione mecum loqui decreverit. Quodcunque erit, brevi experiar. De vellere hoc aureo, quod ferri debet ad Mtem. vram. S., certo mihi credat, quod quemadmodum nihil de illo in commissis habeo, sic etiam ne verbum quidem feci, Magnus tamen cancellarius, ut ex Valle oleti XII[a] Novembris scripsi, ultro de eo mecum sermonem habuit, quod dno. Joanni Hannard velleris hec oblatio ad Mtem. vram. fuisset commissa, et quum hoc non fecisset, Mti. cesaree non parum displicuisse, neque in presentia illius missio preteriisset, ni ab hoc dno. doctore fuissem factus certior. Hec igitur scribo, ne viderer preter mandatum Mtis. vre. S. hic sollicitasse, ex quo ne latum unguem quidem velim egredi. Sunt jam fere sex anni, quod Mtas. vra. Sma. Barchinone in hunc fuit ordinem adscripta; ceteris electis, ut Sermo. regi Ungarie et Dacie, nunc extorri, dudum ordo iste est allatus, cur tam diu dilatio hec cum Mte. vra. Serma. est facta, non caret mysterio.

Res pruthene, quomodo hic tractantur, procul dubio Mtas. vra. Serma. satis intelligit. Nisi huc nuncius magistri ad marchionem brandeburgensem venisset, status imperii ex conventu Nurenbergense vix Mtem. cesaream, ut se his rebus interponeret, movissent. Itaque ad instantiam magistri magis, quam istorum statuum ulteriores petuntur inducie, que cum expirabunt priusquam hec mea scripta, ut reor, ad Mtem. vram. Sermam. perferentur, serio magis res agenda esset, ut hoc quod reliquum est hostibus quantocius occuparetur. Jus omne hac tempestate in armis est et quemadmodum fieri videmus fere ab omnibus aliis, presertim a primis orbis nostri gubernatoribus, quod is qui potior armis est, jure potior etiam esse dicatur, nihil commoditatis esset omittendum, ut id haberi possit, unde mala tot tanto tempore manarunt. Semper postea de jure facilius responderi possit, certo credo. Si cesar vel rex Gallie jure vel injuria orbem omnem sub ditiones suas cogere possent, facerent et juris peritis disputationes relinquerent. Nihil tam interest, ut Cicero pro Publio Sextio inquit, quam jus et vis, et ubi vim volumus, extingui jus necesse est. Cum itaque vis nunc ubique dominetur, cur nos nisi jure expostulare cum hostibus volumus? Si illi eam haberent potentiam, quam velint, dudum de jure actum esset. Hec non ideo scribo, ut meam sententiam, que pro rudi meo ingenio nulla est, dicerem, sed ut hominum istius evi mores et ea, que hoc tempore usu recepta sunt, accuratius animadverterentur. Est olitor etiam sepe opportuna loquutus. Venerunt huc iterum, cum ista scriberem, ex Lugduno nova, quod Turcorum imperator esset mortuus. Si deterior non deberet succedere, utinam se res sic haberet; sunt tamen hic, qui hoc a Gallis fictum dicant, ut de Turcis cura non habeatur, et ipsi interea votis suis potirentur. Dicebatur etiam paulo ante, quod magis credo, Turcam ipsum peritissimum nauarcham suam cum quadam classe parva ad metienda littora, portus et stationes navium commodas circum Apuliam et Siciliam misisse. Quid hoc

hoc sibi velit, facilis est conjectura. Dii faxint, ut nos aliquando ab illis modis etiam quibuscunque pacem habere possimus et quod huc ad has regiones cum viribus suis diverteret, pacem inter istos principes facturus, aliud enim non video remedium. Hic pro novo bello, vel potius hoc antiquo restaurando, ut prius scripsi, miris modis pecunie queruntur habiturusque est cesar denuo judicium cum iis, qui cum communitate superioribus annis in eum conspirarunt, licet omne illis delictum per illius commissarios fuerat remissum, cogereturque non parva, ut multi autumant, pecunie summa, si eo modo cum his procederetur, ut est conceptum. Habet etiam cesar multos adhuc vacantes episcopatus, et ut proventibus illorum uti posset, quos se in mutuum, necessitate id exigente, percipere asserit, neminem adhuc, licet multi ambiant, illis preficere curat, estimoque, postquam nunc cum pontifice dissentit, alia illum tentaturum. Hec sunt, que in presens hic habentur. MDXXV.

Ego hic conficior tedio vitam etiam interdum pertesus in tam longa literarum Serme. Mtis. vre. expectatione. Ab ęo tempore, quo dnus. Dr. Bork exivit Cracoviam a IX[a] die Augusti hucusque, quod facit sex menses, nullas accepi. Supplico itaque quemadmodum sepius Mti. vre. S., ut me in omnibus de mente et voluntate sua edoceat cum primis et quid mihi ulterius faciendum, et si necesse erit, quomodo hic agendum perscribat. Tam commode huc semper litere mitti possunt quam commode hinc scribi; ex Wratislavia enim quolibet mense a mercatoribus posta in Antverpiam mittitur, unde huc rursus facile perferuntur, que illuc perveniunt. Sunt etiam alii modi per. Sermum archiducem Austrie, item per Urbem versus Neapolim, unde huc poste semper solvunt. Que omnia una mecum clementie atque incomparabili prudentie Serme. Mtis. vre. commendo. Datum ut supra.

XIV. Joannes Dantiscus, Orator, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater etc. Scripsi jam aliquoties non literas, sed volumina, ex quibus Dtio. vra. Rma. abunde, ut reor, intellexit, que per me et dnum. D. Bork hic sunt acta, et ne quicquam Dtionem. vram. Rmam. pretereat, adjunxi iis exemplum literarum mearum, quas hinc cum dno. Doctore dedi. E quibus, quantum supra expensas exposuerim, cognoscet. Interea etiam non parum est impensum necessarium sic quod mihi amplius non restat, quam usque ad mensem Majum, quo hic vivere possim, si interim mei ratio non habebitur. Utcumque, omnibus divenditis, erit redeundem. Jam sex menses preteriere, quod neque ex Polonia neque ex Neapoli a dno. Ludovico ullas accepi literas, sic ab omnibus mihi hic desertus videor et non parum animo discrucior, quod canities mea, que totum obsedit verticem, aliquando testabitur. Rogo Dtionem. vram. Rmam. non egre ferat, quod illi semper conqueror, ad quem alium confugiam, habeo neminem. Ego illud profecto nunc verum esse cognosco, quod homo homini lupus et homo homini deus est. Cod. Korn.

Que hic agantur et quis istius sit status curie, litere mee ad Mtem. regiam date declarant, ... (Hic est nuda paupertas) N eget et debet plus quam octo milia ducatorum, no-

 luit

MDXXV. luit tamen....... (accipere quingentos ducatos) ille in fine discessus dni. doctoris datos sex milia habuit... (pontifice) que nunc evanuerunt et nos illum putabamus suprascriptis .... (corrumpi) credo tamen.......... (mutari sententiam illius brevi. Officium suum cancellariatus, quod habuit Neapoli, libenter venderet). Hinc est quod....... (Gallus timetur) et fortassis sibi....... (diffidunt). Non tamen adhuc accelerandum censeo.......... (hic adhuc sunt vires in medio), vitandum igitur ne vel........ (hunc vel illum offendamus). Sat sapienti etc. Orator iste, quem hic cesar ad Mtem. regiam mittet, de quo scripsi, est....... (filius Maximiliani cesaris defuncti), quod....... (in facie demonstrabit). Juvenis certe bonus portabit vellus aureum et tractaturus est matrimonium nomine cesaris inter reginulam nostram et ducis Friderici Saxonie filium, daturusque est cesar dotem, ut ipse orator mihi retulit, ducentena milia ducatorum. Cur hoc fieri debet, mysterium adhuc non intelligo, suspicior tamen aliquid. Dedi his diebus magnam operam usque ad hanc horam, quod domino Ludovico Neapoli duplicatas et conformes illis, quas dominus Doctor Bork secum tulit, mitterem, quod nequaquam efficere potui, suntque ille litere apud cesarem et hac nocte debent ab eo subscribi. Quantum laboris impendi et frustra, mihi notum est. Cras illas fortassis habebo et hac nocte hora XIIª posta discedet. Dicitur tamen, quod alia brevi sequetur, cum qua illas in omnem eventum mittam. Ibit etiam alia brevi per Flandriam, quam etiam non dimittam vacuam, ut saltem aliquando responsum tot meis scriptionibus impetrare possim, pro quo Dtioni. vre. Rme. humiliter supplico, misereaturque mei et me in hoc exilio tam longinquo consoletur. Cum primis literis, quas a Dtione. vra. Rma. accipiam et a corporis atque ab omni animi egritudine liberabor, presertim si redeundum erit. Ducetur per me Dtioni. vre. Rme. equus, Jenit, de illis de quibus Plinius scribit, qui hic per ventum accepti generantur. Alia non restant. Commendo me humiliter Dtioni. vre. Rme. ut dno. meo clementissimo. Quam deus opt. max. felicem et diu incolumem conservet. Datum celeriter ex Madrilis, oppido regni Toleti, VII Februarii.

XV. Contributio generalis in Comitiis decreta in Conventu Piotrkoviensi.

Sigismundus, Rex Polonie etc.

Cod. Korn. Universis et singulis, ecclesiasticis et secularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris quibuscunque tam terrestribus quam civitatum et oppidorum, honoribus et officiis insignitis, ad quorum notitiam presentes litere nostre pervenerint et presertim in palatinatu N. et districtu N. consistentibus sincere nobis et fidelibus dilectis. Salutem et gratiam nostram regiam.

Rmi. ac Rdi. in Christo patres, nec non Mgci. Generosi, Nobiles, famati ac providi, sincere nobis dilecti. Quia compertum habentes Turcos et Tartaros se ad vastandum regnum et dominia nostra magno conatu accingere et preterea considerantes, inducias cum magistro Prussie et ejus ordine brevi expirare volentesque tempestive iisdem gravissimis difficultatibus

tibus

tibus et periculis Reipublice providere, statueramus conventum generalem Piotrkovie ad f. divi Thome, apostoli, quem commodum transegimus, in quo metientes cum consiliariis nostris et terrarum nunciis, quam damnosa sit, quamque non expedita ad inopinatos hostium insultus generalis regni motio, presidia vero levia nullius esse usus ad hostilem magnitudinem reprimendam, prout eventus anni preteriti abunde declaravit. Proindeque volentes de firmioribus solito aliquibus presidiis confinium consulere, que absque presenti pecunia constare nequeunt, ut, quoad fieri possit, vitaremus communem motionem, omnibus subditis nostris gravem et damnosam, ad eas contributiones communi omnium tam consiliariorum nostrorum quam etiam nunciorum terrestrium consilio et assensu convenimus et illas ita moderati sumus, ut tametsi onus servitii bellici, quo regnum defenditur, solis terrigenis de jure incumbat, quia tamen magnitudo hostium vires illorum superare videtur, omnes status ac ordines pariter contingat, ad quas omnes sponte et amore Reipublice libere consenserunt. Que quidem contributiones modo infrascripto solvi et exigi debent. MDXXV.

In primis ex XXX mansis seu laneis agrorum contribuentur XVIII floreni in moneta per XXX grossos computati secundum antiquas quitantias, quos solvet dnus. hereditarius tam spiritualis quam secularis et colonus, solvendo videlicet de laneo quolibet XVIII grossos, quorum medietatem h. e IX grossos solvet dnus. et possessor ville, alteram vero medietatem h. e alios novem grossos ipse colonus ad duas temporis ratas infrascriptas h. e XII grossos pro dominica Judica proxima, ita quod omnes solvant et contribuant incipiendo a dominica Judica usque ad festum Pasche sub pena dupli. Que pena exigi debet ab omnibus negligentibus aut solvere non curantibus mox post festum Pasche. Sex vero grossos reliquos pro festo nativitatis Marie. Ea autem solutio a nobis ac primis statibus et ordinibus regni et secularibus et spiritualibus fieri et incipi debet.

In quibus autem villis obligati sunt census perpetui seu in vim reemptionis, alias na Widerkoff, is qui percipit ejusmodi censum sive spiritualis sive seccularis, solvet á qualibet marca ejusdem census sex grossos, quos illi dominus et possessor ville defalcabit, quando ei censum debitum solvet et ipse solus, ne defensio Reipublice negligatur, solvet, ut supra dictum est, cum suo colono de quolibet laneo secundum antiquas quitantias decem octo grossos.

Item dni. spirituales et seculares habentes census nudos, qui non includuntur in proprietate laneorum, ut ex censibus quibuscunque annuis civitatum et oppidorum, ex theloneis, zuppis, exactione poradlne, pontalibus, aggeralibus, navigiis albatoriis, que vulgo blechy vocantur, molendinis pecuniariis, que non solvunt mensuras in grano, sed census annuos in numerata pecunia, pendunt ex officinis minerariis et similiter ex officinis vitreariis, que Huthy vocantur, alias ex censu illarum, qui domino solvitur.

Item ex villis desertis seu etiam non desertis, quarum agri sub certa pensione annua locantur seu arendantur et aliis id genus proventibus pecuniariis dabunt et solvent ab octoginta marcis ejusmodi censuum et proventuum XVIII flor. in moneta per XXX gr. computatos, et qui non habuerint integras octoginta marcas ex hujusmodi censu pecuniario, solvent juxta quantitatem summe justam partem XVIII florenorum h. e a qualibet marca usuali VI gr. cum medio et IV denarios cum medio. Medietas autem a predictis censibus nudis solvi debent pro dominica Judica proxima, alia medietas pro festo nativitatis beate virginis.

Item

MDXXV. Item domini spirituales et seculares ac etiam advocati, qui habent census pecuniarios nudos ex domibus, que sunt in civitatibus sub locatione seu arenda, ex balneis, ex opificibus picis et cinerum, tabernis, cerdonibus, pistoribus, mercatoribus, laniis seu carnificibus, institis, sutoribus, alias ex omnibus proventibus pecuniariis, qui aliunde quam ex laneis illis obveniunt, solvent similiter ab octoginta marcis pecuniarum XVIII flor. in moneta ad ratas temporum suprascriptas h. e medietatem pro dominica Judica proxima aliam medietatem pro festo nativitatis beate virginis Marie.

Palatini, Castellani, dignitarii, succamerarii, burgrabii, castrorum tribuni et alii omnes officiales proventus pecuniarios quoscunque et qualescunque in zuppis, theloneis vel alibi habentes, solvent etiam ab octoginta marcis pecuniarum XVIII flor. in moneta ad ratas temporis supradictas.

Item venatores, custodes equirearum nostrarum regiarum et servi dominorum, possessiones et proventus aliquos habentes et neque civilem neque aliam quamcunque contributionem solventes, solvent de quolibet laneo duodecim gr., qui vero non habent integros laneos, secundum quantitatem lanei contribuent de medio videlicet laneo VI gr. de quarta parte lanei III gr.

Item ville nostre regie et dominorum secularium, castris servientes et censum non solventes, solvent vigore presentis constitutionis de quolibet laneo IX gr. non obstante ea, quod antea publicas contributiones solvere non solebant.

Item burgrabii terrestres et exactores, qui ex quodam abusu publicas contributiones non solvebant, pro regni defensione decretas de bonis suis ac etiam de proventibus pecuniariis quos habent modo et ordine supra scripto, quemadmodum alii contribuent.

Item sculteti et advocati liberi villarum, non habentes census, duntaxat laneos colentes, solvent de suis laneis per unum fertonem, advocati vero colonos seu kmethones habentes ita ut alii domini cum suis colonis ad ratas supradictas contribuent, vid. de quolibet laneo XVIII gr.

Item nobiles pauperes, colonos et census non habentes, de quolibet laneo culto solvent XII gr., qui vero non colunt soli agros, nec colonos in eis habent, sed locant pro censu pecuniario ipsos agros suos, solvent ab octoginta marcis pecuniarum XVIII flor. ita ut a censibus nudis pecuniariis ut alii omnes contribuent. Illi vero nobiles, qui non habent laneos sed predia, computatis ejusmodi eorum prediis in laneos, solvent de quolibet laneo XII gr., de medio laneo VI gr. ac quarta parte lanei III gr. et reliquum de quantitate laneorum. Ubi autem duo, tres aut quatuor pauperes nobiles unum laneum colunt, solvent omnes simul de ejusmodi uno laneo duodecim gr. alias quisque eorum solvet secundum quantitatem agri et portionis lanei medietatem videl. pro dominica Judica proxima, aliam medietatem pro festo nativitatis beate virginis Marie.

Item civitates et oppida tam nostra regia quam subditorum nostrorum spiritualium et secularium in toto regno nostro exactionem civilem, quam „Schoss" vocant, unam cum media juxta antiquas quitantias solvent et contribuent. Que quidem exactio civilis integra solvi debet per easdem civitates et oppida pro dominica Judica proxima, medietas vero ejusdem exactionis civilis contribuetur pro festo s. nativit. b. virg. Marie proxime futuro.

que

Quo autem civitates et oppida libertatem habent a civili exactione et nihilominus de agris, quos colunt, solvunt census dominis suis de iisdem agris, solvent a quolibet laneo XII gr., ubi vero dominis suis censum non solvunt, nihil contribuent de iisdem agris. Idem de villis vastatis, exustis et libertatem habentibus, que non solvunt census dominis suis, est intelligendum. Ita quidem incole hujusmodi villarum liberi sunt et esse debent a solutione contributionis in presenti conventu institute. MDXXV.

Item inquillini in civitatibus et villis existentes, qui neque exactionem civilem neque de laneis solvunt et similiter piscatores circa fluvios aut alias aquas residentes, qui nullos agros habent, item rustici septimanati laborantes, in quocunque loco fuerint, solvent per sex grossos pro rata utraque, exceptis viduis pauperibus, hortulanis ac familia artificum.

Item contributio cerevisie, vini, medonis, Malmatici, Muscatelle „Czopowe“ dicta in iisdem civitatibus et oppidis ac etiam tabernis villarum tam nostris, quam subditorum nostrorum spiritualium et secularium, incipiendo a festo annunctiationis beate Marie proxime venturo ad integrum annum, a singulis cerevisie coctoribus more solito solvi debet ex quibuscunque braseis fuerit eadem cerevisia cocta, sive brasea ipsa sint civium et dominorum ex molendinis provenientia et emensurata, sive domi facta, item etiam a cerevisia, quam domini et nobiles ex braseis suis coquunt seu braxant et illam dant ad propinandum suis tabernatoribus, ab eadem cerevisia exactionem ducillorum ipsi domini solvent. Ac etiam de cerevisia externa, que de externis regionibus et ducatibus, nobis et regno nostro non subjectis, ad regnum nostrum ducitur, ut Swidnicensis, Thesinensis, Bernoviensis et alia quacunque, contributio ipsa „Czopowe“ solvatur.

Item tabernatores manuales, qui advectitiam propinant cerevisiam VI grossos hoc anno solvent, III gr. pro prima rata, et pro ultima III grossos.

Item molendina omnium villarum, tam nostrarum quam subditorum nostrorum spiritualium quam secularium que „poysrzebne“ vocantur manuales seu anniversarios molendinatores habentia, ex singulis rotis sex grossos solvent, hereditarii vero molendinatores dictarum villarum et Folusche ex singulis rotis molendinorum suorum, que valve dicuntur, duodecim grossos persolvent ad ratas temporum supradictas, videl. gross. VI. pro prima et alios VI. gr. pro ultima ratis. Item molendina brasealia et hereditaria aquatica et equestria in omnibus civitatibus et oppidis more veteri taxata et secundum antiquas quitantias contributionem unam cum media, que „Schoss“ dicitur, a qualibet marca taxe duos grossos persolvent, pro dominica videlicet Judica proxima integram contributionem Schoss, mediam vero pro festo nativitatis beate Marie. Et similiter molendina, quorum tertias mensuras tenutarii bonorum nostrorum exemerunt et illas a se emptas, seu in summis pecuniarum obligatas tenent, solvent contributionem, que „Schoss„ dicitur, sicut reliqua omnia molendina in regno seu illorum molendinatores eam solvere solent, contraria consuetudine, que corruptela dici debet, penitus non obstante.

Minerarie vero officine alias ferrum facientes, et serre hereditarie ex singulis rotis XII. gr., annales autem officine minerarie et similiter annales serre h. e. locate et conducticie a qualibet rota VI. gr. solvent. Item molendina ventilia hereditaria XII. gr. Illa vero molendina

MDXXV. dina ventilia, que anniversarios molendinatores habent, VI. gr. solvent ad ratas temporis supradictas.

Item sacerdotes Rutheni, qui „popones“ vocantur, ex singulis ecclesiis et sinagogis mediam sexagenam grossorum, propopones vero, alias „namiestniczy“ per duos florenos in moneta solvent.

Item episcopi Rutheni, qui „wladice“ dicuntur, de censibus suis pecuniariis nudis quibuscunque solvent etiam quemadmodum et alii ab octoginta marcis decemocto flor. per mediam sexagenam computatos.

Item Valachi ex singulis laneis integris, si illos habent, vel areis, que „dworzyska“ dicuntur, duodecim grossos solvent. Et qui agros non habent, a singulo centenario ovium similiter XII. gr. persolvent, sex gr. pro prima et reliquos sex gr. pro secunda rata superius expressa.

Item dantes pecunias suas Judeis et quibuscunque aliis personis pro censu annuo, etiam ab octoginta marcis pecuniarum XVIII. flor. solvent.

Solutio autem a censibus nudis modo supradicto fieri debet medio uniuscujuscunque solventis juramento, et medietas summe solvende ab iisdem censibus pecuniariis nudis dari et solvi debet pro dominica Judica proxima, alia vero medietas pro festo nativitatis beate Marie. Quicunque autem deprehensus fuerit fraudem aliquam in solutione ab ipsis censibus pecuniariis nudis commisisse et non juste, id quod debet, solvisse, teneatur duplum solvere.

Ut autem supradicta ordinatio in exigendis iisdem contributionibus facta debite executioni demandetur, generosum N. exactorem in palatinatu N. et districtu N. designavimus et constituimus presentibus literis nostris, mandamusque, ut in manus ejusdem designato tempore easdem contributiones persolvere curetis. Vobis vero, capitaneis, quorum interest, mandamus, ut prefato executori nostro pro termino et tempore superius expresso sub penis ad hoc constitutis absque cujusvis more et dilationis interventu de dictis contributionibus per eos, ad quos pertinet, responderi faciatis et vos ipsi respondeatis; negligentes vero in solvendo et contumaces per pignorationes et alias penas solitas ad solvendum easdem contributiones compellatis, pro officio vro. et gratia nostra facturi. Exactor autem prefatus eas ipsas contributiones modo et ordine supra scripto fideliter exigat et collectas in manus Mgci. N. N. ad civitatem N. perferat. Juratusque esse debet. Eligentur etiam in districtibus ad id constitutis, castellanus et duo nobiles, qui cum palatino et exactoribus, ipsis pecuniam collectam dispensabunt et militibus mercenariis juxta exigentiam et quantitatem pecuniarum per eos exigendarum distribuent rationemque de percepta pecunia ab exactoribus audient et recipient, quam post modum toti nobilitati in conventu particulari facient, pecunia vero hujusmodi hominibus et militibus de palatinatu duntaxat distribui debebit. Datum in Conventu generali piotrkoviensi fer. VI. prox. post fest. St. Valentini.

Ad marginem: Ingentia furta, fraudes ac peculatus in dispensanda hac pecunia publica commissi fuere; quisque enim egregius avarus est et Rempublicam lacerat ac diripit, nulla autem super hoc provisio. Rex pre pusillanimitate nullum castigat, consiliariorum vero et magistratuum nullus negotium Reipublice tuende suscepit nec contra peculatum egit. Corvus corvo oculos non configit; omnes pariter viciosi fuere.

XVI.

XVI. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Dantisco, Oratori.

Mgce. etc. Post eam expectationem, que non sine quadam molestia esse potuit, in reditu venerabilis Stanislai Bork, Doctoris et canonici cracovien. id tantum accepimus, quod ipsam expectationem nostram ingenti letitia affecit posteaquam accepimus, animum imperialis Mtis. ne minima quidem in re ab ea benivolentia et amore alienum esse factum, quem jam pridem multis quidem aliis in rebus exploratum habere cepimus, nunc vero in hac barensi restitutione confirmatum habemus, quem singularem dimetientes multo plus facimus, quam ipsum ducatum, in cujus restitutione id, quod nobis non sine summa animi voluptate ac singulari consolatione carum est, satis superque experti sumus. Itaque gaudemus et deo omnipotenti gratias agimus, cujus benignitate ac singulari gratia ea fiunt, que rebus christianis afflictis culpa temporum sine controversia opem et auxilium sunt allatura. MDXXV. Cod. Korn.

Attulit Dr. Bork eas literas sue Mtis., que ad recuperandum ipsum barensem ducatum necessarie erant, quibus acceptis mox cum eis tabellarium celerem illuc misimus, ne mora aliquid impedimenti rebus nostris afferre possit. Multa enim considerantes, que temporum vicissitudo et varietas in perturbandis rebus ipsis nostris parare posset, omnia, quoad possimus, circumspicimus et providemus, ne qua res nova ingeniis adversantium conflari possit, que nobis in ipso ducatu, si negligeremus, difficultatem vel damnum sit allatura. Et propterea volumus tibique mandamus, ut ad vitandos tales eventus in curia imperialis Mtis. te contineas, quoad a nobis certior factus eris, quando sis ad nos rediturus, eaque fide et industria, qua hactenus usus es in rebus nostris agendum tibi creditis, agas et diligenter observes, ne qua procella, consurgens sive a collaterali cesareo consilio et exequutoribus testamenti olim domine nostre matris, sive a quocunque alio, novos motus insperatos et noxios excitare possit. Sumptum vero necessarium tibi suppeditandum provideri faciemus, ne inopia premente dignitati nostre aliqua in re deesse videri possis, quem in defectu a nummulariis de more accipies, donec quod mittendum est adferatur. In reliquis, que accidere possunt, sic te geras eaque dexteritate uteris, ut res ipsas nostras fideliter et diligenter curans gratiam nostram promerearis, que tibi non deerit pro ratione et modo obsequiorum tuorum. Datum Cracovie.

XVII. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico Aliphio.

Magce. fidelis noster dilicte. Cum expectassemus hactenus magno tedio literas vel significationem aliquam ab oratoribus nostris apud cesaream Mtem. de negotio nostro barensi, venit tandem nudius tertius Dr. Bork attulitque et investituram et alias literas opportunas ad ipsum ducatum, egre quidem, attamen satis benevolenter obtentas, quas in manus tuas mittimus, ut que opus sunt ad possessionem capiendam et alia omnia tibi commissa et Cod. Korn.

 necessaria

MDXXV. necessaria obeunda exequaris. Et quia ipsa cesarea Mtas., dum possessionem nobis reddi jusserat, adjecit eam conditionem, ut arci barensi personam sibi gratam et non suspectam preficeremus, volumus, ut Nicolaum Carminianum, olim thesaurarium reginâlem, in quem juste nulla evadere potest suspicio, castellanum ejusdem arcis constituas tantisper, donec a coram latius de omnibus edocti hoc faciemus, quod magis ex usu fore videbitur. Scribit etiam ejus Mtas. cesarea exequutoribus testamenti olim Illme. domine matris nostre, ne se ad possessionem aliquorum bonorum ingererent, quoad ejus Mtas. de ea facultate testandi ipsius defuncte matris nostre plenius cognosceret. Quod ut ita fiat, providebis. Reliquimus vero adhuc apud ipsam cesaream Mtem. Joannem Dantiscum, ut tantisper illic maneat, donec res postulare videbitur. Itaque si quid difficultatis adhuc vel a collaterali cesareo consilio, vel a quopiam alio suboriretur tam in capienda possessione, quam etiam in aliis rebus, tu illi mox significare cures, ut que necessaria forent et perficienda, restauret illic et exequatur. Reliqua omnia virtuti tue et industrie committimus. Datum Cracovie.

XVIII. Joannes Zamboczki, Joanni Dantisco, Oratori etc.

Cod. K... Litere tue Madrilis XII[a] die Decembris date reddite mihi sunt Cracovie ab egritudine decumbenti III. Idus Marcii. Eas attulit Dr. Bork, quem tu, ipse vicissim te, Reverendum scribitis, ego nec utor, nec moveor ejusmodi epithetis, ut nosti, ne mutuum muli scabere videantur, habeo tamen eundem Bork inter precipuos meos, ipse me vicissim observare videtur, quod literas meas vos ambos delectasse scribis. Id ego miror, cum nec ego ipse, nec litere nec quicquam meum ejus generis est, ut quempiam oblectare deberet, nisi forte avunculum meum, qui mecum continuo est. Sed cum hec lactuce ejusmodi labra nacte sint, que oblectabunt, gratulor mihi. Res est nova nonnihil, sed quid prodest, nescit sarculus iste meus, rem addidisti, depinxeras omnia, graphicas item: dispeream, si unius voculi, quem ad te tunc scripseram, recordor. Sed quia abiens hinc jusseras, ut videlicet ad te scriptitarem idque literis tuis ex Venetiis et Neapoli ad me datis repetieras, mos gerendus erat. Nonne tibi es nescius, quam in amicitiis fovendis et conservandis sum ardens et obsequens, et plus freno quam calcaribus egens, sinceris presertim et non fucatis, cogor etiam Thrasonem agere et de me ipso predicare, cum alius nemo me laudet preter Petrus meus. Scribis, te bene valere, gratulor tibi, idque ut scirem a multis diebus me summopere desiderasse scias, nam ab eo tempore, quo cum Siradiensi palatino Lugduni conveneras et de eo conventu literas ad me dederas, nihil de te audivi ideoque nec percontantibus de rebus tuis respondere potui, percontabatur autem ut plurimum Dorothea tua etc. Cupio te eo ipso modo, quo scripsisti, valentem ipse valens bene videre, tametsi de valetudine mea quid certi ad te scribam nondum habeo, sed neque refert: scilicet valeat Zamboczki necne. Illud scito, decem hos continuos menses a medio ferme Junii incipiendo

piendo contra Turcos proficiscens in itinere ipso usque in hunc diem cum egritudine me colluctasse et egrum cum hostibus commeasse, nunc Deo gratiante et medici promittunt et ipse sentio mihi melius fieri. Ob hanc quoque causam neque Piotrkoviam ad conventum, qui in fine Decembris ortus ad finem Februarii duravit, principem secutus eram, quin Cracovie Galenos et Avicennas et Rases vocans locutosque exhauriens remanseram, indignante Baccalaurione defalcante. Quae in literis tuis precepisti, peregi omnia preter unum, quod quale est, infra significabo. MDXXV.

Scias Gedanum tuum, immo Prussiam ferme totam verbum Dei purum et Evangelii doctrinam, repudiatis patrum — nescio quorum — traditionibus, amplexam et jurejurando obstrictam, verbo Dei et regis Polonie, dni. sui — ad extremum usque spiritum — imperio parere, si quis contra ageret cum capitis damno puniendo, novos quoque magistratus, dejectis veteribus, creasse, solo Philippo Bischoff et magistro Georgio in dignitate sua relictis. Capita constitutionum suarum in articulos — ut vocant — digesta regie Mti. sunt missa. Cum salvus redieris, invenies novam prorsus faciem urbis et gregis tui et, si te non attemperaveris, parum proventus ab ovili reportabis; tametsi ad eam animorum mutationem institutis patrum retinendam missi sunt legati Zakrzewski et Opalenski, publicanus alter eorum ad obeundum non ineptus apostolicus, verum nondum redierunt et vix adhuc eo pervenerunt.

Fridericus, dux legnicensis, et Georgius, marchio, sunt hic, sunt et totius Prussie dynaste preter culmensem palatinum. Agitur maximo nisu de concordia inter magistrum et regem. Quibusnam conditionibus ea concordia tentetur, nobis, qui foris non progredimur, non satis liquet. Ego me usque in hesternum diem continui domi, censentibus medicis, heri vesperi invisi ducem Fridericum, qui mox et de te et de rebus tuis percontatus est. Respondi ut me decuit. Is mihi visus est parum spei habere, rem ita posse transigi, ut ab ipsis instructa, et hodie accersiti fuerunt ambo pacificatores ad consilium et mox dimissi, interim consultat in Gallipeda, dum pacificatores prandent, et ego scribo hora XX^{a}. Atque ita, mi Joannes, quis ejus fabule exitus futurus est, te certificare non possum, quamquam sciam tibi vehementer gratum fore, si conclusionem scires; sed a me id fieri nequit non prius quam ista in vulgus efferuntur, quod in consilio transacta fuerint. Veredarius autem iste sive postarius, qui has literas afferre debet, aut hodie aut cras mane abiturus hinc dicitur, quare cogor jamjam has nugas in fasciculum conjicere. De futuris rebus nostris facile est divinare, imminent Turci et Tartari et preterita quidem estate cecidimus eos, utrumque nunc quomodo succedet, Deus scit. Non deesset argumentum non epistolam sed volumen scribendi, sed ob imbecillitatem corporis, quam ex diuturna egritudine contraxi, vix hec exarari potui. De fratre tuo non dubito, quin tibi Dr. Bork scribet; si huc venisset, fecissem, quod jusseras, etiam si tempus fastii esset, ego eum aluissem. Nudius tertius ablate hic erant marchioni a regina Ungarie litere, in quibus significabat: regem Gallie a cesarianis vivum captum exercitumque ejus cesum et fugatum interfectis in acie XIV milibus, sed nondum plena fides eis habetur. Expectamus itaque; si quid certioris fama affluxerit, referam tibi. Vale felix et me ama. Datum Cracovie XIV Marcii.

XIX. Joannes Dantiscus, Orator, Sigismundo, Regi Polonie.

MDXXV. Cod. Korn. Serma. Mtas. regia etc. Superiori die, que erat septima preteriti mensis, copiosissime omnia Mti. vre. Serme. post dni. Doctoris Bork abitionem hic acta et illius casum ac moram descripsi cum posta, que eo tempore ad Urbem et Neapolim expediebatur, adjunxique illis meis literis aliarum literarum exempla in Valleoleti XII^a Novembris et hinc XVII^a Decembris datarum cum omnium scripturarum expeditarum copiis, statum Barensem spectantium, et cum ipsis etiam literis originalibus duplicatas, quas hic non sine magno demum labore obtinui et ad manus domini Ludovici Neapolim transmisi, ex quibus antequam dnus. doctor ad eum perveniret omnia, que erant agenda cognosceret. Et ne quicquam omisisse videar, cum hoc Mgco. dno. Philippo de Bredan, oratore ces. Mtis., qui recta ad Mtem. vram. Sermam. proficiscitur cum vellere aureo, iterum iis mearum copias, quas hinc XVII^a Decembris et VII^a hujus dedi conjunxi. Unde si ille forsan propter itineris longinquitatem et bellicos tumultus fuissent intercepte, quomodo hic acta sunt omnia cognoscet. Interea pauca sunt immutata. Mtas. ces. deserta est a quartana, sed tamen debilis multum, nullis negotiis vult occupari, donec ad vires aliquantisper redeat, quo factum est, quod Mg. cancellarius aliquot diebus ab aula se domi continuit. Cesar nulla alia re quam ludo se exercet eoque non parum delectatur queritque modis omnibus in hac tragedia, ut corporis et animi languorem exuat et licet hic non sint pecunie, tamen fertur paulo ante quindecim milia ducatorum ludendo amisisse; inde reor ii qui lucrati sunt, plus solatii quam ipse ceperunt. Belli hujus finem non video. Venit huc ante paucos dies ducis Sabaudie orator et Mtem. ces. ad pacem amplexendam hortatus est; dominus enim illius neutralis habetur. Sed sicut ex illo intellexi pridie cum una essemus apud cesarem, inter multa alia, que mecum contulit: „pacem, inquit, haberemus, sed illam nihil aliud, quam cesaris voluntas moratur.“ Retulitque mihi, quod rex Gallie in Ticini oppugnatione pertinaciter adhuc persistere et quod eam urbem non vi (nam intus octo fere milia militum Cesarianorum esse perhibentur) sed commeatus inopia capere decrevit. Exitus istius obsidionis certe aliquid novi efficiet, in illo res omnis heret. Reddidit me etiam certiorem de dno. Dre. Bork, quod illi ex Narbona XXIV^a preteriti a capitaneo illic regis Gallie generali salvum conductum adtulisset et eum in Perpiniano offendisset. Unde acceptis iis literis eadem fere hora cum illo tibicina, cum quo advenisset, dnus. Doctor magna alacritate affectus discessisset. Hinc ego credo, quod in itinere, quantum possibile est, maturabit et brevi ad dnum. Ludovicum Neapolin perveniet. Sic ego magno solutus sum dubio et ab animi inquietudine liberatus, semper enim timebam, ne bono huic viro quicquam adversi accideret, quo in itinere diutius immorari cogeretur. Iste orator, qui a cesare ad Mtem. vram. Sermam. mittitur, quis sit et cur alter, de quo scripsi, non est missus, ex dno. meo. Rmo. Cracoviensi intelliget. Nomen et titulus hujus est: Carolus Philippus de Burgundia, dnus. de Bredan et Loberkam, consiliarius cesaree Mtis. in Germania inferiore. Egit hic oratorem hactenus nomine Sermi. archiducis Austrie, habitusque

habitusque est hic in estimatione cum primis et pro homine singulari prudentia ac rerum gerendarum peritia predito. Illum ego, ut promissis satis faciam, Mti. vre. Serme. summopere commendo, quantum omnis mea commendatio ex hoc officio et servitio Serme. Mtis. vre., quo nunc sum insignis, potest et valet. Caduceator item velleris aurei, qui cum eo proficiscitur, Joannes Fusij, a me eque efflagitavit, ut illum Mti. vre. Serme. commendarem. Mari hinc uterque per Angliam in Flandriam se committet, unde dnus. de Bredan in Italiam recta ad Sermum. dnum. Austrie, archiducem, qui cum ingenti exercitu contra Gallos illic ivisse perhibetur, se conferet, deinde quantocius ad Mtem. vram. Sermam. venturus. Alter vero cum literis ad regem Dacie extorrem et ad ducem Saxonie Fridericum applicabit in primis et postea cum equis et familia domini oratoris in finibus nostris illius adventum prestolabitur. Cur ista dilatio velleris aurei hucusque est facta, Mtas. Serma. vra. ex literis ad se cesareis intelliget. Hoc unum hic certo expertus sum, quod hec mora contra ejus voluntatem fuit, et cum tandem mittitur, non facit ad stomachum omnibus, quemadmodum heri consideravi. Habuit me in cena dnus. de Feltkirchen, cui res dni. magistri Prussie cure sunt plurimum, veneratque pridie ad me cum magna solempnitate, ut me invitaret, et cum difficilem ob scriptiones et ob alia quedam agenda me ad hoc exhiberem, vehementius instabat dicens, quod pollicitus fuisset dno. Joanni, marchioni brandeburgensi, fretus mutua nostra amicitia et familiaritate dudum in aula cesaris Maximiliani mecum contracta, ad eam cenam me perducturum, ad quam se itidem venire dnus. marchio spopondisset. Cum hoc stratagema quorsum tenderet intellexissem, promisi me venturum venique illic prius quam dnus. marchio et inveni simul sedentes comitem de Montferat et nuncium domini magistri, qui nomen habet ante mihi incognitum, Klingenberk, assurrexerunt mihi, consedi, et illum nuncium conjectura subinde cognovi, depictus enim mihi fuerat per aliquos prius, sed noscere me dissimulabam. Paulo post venit dnus. Georgius, Maximiliani cesaris naturalis filius, et alii quidam. Habitus fuit interea, quod dnum. marchionem expectaremus, sermo obiter de duello, quod ante duos annos in Valleoleti fuerat per postas perventum, quod dnus. Zamboczki apud nos debellavit. Venit tandem dnus. marchio et honorifice me excepit cum dno. Adriano de Croy, dno. de Bentrem, camerario Mtis. cesaree et fratre ordinis velleris aurei, et multis mecum ceremoniis utebatur, licet dicerem, me in hoc convivio non agere oratorem, sed illum domi cum literis et negotiis reliquisse, meque nihil aliud quam bonum servitorem, ut conveniret illius Illti. et hilarem convivam dni. prepositi representare, nihilominus in omnibus primas tribuit. Cenavimus laute et impigre, germanum in modum crateribus certavimus. Dnus. marchio impetivit me e regione sedens aliquotiens, et ego illum suaviter de veteri familiaritate, Barchinone et alibi contracta vicissim colloquentes, rebus de aliis verbum nullum. Et cum jam inter pocula, ut fieri solet, animi essent liberiores et alacres, dnus. prepositus, ut forte erat instructus, me et dni. magistri nuncium alloquutus, inquit: „hoc bellum, quod fuit inter principes vestros nostre hilaritati non debet obesse. „Vos igitur, Klingenberk, ad oratorem Sermi. dni. regis Polonie bibite et mutuo bene „convenite, unde certo futurum est, Dtiones. vras. post hoc dissidium in arctiorem ami„citiam et amorem sanguini et debito utrinque convenienter plus quam prius unquam „fuerat MDXXV.

MDXXV. „fuerat perventuros.“ Ille respondit: „si prior ceperit alter, parebo libenter.“ Quo audito, conniventer transii et quasi de iis sermonibus nihil intellexissem contuli me ad dnum. Georgium, qui mihi a sinistra erat proximus et ad alias fabulas de Austria diverti. Dnus. marchio fingebat etiam ea se non audire. Tandem prepositus cum videret, quod illi non persuasisset, mihi de industria persuadere nitebatur, ut prior illum poculo convenirem, sed quid surdo cum fabula, porrectum mihi poculum in marchionem direxi. Ille impiger hausit spumantem pateram. Tum dnus. Mucron, major domus cesareus, alteri dno. Metene dedit. Postquam exempta sitis fuerat menseque remote, stetimus in corona, dnus. marchio, Don Georgius, dnus. prepositus et ego de certamine nostro et quomodo multum bibitum esset colloquentes, exorsus est iterum dnus. prepositus in eam sententiam, qua prius et quod plurimum expediret rebus christianis, ut causa hujus belli inter Mtem. vram. Sermam. et dnum. magistrum componeretur, presertim cum inter avunculum et nepotem verteretur, et quod potissimum spectaret ad dnum. marchionem, ut se medium inter avunculum et fratrem poneret omnemque daret operam, quo sanguinis hec necessitudo, per istiusmodi dissensionem offensa, rursus in integrum rediret. Ad hec marchio: „nos,“ inquit „ea de re huc non convenimus, ut processus desuper juridicos faceremus, „nihilominus diplois mihi prope est, sed camisia proximior. Nos de domo brandenburgensi fratrem nostrum neque volumus deserere neque possumus, estque Brandenburgensium „mos et natura injuriam nequaquam ferre, immo acerrime propulsare, et licet simus arme „Sweis, tamen non patimur, ut vis nobis aut ignominia aliqua inferatur, quam a nobis „arcere, donec halitum fruimur, solemus, quod etiam in hoc bello compertum est, der „dorane gewinnen hot der singe dies tu nitt. Scitur etiam, quis pacem vel inducias petat.“ Ad que ego dissimulata bile respondi: cum huc a Mte. vra. Serma. in arduis Reipublice christiane et in quibusdam privatis negotiis essem missus, nihil mihi agendum in iis rebus fuisset injunctum, quemadmodum hoc cesari et illius consilio non foret incognitum, unde neque in presentia ad ea respondere, que illius Illtas. vehementius exposuisset, inter pocula presertim et in simposio, tamen, si preter commissionem ac pro veteri notitia et benivolentia, qua me illius Illtas. olim fuisset prosequuta, patienter velit audire, dicturus essem aliqua, que ad hec responderi possent. Annuit, et ego in hunc modum incepi. Quis huic bello prebuisset occasionem non foret obscurum neque, quomodo gestum esset, careret luce, precipue ubi veritas haberet locum, que singula refricare magis ad irritandos crabrones, quam ad amicum colloquium accederet, quocirca consulto ea transirem, exitus omnia esset probaturus. Quod vero tunicam propiorem diceret pallio, non irem inficias; tamen equitas inter viros principes esset preferenda hocque perpendi debuisset potissimum, quod Mtas. vra. Serma. contra domum brandeburgensem nihil unquam egisset, immo verius illi omnem favorem atque benivolentiam exhibuisset, per quam dnus. magister venit in Prussiam; quomodo vero ea sunt observata, que ante ejus susceptionem et adventum per oratores patris sue Illtis. fuerant promissa, nondum in oblivionem transiit. Res etiam et causa istius belli non fuisset de domo brandeburgensi, sed quod multis indignis modis Mtas. vra. Serma. offensa ac lacessita subditos suos tueri invita etiam et necessario protrahebatur. Accedebat preterea, quum dnus. magister non solum debitum prestare recusaret, verum

verum et gentes jam conscribere contra Mtem. vram. Sermam. ceperat, quod hoc bellum MDXXV.
contra voluntatem et morem suum Mtas. vra. S. suscipere coacta fuerit, quod tamen mitius, quam offense merebantur, gestum est. Nam cum exercitus Mtis. vre. Serme. in terris domini magistri se disposuerant, non incerti de victoria, subinde nuncii in primis ordinis, deinde terrarum et civitatum dni. magistri ad Mtem. vram. S. mittebantur, qui post longam rerum suarum deplorationem misericordiam et dno. magistro, ut ad Mtem. vram. Sermam. se tuto conferre posset, salvum conductum deprecabantur, quem illi cum certis articulis non gravate dedit et militibus suis, ut interea ferro et igne abstinerent, demandavit. Postquam vero dnus. magister, acceptis articulis et literis, commeatus Thoruniam ad Mtem. vram. Sermam. divertisset, illic honeste exceptus et habitus Mti. vre. Serme. ore proprio pollicebatur, se omnia facturum, ad que obligaretur, paulo tamen post, cum a rege Dacie aliquot peditum millia sibi advenisse cognovisset, mutata sententia, quasi cum fratribus ordinis super tractatus sibi propositos consulturus, ut vigore salvi conductus redire posset, rogavit et quamvis Mtas. vra. Serma. illum omni jure, cum articulis missis non satisfecisset, detinere potuisset, ad quod multi regni primores instabant, nihilominus illum a se abire et honorifice ac secure usque ad propria conducere permisit.' Hec cum dixissem, interpellavit me dominus marchio alia adhuc dicere conantem, respondens: Mtem. vram. hoc in facto bene et regie egisse, quicquid tamen esset, fratrem ejus dnum. magistrum quam diu viveret cum aliis suis fratribus se nunquam deserturum, domumque brandeburgensem talem olim semper fuisse, que potuisset aliquid et nunc non minus, nullamque esse in Almania, que tot fratres viventes et germanos haberet, qui reliquis principibus etiam non essent inferiores. Et cum hec cum quadam vehementia, ut est cholericus, protulisset, non potui mihi temperare et subintuli: reges Polonie quid possent et germanis principibus et aliis regibus ac nationibus presertim Infidelibus satis olim fuisse et adhuc esse cognitum, quod si quis temere non crederet, wird wohl finden im awsferen.

Post hec verba utrinque habita dnus. prepositus marchioni dixit: Illtas. sua plus paci et concordie quam ulteriori bello affici deberet, est enim indignum et non conveniens rationem, inter sanguine junctos digladiationes fovere. Ad quod tandem mitius respondit, animo post choleram recuperato: „Nos hic ea de re non convenimus, ut processus juris „ageremus velimque, negotium hoc esset compositum, ad quod, quantum eniti possum, „operam suam daturus sum, faciat etiam idem dnus. orator.“ Tandem post alia humaniora colloquia cyato litem diremimus.

Postero die, qui erat XXVI[a] preteriti, dnum. Mg. cancellarium conveni et illi hanc disputationem cum marchione exposui, rogando, si quid contra Mtem. vram. Sermam. coram cesare de his rebus fuisset pro parte adversa propositum, ut mihi impartiret, unde Mtas. cesarea, me audito, quomodo res se haberet, certo edoceri posset. „Nihil, inquit, de hoc „negotio in consilium est prolatum neque a cesare intellexi, quicquam in ejus notitiam „esse perductum, sed venit nuper prepositus de Feltkirchen ad me et multa mecum de his „rebus locutus est volens mihi persuadere, quod Sermo. regi vestro a cesare scriberetur, „quo concordia aliqua, vel saltem longiores inducie conficerentur, potius quam iterum ad arma „procederetur. Respondi illi: cum hic forent utriusque partis oratores, cum illis ageret, si

MDXXV. „si quid iis rebus commodum fieri posset. Tamen paulo post rediit et dixit, quod vos et „alter orator, ut tales litere scriberentur, consensissetis et quod exempla illarum vidissetis, „de quibus contenti fuistis. Quocirca se daturum operam, ut a cesare signarentur. Quod „sic fieri permisi, domi vero marchio ne verbum quidem hac in causa mecum locutus „est. Aliud etiam in meam sententiam desuper non pervenit.“

Hec cum dixisset, omnia illi exposui, que mecum idem prepositus et Dr. Brantner quasi cesaris nomine egisset, de quibus scripsi in novissimis. Miratus est, indignatus etiam, quod hoc modo sine cesaris commissione res hec ad me fuisset perducta.

Hinc Mtas. vra. S. liquido cognoscere potest, quibus ingeniis hec negotia hic tractantur. Venit postea ad me Dr. Brantner, est enim apud me continuus commensalis et profecto bonus juvenis. Dixi illi, que a dno. Mg. cancellario in hac re accepissem, obstupuit et totus rubore perfusus inquit: „dnus. prepositus est in negotiis imperii meus superior, hic „me secum accepit, dicens cesarem sic fieri voluisse. Cum autem res aliter se habet, non „persuadebit mihi amplius, nisi a cesare mihi fuerit commissum, ut istiusmodi negotia cum „illo tractem.“ Est etiam quedam inter illos simultas, mihi non incognita.

Hec cum in lucem pervenissent, dnus. marchio per suum majorem domus, ut hic vocant, me ad prandium per multam et benignam orationem vocavit. Quo cum pervenissem prodiit mihi ex aula, ubi prandium fieri debuit, illius Illtas magna cum solemnitate obviam et iterum, postquam me introduxisset in omnibus ceremoniis, primas mihi tribuit. Locavit me in mense capite, ipse accepit dextram et nuncium dni. magistri in partem sinistram posuit. Erant certe opipare et laute omnia preparata. Fuit ibidem dnus. prepositus et multi de primis aule cesaris officialibus, instructumque erat iterum pro poculis stratagema, ut ego ad nuncium dni. magistri biberem. Incepit dnus. marchio et mihi poculum dedit, ut nuncio illi porrigerem; quem ego de industria preterii et dno. preposito attuli. Demisit statim dnus. marchio supercilia et alii omnes prospiciebant, prepositus vero Klingenberk, nuncium, invitavit ea conditione, ut me cum poculo suo salutaret, quod fecit et ego provinciam suscepi. Hinc subito magnum exortum fuit gaudium inter convivas cepimusque mutuo colloqui et ille se mihi plurimum offerre petiitque a me, ut illi liceret, domi me convenire, ubi mecum aliqua seorsum conferre vellet. Non negavi. Et quia tempora Carnisprivii erant, dnus. marchio nos hortabatur ad letitiam, in tantamque letitiam se extulit, in qua raro prius visus fuisse fertur, non aliam ob causam, ut mihi Klingenberk postea fassus est, quam quod nos in colloquium perduxisset. Gloriabaturque coram convivis, presertim Hispanis, Serme. Mti. vre. se esse nepotem multaque illic digna in laudem Mtis. vre. Serme. predicabat priorisque disputationis mecum habite nullam amplius fecit mentionem, sed se obtulit, ubi Mti. vre. Serme. inservire posset, propensum, et potissimum, quo hoc dissidium commodius componeretur, se partem ad utramque nihil omissurum. Sic cum magna inter nos benivolentia fuit discessum. Altera die venit ad me Klingenberk et exorsus est longo et bene culto sermone, ut in eo est abunde facundus atque industriosus, prefatus quecunque mecum loqui decrevisset, ingenue et sine fuco se dicturum, quod si aliter ab eo fieri experier, violati honoris sui illum convincere deberem, protestatusque est, quod nihil ex dni. sui commissione, quam desuper haberet nullam, sed re ipsa id

id exigente, velit dicere. Et in primis, quod mecum illi conferre desuper datum fuisset, laudans rerum gerendarum peritiam et fidem meam erga Mtem. vram. Sermam., id plurimi faceret foretque his negotiis non parum profuturum etc. incepitque quam perniciosum rebus christianis hoc bellum esset inter Mtem. vram. et illius dominum declarare, et quod Dtio. ejus, ut juvenis, a quibusdam fuisset seductus, qui aliquando penas sunt daturi, et cum facta infecta esse nequeant, ipse pro fide sua, qua suo principi devinceretur, summopere cuperet, ut bellum hoc componi et in gratiam reditus fieri posset. Unde me rogabat iterum, ingenium et prudentiam autoritatemque meam, quam non parvam esse apud Mtem. vram. Sermam. sciret, extollens, ut animum ad istius belli compositionem et concordiam inducerem, quod ad id multum commodi allaturum speraret, multis vero rhetoricis usus persuasionibus, quas ne nimium sim prolixus omitto. Ad ea pro re paucis respondi. Primum benivolentiam illius erga me et quod me tanti faceret, qui sum minimus Mtis. vre. Serme. servus, commendabam meamque rursus benivolentiam, quantum mihi liceret, illi pollicebar. Et quemadmodum ille fuit protestatus, me etiam nullam penitus super his negotiis a Mte. vra. Serma. facultatem et commissionem habere, dicebam. Quod vero me rogaret, ut ego paci afficerer, foret supervacaneum, qui neque prodesse neque multum nocere possem, ipse etiam sciret, qualiter hoc bellum exortum et quibus modis sit gestum, et Mtem. vram. Sermam. ad id nullam dedisse occasionem, nihilominus ab humanitate non essem adeo alienus, qui turbas paci et tranquillitati preponerem meque, si quid possem, libenter daturum operam, ut hec tragedia cum dignitate Mtis. vre. Serme. finiretur. Egit mihi hic multis verbis gratias et retulit mihi, quod nesciebam: in Posonio pro festo trium regum preterito conventum fuisse institutum, ubi causa hec agi deberet et quod haberet spem, compositionem illic fieri posse, verumtamen certiora et firmiora omnia essent futura, si cum Mte. vra. Serma. in personis dnus. magister convenire posset, ubi semotis arbitris planius et apertius de omnibus utrinque daretur colloquium, post quod ipse non dubitaret et reditum in gratiam majorem quam prius et solidam pacem futuram. Hoc dicebat veluti rogando me, et quod operam meam interponerem, ut efficeretur. Cognovi ex eo, summopere id dnum. magistrum affectare. Mtas. vra. Serma. pro summa sua prudentia, quid sibi ista velint, abunde intelligit, mihi hic aliud nec agere nec loqui licuit, cum super hac re ne verbum quidem mihi sit commissum et neque unum jota huc scriptum. Non potui tamen eam benivolentiam, qua me dnus. marchio et iste nuncius videntur prosequi, postquam inducie nondum expirarint, rejicere. Conventum est igitur inter nos crebrius raraque est dies, qua me nuncius iste non invisat, nihil aliud, ut certa mihi est conjectura, a me scire cupiens et desiderans, quam si quid super his rebus a Mte. vra. Serma. literarum accepissem; cognosco eum pendere animi plurimum et cupere vehementer etiam istius rei finem. Proinde quum intellexisset, quod ego literas ces. Mtis. ea in re ad Mtem. vram. Sermam. scriptas meis adjungere nolui, ut qui illas non sollicitaverim, venit ad me rogando plurimum, quod eas acciperem, ut cum meis ad Mtem. vram. Sermam. pervenirent, ipse alias ad Sermum. regem Ungarie et ad archiducem Austrie et que ad dnum. suum essent scripte illi mittendas se accepturum dixit non ob aliam causam, quam, ne longior mora fieret; nam si dno. de Bredom, oratori Mtis. cesaree, dari deberent, tardius redderentur,

MDXXV.

MDXXV. redderentur, velit itaque efficere, que ad Ungarie regem et dnum. archiducem Austrie scripte forent, quodcum primis per tabellarium domini sui transmisse distribuerentur, modo ego illas acciperem, que Mti. vre. Serme essent designate. Cumque sic per multas preces instaret, negare non potui, si ad me perferrentur, eas his conjungam. Quomodo hic sunt expedite, ut cesar subscriberet, in alia carta annotavi. Favoris etiam cesarei, ut prius scripsi, parum hic dnus. magister habet, omnia fiunt per dnum. marchionem et per illos, qui ei libenter placerent. Si scirem in presens, quomodo hec negotia apud nos tractentur et in quo penderent cardine, rebus fortasse nostris non incommodaret. Egó neque soleo neque possum divinare et ultra crepidam non judico; conjecturam tamen facio, quantum hic conjicere licet, quod viribus suis non satis fidit ulterius dnus. magister, cum jam omnia extrema tentaverit. Quod si ita est, velis et remis, quemadmodum scripsi in novissimis, ut hanc scyllam penitus evaderemus, esset incumbendum. Pium et misericordem esse erga hostes presertim, obfuit plerumque, sed cum hec disputare non meum est, quantum mea fides impellit, feci. De his hactenus.

Dnus. marchio et iste nuncius primitus suspicabantur, quod hic ob nullam causam, quam ob istam nomine Mtis. vre. Serme. agerem, nunc aliud experti submissius se gerunt et qui prius fastu quodam me preterierunt, in presentia blandientes me prosequuntur, immo etiam nescio quas mihi novitates, utinam veras, de victoria quadam contra Moscos narrant et per postas ex Urbe huc scriptas asserunt; sed quia inducie sunt cum Mosco, suspectas habeo.

Jam agitur mensis septimus, quod neque ex partibus nostris a Mte. vra. Serma. neque a dno. Ludovico Aliphio ex Italia literas accepi: quantum me hec expectatio excruciat, presertim cum adhuc nesciam, si ex voluntate Mtis. Serme. vre. hic mora istiusmodi est, Deus mihi testis est et canities mea aliquando testabitur. Dum hoc scriberem venit ad me Dr. Brantner et attulit mihi literas cesaris in negotio prutheno ad Mtem. vram. Sermam. scriptas, dicens: dni. magistri nuncium rogasse, ut illas ad me deferret, quas presentibus cum exemplo literarum ad regem Ungarie et archiducem Austrie ac ad ipsum dnum. magistrum annexas mitto. Ex iis omnibus atque ex colloquiis mecum habitis, que hac in re agenda erunt, Mtas. vra. Serma. pro sapientia sua incomparabili liquido prospiciet. Hoc tempore de his alia se non offerunt. Proficiscitur cum hac posta tandem hinc expeditus regis Dacie extorris caduceator, quem hic cum alio pro oratore habuit. Is per longam sollicitationem nihil impetravit aliud, quam quod ex regimine Flandrie regi suo cum illius conjuge, cesaris sorore, ter mille flor. Renen. quolibet anno numerari debent, de quibus vivere et se sustentare debebit, ut potest. Omnia sors versat. Ubi nunc sunt illi tanti thesauri et tam ingens argenti moles, de qua ante duos annos passim predicabatur? Non video adhuc, quomodo unquam possit restitui. Voluerat, ut prius scripsi, se huc cum conjuge et liberis conferre, sed non est permissus propter majores expensas vitandas; hic enim adeo sunt extenuata omnia, quod cesar ipse sibi in mense apparatu derogavit, quo factum est, ut multi officialium, qui prius inde opipare vivere solebant, nunc nos, qui oratores hic agimus, frequentant sepius. Hic itaque bellum esse, certo cognoscitur, nihilque ab omnibus aulicis, potissimum minoribus, quam pax voto unanimi desideratur, que tamen a primis illis, qui omnia

omnia dirigunt, ut voti sui compotes fiant, totis viribus opprimitur; unusquisque enim illorum ad suas molas quantum potest aque traducit etc. Sed hec sunt, que jam aliquoties scripsi. MDXXV.

Venit huc paulo ante posta ex Italia et ex campo seu exercitu cesaris die III[a] mensis preteriti, inde hec nova feruntur: Dnum. archiducem Austrie tredecem milia peditum et mille ducentos equites, ac decem majora tormenta pro liberatione Ticini seu Paphie misisse; illis accesserunt sex milia Hispanorum et tria milia Italorum, qui conjuncti ductore Borbonensi applicuerunt obsidioni. Quod cum Galli intellexissent, collegerunt vires suas circumquaque sparsas in unum, in quorum discessu milites, qui in civitate habentur, numero quinque milia peditum Germanorum et mille Hispanorum egredientes menia, ultra trecentos Gallos occiderunt et multos currus cum commeatu illis acceperunt. Sicque Paphia ab una parte ab obsidione est liberata et supra descriptus cesaris exercitus cum iis, qui in civitate sunt, conjunctus. Qua de re Gallorum rex ducem Albanie, quem cum mille lanceariis, ut hic vocant, et octo milibus peditum versus regnum Neapolitanum miserat, revocavit, sed antequam ille adveniet, cesariani omnino confligere (quum hostibus sint proximi) decreverunt. Dicunt Gallorum regem non habere bonorum peditum ultro duodecim milia, de aliis gregariis sex milia; equitatus tamen est Cesarianis illi peditatui superior habeturque hic pro re certa, quod vel fuit vel brevi sit futurus conflictus. Ex victoria dependent omnia. Feruntur etiam Helvetiorum quinque vexilla a Gallis discessisse et quod castellum S. Angeli inter Paphiam et Laudum vi a Cesarianis sit interceptum, in quo multi exules partes Gallicas sequuti de Gonzagis et Vesinis sunt capti, quodque duo milia Gallorum, qui terras Januenses invadere conabantur, prope Alexandriam sint profligati et occisi et ultra quingenti in captivitatem redacti. Hec partis unius in terra est fortuna, ab alia in mari Gallis cedunt omnia prospere. Acceperunt nuper prope portum Januam ad unum miliare nostrum.... capere voluit, supervenerunt Galli cum sua classe et egredientes in litus Cesarianos in fugam verterunt, unde qui melius valebant pedibus, salvi Januam evaserunt ceteri interfecti et Don Hugo, prefectus, captus. Quo factum est, quod cesar classem suam in portubus continebit et Januenses relicto mari pro meniis se defendent, contribueruntque cesari pro alendo exercitu sexaginta milia ducatorum.

Hec summa est omnium. Hinc Mtas. vra. reputare secum potest, quid de pace sperare liceat, quam nisi rex Anglie fecerit, qui non ut Crates, Thebanus, aurum suum in mare abjicere statuit, rerum, quod opinor, et nervi penuria faciet. Ille enim, quemadmodum ex ejus oratore intellexi, se inter utrumque ponet medium, neque vult, quod cesar, neque quod rex Francie sit superior, ne deinde unius illorum potentia in suum caput redundaret.

Alia scientia digna M. v. S. non habentur. Nos hic manemus in hoc oppido et jam fere omnia consumpimus, sic etiam, quod aliquando neque panem aut vinum pro pecuniis reperimus, et credo, quod hac Quadragesima ob piscium inopiam, carnibus vesci cogemur, quas etiam, cum tempus erat, interdum habere non potuimus. Cuperemus hic omnes, ut cesar pro hac tempestate ad commodiora loca diverteret, quod tamen fieri nequit, cum non sit, unde aulicis solvatur. In dies hic, que ad quotidianum usum spectant, fiunt chariora et multe pecunie exponuntur. Qua de re ne quicquam et mihi et fidei mee non

 conveniens

MDXXV. conveniens impingi possit, velim sepius, ut quisquis alius rei familiaris gerende peritior hic ageret, nihilominus dabitur a me opera, quod Mtas. vra. Serma. que est prudentissima cum aliquando, deo bene favente, rediero de expositis erit contenta meque non alium quam fidelem servum et subditum, qualis hucusque fui semper, inveniet. Dnus. de Bredom, qui hinc orator ad Mtem. vram. Sermam. mittitur, ante aliquot dies equos et familiam ad portum S. Sebastiani premisit, et est cum literis omnibus expeditus expectatque in horas, ut a cesare dimittatur. Qui fit, quod adhuc detinctur, me preterit, dicunt tamen causam more esse, quod cesar aliquas literas manu propria scribere debeat soletque esse tardus scriptor, fortassis adhuc deliberatur. Pollicitus est mihi idem orator, quod hinc non vult abire sine meis literis, quas per postas, priusquam ipse venerit, est missurus Mti. vre. Serme. Ideo has adhuc nolo claudere si aliquid fortassis aliud interea se offeret postquam hec scripsissem et aliquot dies expectarem dni. de Bredom discessum, de quo adhuc est incertum. Venit huc X^a^ hujus mensis subita et preter omnem spem ac opinionem felix Mti. cesaree novitas a vicerege neapolitano et duce Borbonensi per Gallias in postis intra XII^mum^ diem missa, per quam nunciabatur: regem Francie, ceso illius exercitu, ad Ticinum captum cum omnibus suis primoribus et nobilibus, qui in eo congressu non erant occisi et in Paphiam a vicerege introductum. Litere etiam a matre regis Gallorum cesari ferebantur, quibus illi de tam insigni et evo nostro non audita victoria congratulabatur, rogando, cum a deo hec ei tam ingens felicitas cessisset, illa uteretur filiumque suum captum ea in conditione apud se conservaret, quemadmodum utrisque et tam alta prosapia progenitis conveniret.

Quale gaudium hec novitas cesari ac eis, qui illi bene volunt, hic fecerit, facile potest perpendi. Extemplo igitur missum est ad omnes oratores. Ad me etiam perventum. Qua de re, ut animum Mtis. vre. Serme. erga cesarem testarer, nuncius sua mercede non caruit. His enim modis, quomodo quisque afficiatur, expiscari solet, et cum magnus undique ad cesarem fieret concursus, ego cum oratore regis Anglie, cum vicini simus, ad aulam etiam contendimus, ut congratulemur. Intromissi igitur ad cesarem pervenire non potuimus, qui se paulo ante quam advenissemus cum quibusdam consiliariis occluserat, significavitque nobis, ut paulisper prestolaremur. Unde inducti in quoddam aliud conclave, in quo erat dnus. dux Calabrie cum nuncio ducis Borbonensis et plerisque aliis hujus aule primoribus, ad dnum. ducem Calabrie accessimus, cum quo multa de hac victoria colloquuti, quidam inquit: „quem nunc animum rex Gallie captus habere debet?“ Cui ille respondit: „nemo „est in aula hac, qui hoc melius quam ego, sciat.“ Cum enim avus maternus istius cesaris regnum neapolitanum occupasset et inde rursus in Hispaniam transjicere voluisset, dnus. dux Calabrie illum committabatur et conduxit usque in navem, quo cum pervenisset et regi valediceret, retentus est preter suam opinionem a rege et ad Hispaniam adductus, ubi captivus servabatur, donec iste cesar illius misertus, ante duos annos illum liberum faceret; et in presentia magno cum favore prosequitur, habetque super omnes oratores locum. Princeps est profecto gratiosus et ab omnibus passim diligitur relucetque in eo vere sanguis regius. Et cum ille nobis has novitates referret, quemadmodum cesari fuerant descripte, illius Mtas. supervenit. Accessit primum orator anglicus et composito vultu congratulatus

congratulatus est, ut potuit. Illi Mtas. sua multa respondit et fere per spatium medie hore multa affectuose cum illo loquebatur. Me tandem etiam seorsum admisit. Pro tempore germanice eum in modum dixi: „Deus opt. max. det Mti. vre. Serme. perpetuam „in terris felicitatem, sitque illi gratia, honor et gloria, quod Mti. vre. hanc dedit victo„riam, que orbi christiano consolationem, Infidelibus terrorem ac Sermo. dno. meo spem „optimam atque singulare gaudium est allatura, ut pote quod ex illa universalis pax et „concordia inter principes christianos statuumque et ordinum etiam tranquillitas et denique „contra christiani nominis hostes tum demum generalis certa expeditio sit futura, quam „nemo magis, quam Sermus. dnus. meus, rebus jam suis et viribus non parum inclinatis „et attritis, poscit et efflagitat; habeoque eam de Mte. vra. fiduciam, quam ad hoc alias „cognovi propensissimam, ad id omnes conatus suos conversuram, quo hec victoria insignis „et summa Mtis. vre cesaree felicitas nomen preterea et illius potentia universo terrarum „orbi clarior fiat atque illustrior.“ MDXXV.

Ad ea Mtas. sua benigno vultu et quodam rubore suffuso inquit: „nescio quomodo vobis „respondeam, si hispanice fortassis non omnia intelligetis, si lingua germanica, in ea non „sum perfectus,“ „Mtas. vra.,“ inquam, „velit, loquatur hispana, non est mihi admodum „incognita, cum jam in ea, tribus vicibus huc ad Mtem. vram. missus, non parum appre„henderim. Scio etiam Mtem. vram. omnia, que vult, loqui posse germanice.“ Unde cum circumspexisset, si cancellarius adesset, qui non erat, lingua germana sic respondit, libuitque mihi verba illius, sicut memini annotare. „Ich dank Got dem almechtigen, der „mich in diße Reputacion hat gesetzt und mir dissen sieg gegeben, den ich umb in nicht hab vordint „und wil in vordan biten, das Her mir helff, das ich maynem debit moge genug thun, wil och „haben diligencz zo wil mir moglich, dasz in der Christenheit ein gemeyner Fryd moge werden, und „dasz ich dem Konige von polen, meynem Bruder und Andren wider die Ungelobige moge Helff „thun, ich penser och nicht anders den das und dank ewch ewr Congratulation.“ Ista fuerunt ex ordine, sicut ea memoria retinui, que mihi respondit.

Postea factus est ad eum ingens concursus ab his, qui adhuc illius Mti. non erant congratulati. Sequenti die Mtas. sua cum ingenti pompa se contulit ad ecclesiam extra hoc oppidum ad tria stadia, ubi beata virgo multa operatur miracula. Sequuti sumus omnes. Illic solempnis missa celebrabatur, „Te deum laudamus“ tamen non canebatur, sed concionem habuit quidam frater predicatorius certe tempori valde accommodatam, in qua regis Gallie captivitatem honestissime meminit hortabaturque ad tria cesarem: ad concordiam universalem, ad communem contra Infideles expeditionem atque ad ecclesie reformationem, bonis ad id rationibus usus. Alie ceremonie ex his novis hic non fiebant, pauci ignes in oppido a primatibus et ab oratoribus ante domos in plateis struebantur, quos imitatus idem feci. Fui postea cum dno. Mg. cancellario in prandio illicque de hac victoria, quam nemo magis quam ipse desiderabat, congratulabatur, qui statim subintulit: me recte fuisse vaticinatum in mense Decembri preterito cum primum fuisset huc allata novitas, Gallos jam Alpes transcendisse; scripseram enim illi hoc quod sequitur epigramma.

Per gelidas iterum se Gallus transtulit Alpes,
In Latium cum jam sub nive terra riget.

Importuna

MDXXV.

Importuna quidem sunt hec modo tempora belli
  Causaque quam propter sumitur equa parum,
Delphicus hoc super eventu quesitus Apollo,
  Quid sibi tam preceps impetus iste velit?
Italia exitium Gallorum, sepius olim
  Ut fuit, hoc etiam tempore, dixit, erit.

Et cum vaticiniis et prophetiis multum tribuit, predixerat prius ante primum diem Marcii, regem vel interfectum vel fore captum. Placuit ei plurimum mea congratulatio. Accidit etiam, quod eodem tempore orator anglicus illic esset, quem multis scommatibus pupugit de rege suo. Ille tamen quasi non intelligeret dissiumlabat. Dicebat etiam aperte: timeo ne nobis hoc, quod Annibali, dici possit: vincere scis, at victoria nescis uti. Et sunt, qui cesarem offenderunt et de illius benignitate diffidunt. Unde adhuc cum Infidelibus aliquid molientur. Fortassis de pontifice et Venetis dicebat. Addidit etiam, quod paulo ante accepisset literas, quomodo instinctu aliquorum Turcus ingentem parasset classem, qua hac estate quasdam insulas, que ad cesarem spectant, interciperet eaque omnia ab iis fierent, qui de reditu in gratiam cum cesare dubitarent, quum tamen illius Mtas. ad omnem clementiam et benignitatem etiam erga hostes esset propensissima, modo ii, qui deliquissent, resipiscerent. Multa alia dicebantur, que si scribi deberent, multum papiri absumeretur, et non possent esse nisi morosa. Ex omnibus tamen hoc potissimum intellexi, quod cesar post hanc victoriam non sit insolentior, sed modis quibuscunque potest ab amicis et hostibus favorem et amicitiam querit. Quod illi summe necessarium esse arbitror; hanc enim felicitatem neque ingenio neque viribus nactus est, sed eam preter omnem spem a deo hábuit.

Hic adhuc tanta est paupertas, quod illam describere verecundor. Mittitur hinc dnus. de Lasan, qui est de intimis apud cesarem, ad regem Portugalie ob nullam aliam, ut multi opinantur, causam, quam ut aliqua illic conflari posset pecunia.

Quomodo iste conflictus circa Ticinum sit factus, quamvis prius hec novitas quam he litere ad Mtem. vram. S. sit perventura, eo modo, ut a dno. Mg. cancellario audivi, depingam. Ex prioribus cartis Mtas. vra. Serma. intellexit, in quo numero uterque fuit exercitus et quam prope alter ab altero dissidebat et quomodo rex Gallie militum suorum non contemnendum numerum ad regnum neapolitanum occupandum misisset. Unde cum Cesariani ad Ticinum convenissent et jam in pecuniis haberent defectum, marchio Piscarie, vir rei bellice apprime peritus, diutius immorandum non censuit, inprimis cum cognovisset, quod Galli se in dies magis munirent. Erant enim in septis et muris, qui pro feris continendis circa Ticinum sunt constructi. Aliquot noctibus per cuniculos in tribus partibus jussit muros suffodi et per palos sustentari, ne caderent, quo cum velit uno impetu intra munitiones posset irrumpere. Quod cum esset paratum, circumivit omnes ordines et primum ad Hispanos, cum quibus longo tempore militavit, divertit illosque hortatus est, ut pro gloria nationis sue et fide, qua cesari devincti essent, solutionem stipendiorum suorum, usque ad decimum diem Marcii expectarent, seque illis usque ad prescriptum tempus istiusmodi solutionis fidejussorem posuit. Quod cum ab eis non sine difficultate impetrasset,

trasset, aperuit illud stratagema, quo Gallos altera nocte ruptis, ut dictum est, munitionibus aggredi velit, de quo illi erant contenti. Deinde idem cum germanis peditibus egit persuasitque hoc etiam equitibus, et sic in suam sententiam traxit omnes. Qua de re XXIV[a] preteriti, que fuit dies natalis cesaris, in qua XXV annum complevit, nocte precedente tota cum omnibus ordinibus fuit in armis et, quo alter ab altero dignosceretur, omnes camisias albas super arma induerunt. Galli etiam certiores facti, illos esse paratos, suspicabantur, quod stationes suas deserere vellent, unde se etiam in ordines disposuerunt et tota nocte armati expectabant, quando Cesariani discederent, ut eos persequerentur, credebant namque, quod se versus Mediolanum conferre decrevissent. Duabus itaque horis ante solis ortum Cesariani ab altera parte, ubi non foderant cuniculos, per quosdam pedites Hispanos, qui omnes bombardas ferebant, ciebant pugnam, junctis illis equitibus velitibus. Quod cum in Gallorum exercitu personuisset, omnes ad hunc impetum reprimendum confluebant, quo facto illi, qui ex hac regione fuerunt in insidiis, tribus ordinibus sine tormentis prostratis muris in hostem preter illorum opinionem irrumpebant. Illic miseranda cedes fertur commissa et in primo congressu nulli parcitum. Rex cum equitatu gravis armature stabat in ordine, ignarus adhuc que gerebantur. Unde ipse cum aliis suis primoribus, qui juxta eum erant, non habebant hastas, sed clavis, cum hostes subito irruerent, obviam procedebant. Sevitum est primum a Cesarianis in equos, quorum magna pars corruit, et in eo conflictu, ut ferunt, sub tercio equo cum se rex atrociter defendisset ac multos ac quendam marchionem propria manu occidisset, accepto levi quodam per galeam vulnere, in terra fuit prostratus. Cumque illuxisset, jam et inter mortuos vivi quererentur, inventus est rex cum aliis plurimis, agnitusque a vicerege Neapolitano, et equo recenti impositus, honorifice in Ticinum est abductus. Postea, ne major cedes fieret, vicerex milites continuit et Helvetios, spoliatis tamen illorum armis et vestibus, vita donavit. In ea strage ex Gallorum parte XVI milia et Cesarianorum vix quadringenti cecidisse dicuntur. Rex nuncio cladis salvum conductum dedit, qui per Gallias primum ad gubernatricem, matrem sue Mtis. et deinde huc XII[a] die ad Mtem. cesaream pervenit. Ferturque cum captus esset rex dixisse: „in hoc belli boni militis, sed non regis officium exegi.“ De matre etiam dicitur. „Si filius „meus,“ inquit, „me audivisset in hoc, nunc non esset in discrimine.“ Literas, quas illa cesari scripsit, illarum sic, ut de gallico in latinum traducte sunt, cum captivorum ac occisorum nominibus Mti. vre. S. presentibus mitto exemplum. Alia omnia ex ipso dno. oratore latius coram intelliget, qui hinc tandem hodie est expeditus. Conduxi illum extra oppidum et has ista nocte ad eum transmittam, quas deo continui, si adhuc post illius discessum aliquid emergeret, quod scire Mtem. vram. expediret, seque huc obtulit. Nunciatum est huc, quod nuncii ducis Moscovie applicuerunt Hispanie et sunt propediem venturi. Si cum duce illorum Antonio de Comitibus, vel cum aliquo alio, qui in eadem trajecit navi mihi a Mte. vra. S. non venerunt litere, mutus et surdus in his hic ero negotiis. Pridie annus preteriit, quod a Mte. vra. Cracovia exivi, et in presens septem menses et aliquot dies sunt elapsi, quod neque a Mte. vra. S. neque a collega meo, qui agit Neapoli, quod magis miror, literas accepi. Quis mihi sit animus aut que mens in MDXXV.

tam

MDXXV. tam longa et dubia expectatione et cum non sit brevis locorum intercapedo, qua a Mte. vra. Serma. disto, non opus est exponere. Vivitur hic, ut supra descripsi, non parvis expensis, et satis miser vivitur. Pisces, quos hic commedimus, sexaginta miliaria nostra nuc a mari ducuntur. Cesar cum omnibus fere aule sue primoribus vescitur carnibus. Hinc est quod ad alia commodiora loca non divertit. Dicitur tamen, quod post hanc victoriam L ab hinc miliaria ad S. Mariam de Gardelupe, ut illic gratias Deo agat, sit iturus, dein Hispalim seu Siviliam, alii dicunt versus Barsalonam propter postas et quod Gallie fiat propinquior iturus. Sic etiam hic in dubio versamur. Nuncius dni. magistri adhuc hic agit et multa sollicitat; nihil tamen contra Mtem. vram. S., ut certo sum edoctus, sed dicitur, nescio que castra construere in aere et libenter velit, ut dnó. suo multa darentur. Solet hic esse apud me fere quotidie et nihil magis habet in ore, quam quod libenter videret in Posonio pro festo trium regum preterito factas esse ulteriores inducias, dicitque causam principalem vix illic potuisse componi. Hee apud me sunt suspecta et certo latet anguis in herba. Ipsi hoc, sicut dudum consueverunt, agunt et sub pretextu boni et equi contrarium fabricant, in una manu panem in altera habentes lapidem. Dnus. marchio paulo ante me iterum habuit in cena et me honorifice tractavit pervenimusque rursus ad soliloquium et de belli pruthenici initio. Illic sub data prius libertate, ingenue dicendi, que quisque haberet in pectore, retuli, quomodo postquam ante annos sex fuissem Barzalone et ibidem ab eo honeste aliquoties habitus et tractatus, quod in meo discessu, cum illi valedicerem, ipse nullam ad Mtem. vram. S. per me salutationem denunciasset, cum ego illi et literas a Mte. vra. S. et salutem dixissem, quod tunc non amici animi fuit indicium; nam eo tempore octo milia peditum per Marchiam contra Mtem. vram. fuerant transmissa. Que tamen profectio ex nervi defectu evanuerat. Ad hec erubuit et dixit: ex incuria vel etiam oblivione fortassis istiusmodi salutationem omisisse et se aliquando ea de re et pro sanguinis necessitudine, si quid esset neglectum, ad Mtem. vram. Sermam. scripturum, quod etiam ut fieret illi consului, non parum ad amorem et benivolentiam reconciliandam profuturum. Interfuit huic nostre disputationi Klingenberk, et ille pollicebatur, se magnam operam apud suum dnum. daturum meque ad id etiam hortabatur, ut idem facerem, quo firma amicitia et mutua utrinque confidentia inter Mtem. vram. S. et illius Dtionem. conficeretur. Sic hoc solutum fuit symposion.

Postero die venit ad me et iterum istius rei meminit dixitque, quod dnus. marchio certo Mti. vre. S. esset scripturus. Intellexi etiam ex eo, quod nulla res magis movit dnum. magistrum, ut huc mitteret, quam quod cognovisset dnum. Dr. Bork quam celerime huc a Mte. vra. S. proficisci, nesciens, me hic agere, unde timuit, ne quid hic contra eum, cum alias apud cesarem male audiret, expediretur. Alia, que hac in aula habentur, hoc tempore non sunt quam que, ut Mtas. vra. S. mihi mandavit, tam longa historia de omnibus conscripsi. Petoque mihi veniam dari, si quid magis ineptum, quam auribus S. Mtis. vre. convenit, tam incompositis literis exaravi. Cui me humillime commendo et rogo reditus mei clementem rationem habere dignetur. Ex Madrillis XVI Marcii.

XX.

XX. Carolus V., Cesar Austriacus, Fransciscum, Regem Gallie, ad Paviam prelio fudit et captivavit.

Post scripta tandem in eadem hora venit nuncius significans quatuordecim milia Gallorum esse prostrata et interempta in conflictu cum cesare recens habito. MDXXV. Cod. R.

Isti sunt capti.

Sermus. princeps dominus Franciscus, Gallorum Rex,

Serenissimus princeps Navarre rex.

Detinentur duo in castello cremonensi.

Comes S. Pauli,

Dominus de Scuto de Foys,

Dominus de Memeranth,

Dominus de Florentia,

Dominus de Vtigni.

Nomina interemptorum magne conditionis hominum.

Dominus de Trimaglia,

Dominus de Paliza,

Dominus Comes de Amiraglio etc.,

Dominus Mg. marschalcus de Gallia,

Dominus Mg. marschalcus de San Severino,

Dominus de Buczi,

Dominus Franciscus, dux de Anglia de Rosa alba, qui fuit ex Rheno expulsus, frater ducis de Dioclerewa.

Dominus Galliacius de Veschconti,

Dominus Marcus de Trimulciis.

Dominus de Lanzon inventus erat cum duobus milibus equitum ultra fluvium Burgo de Ticino et occluserant se contra Mortaria, civitatem sic dictam, populus vero investigans eundem tam de Pavia quam etiam Alexandria cum omni conatu suo fortiter prostravit.

XXI. Petrus Tomiczki, Eps. Cracovien. Vicecancellarius, Sigismundo II. Augusto, Principi Regio, Sigismundi primi filio.

Sacra regia Mtas. et Dne. Dne. Clementissime. Post servitutis mee et orationum commendationem. Cum ad me paucis ante diebus Vilna reversus esset Jacobus Paczynski, scriba et servitor Ex cod. mss. bibl. Capit. Gnesnen.

meus,

MDXXV *meus, narravit mihi, cum primum studium meum et observantiam, ita ut in mandatis ei dederam, ad S. regiam Mtem. vram. verbis meis detulisset, quesivisse eam e vestigio, num quid a me literarum attulisset, neque obscura signa dedisse eam desiderii cujusdam singularis, quare majorem quam dici queat cepi voluptatem. Tacite enim inde conjecturam facere potui, quanti me S. R. Mtas. vra. faceret, cum ejus pre ceteris officium in scribendo requirere soleamus, in quem quam suavissime sumus effusi. Neque vero admissurus fueram, ut id a Mte. vra. requiri jure possit, sed et tanta illam ejus rei cupiditate teneri nesciebam, et quod scribere magnopere non habebam, neque enim adhuc eo etatis S. M. Vra. progressa est, ut seriis gravibusque de rebus aliquid a me ad illam scriptum debere arbitrabar, nullo autem aut levi aliquo argumenti genere scribere, neque persone neque etatis mee esse videbatur; sed in S. Mte. Vra. verum id esse comperio, virtutis ingeniique nonnunquam esse quam etatis cursum celeriorem, quare faciam equidem non invitus, ut de iis rebus, que neque etati S. Mtis. vre. non apte ingenio vero majorique quam pro etate gravitate vel maxime future sunt accommodate, h. e. ut gravissimis de rebus (quoad ejus modi fieri solent) brevissime scribam, si prius hoc unum quasi prefatus fuero, Sermum. parentem S. Mtis. vre. sepe quidem a multis, nunquam tamen satis a quoquam pro dignitate laudatum, jam inde a multis annis, priusquam canum esset caput utriusque nostrum repertum, virili adhuc illa viridaque etate utriusque me pro sua singulari erga me clementia in senatorum suorum consiliariorumque numerum referre dignatum esse, neque locum modo consiliis meis dandum sed fructum etiam judicio suo amplissimum esse tribuendum censuisse. Itaque cum amplissimo Viceeancellarii munere me ornasset, in duobus primum minoribus, mox in eo, quem nunc obtineo, minime penitendo dignitatis gradu princeps me optimus beneficentissimusque collocavit, postremo quo nullum jam altiorem in regno suo dare potuit eum mihi quoque concesserat, in quem ego cum dignus a Mte. sua visus essem, certo tam consilio ascendere nolui, neque minus mihi tanti de me principis judicium hoc gratum fuit, quam ille ipse, in quo me positum volebat, summus honoris gradus. Que mea eo pertinet oratio, ut intelligat S. Mtas. Vra. divina plane atque immortalia Sermi. parentis sui in me constare beneficia meque cum illius tum Vestre S. Mti. adeo devinctum esse et obligatum, ut si vitam etiam et sanguinem pro salute dignitateque Mtum. Vrarum profunderem, vel minimam meritorum partem assecutus tamen esse non viderer, atque ut una istud quoque S. Mtas. Vra. secum diligenter expendat, si Sermus. parens ejus, rex ipse prudentissimus, eo ipso tempore, quo nondum eram ita multum etate provectus, tantum tamen servitoris et capellani sui consiliis loci dandum esse putavit, ut fructum ex iis me ferre vellet uberrimum, quid sit S. Mti. Vre. ea in etate faciendum, cujus inscitia senum esse dicitur constituenda prudentia, precipue cum quo plura Sermo. parenti S. Mtis. Vre. debeo, hoc me majori studio in eam curam cogitationemque incumbere oporteat, utque Sermus. parens profuisse sibi quandoque consilia mea judicavit, ex iis ad vram S. quoque Mtem., illius dominiorumque heredem designatum, aliqua possit utilitas pervenire. Eo certe mee cogitationes referuntur omnes, in eo consumuntur, hec est ergo consilii mei summa: etiam atque etiam diligenter ut consideret S. Mtas. Vra., quibus studiis etatem hanc teneriorem traducendam putet. Permagni id interest vel ad laudem et gloriam S. Mtis. Vre. vel ad nostrum omnium, qui in fidem illius et potestatem voluntarii nos contulimus, salutem atque incolumitatem, que ita est cum*

cum S. Mtis. Vre. salute implicita, ruere ut nos non possimus, ut non illa quoque, quod Deus omen obruat, eodem labefacta motu concidat. Cum itaque fortune nostre omnes omniumque salus nostra coheret, non aliunde quam a S. Mtis. Vre. institutione educationeque pendere videatur, de ea re ita censeo, cum utile et jucundum, tum amplum atque inprimis honorificum S. Mti. Vre. futurum, si tenera hac etate, que nondum gravioribus est ferendis laboribus, artibus his pectus infecerit suum, ex quibus, quemadmodum sibi primum, tum aliis sit imperandum, perdiscere possit; neque enim existimare debet S. Mtas. Vra. ad regendos et gubernandos homines satis esse regem nasci. Sunt ea precepta diligenter tenenda, que ab iis, qui non laudem modo, verum etiam administrationem prudentie sunt consecuti, futuris regibus aut imperatoribus conscripta feruntur, nisi forte, nullum esse artificium, quod opera manuque constat, tam vile et sordidum, quod non arte alicujus preceptorumque indigeat, recte putantes solam administrandi Regni gubernandorumque hominum rationem absque ulla doctrina preceptioneque teneri et percipi posse arbitramur. Ego vero in ea plane sum sententia et opinione, ut literis eruditioneque nulli opus esse magis existimem, quam his, quorum Deus in regendis mortalibus vicaria quadam opera utitur. Ceteri enim mortales, si qua in re ab officio et religione declinaverint, si nulla sint ipsa bonarum artium cognitione instructi, facile tamen amicum reperiunt, a quo erroris sui admoneri, cujus cohortatione ad officium revocari possint; princeps autem literarum omnino rudis et imperitus, si quid peccat, et pessime publico peccat, et neque ipse se peccare intelligit, neque ab alio edocetur, ex quo majorem de se felicitatis opinionem animo combibit, eo difficilius recta cujusquam consilia admonitionesque admittit, quicunque vero aut sperat aliquid aut metuit, is, ut maxime velit, libere tamen, quod sentit, principi dicere non audet, sole charte librique, quoniam nec boni quidquam sperant nec mali metuunt, eque principibus atque iis, qui nullo loco nulloque numero sunt, id quod rectum est, magna cum libertate dicere nihil dubitant, in quibus legendis perdiscendisque, si plus esset laboris et molestie quam voluptatis jucunditatisque, non tamen satis juste cause videri debent, cur animus cujusque refugere ab iis posset; nihil enim preclarum quod non idem arduum et difficile, nunc autem solis in literarum studiis summa cum utilitate conjuncta est delectatio. Que quidem aliis ex rebus omnibus fluxa et fragilis atque ejusmodi ut major eam .... e vestigio consequatur, ex hac sola solida et diuturna vel potius sempiterna percipi consuevit. Potest enim eo esse quicquam dulcius, cujus ipsa natura nobis cupiditatem atque ardorem quendam ingenuit incredibilem, a qua sicut ad cursum equus ad arandum bos, ad indagandum canis, sic nos ad duas res, ad intelligendum et agendum nati et producti esse videmur, priorem ut etatem intelligendis, posteriorem agendis rebus tribuamus? Itaque videmus eos, qui dulcedinis illius suavitatisque, que in literarum studiis abstrusa est et recondita, gustum aliquem ceperunt, neque valetudinis neque rei sue familiaris rationem habere soleant atque etiam si incommoda eis dature sint litere, maximo tamen in eas studio ac incredibili cupiditate ferri, quod quidem non de privatis modo et philosophis, verum etiam de summis ducibus et imperatoribus memorie proditum esse legimus. Fuit hec quondam fuit magnorum principum laus, ut non alia re quam literis ceteros anteire pulchrum putarent iidemque apud priscos mortales reges et sapientes fuerunt. Marcus Brutus vir et in republica romana princeps et ad omnia summa natus eo ipso die, quo pugna erat Pharsalica futura, in qua de vita sua fortunisque MDXXV.

omnibus

MDXXV. *omnibus decernendum sibi esse videbat, tanta dicitur legende historie voluptate captus fuisse, ut impendentis periculi oblitus in id usque punctum temporis absque ulla intermissione legeret, quo in aciem dimicationemque descendendum erat. Cajus vero Julius Caesar quo tempore hostium vi atque impressione compulsus in fluctus a navi se projecerat et vite salutique sue natando consuleret, altera tantum manu, cum undique ab hostibus peteretur, natando usus, altera vero libellos in altum, ne madescerent sustulisse legitur, neque minor ei libellorum quam salutis viteque conservande cura fuisse traditur. Adeo principes viri non minus esse discere quam vincere aut jucundum aut necessarium putaverunt. Sed fortasse non perinde eos studia literarum delectant, qui non ita magnos in eos processus esse cernunt, ita natura comparatum est, ut quo preclarior, quo admirabilior, quo magis est res aliqua expetenda, hoc aditus ad illam atque ingressus sit difficilior, sicut magnarum arborum altitudo nos delectat stirpes radicesque non item, ita in literarum, ita in virtutum studiis progressiones voluptatem mirificam, initia vero primique introitus aliquid laboris et molestie afferre consueverunt, ut non aliud esse debeat exitus amarissimi certius argumentum, quam si cujus rei principia sint jucunda. Sed certe iis, qui magno et excelso sunt animo nulli labores tam ardui videri possunt, quos non fructus non glorieque magnitudine facile putent compensari. Atqui haud scio, an ulla ex re quam ex literarum studiis magis solida et expressa possit gloria comparari, cujus cum pre ceteris principem oportet esse studiosissimum, potestne res esse ulla, in qua sibi magis elaborandum putet, quam ut quo uno a bestiis homines maxime prestant, hoc hominibus ipse antecellat? Vidit hoc Macedonum ille rex Alexander, non sine causa magnus appellatus, ut qui majorem orbis partem sub imperium ditionemque suam subjunxerit, qui cum moleste ferret, que ab Aristotele preceptore didicerat, ea vulgata esse ab eo et in lucem edita: „quanam" inquit, „tandem re prestare illis poterimus, si que abs te sumus edocti, ea vulgo iam nota erunt omni„bus, ne ego multo malim doctrina quam divitiis atque opibus ceteros anteire." Putabat rex prudentissimus in nihilum se coactum esse, si nihil sibi relictum esset, quo ceteris mortalibus doctior videri posset. Doctrine vero thesaurum omnibus omnium regum gazis longo intervallo non dubitanter anteponebat. Neque vero id injuria, siquidem sola esse doctrina videatur, que Deo similem hominem reddat. Etenim cum optimus ille rerum omnium conditor et creator suam in creandis nobis effigiem expressisse legitur, non est, quod in corporis lineamentis nobis cum brutis communibus aut in vultu ad celum erecto, cuius et simiam participem esse videmus, effigiem illam positam esse putemus. Nihil habet Deus, qui spiritus est, cum hac carnea et terrena mole commune, sola ratio divinitatis est particeps neque alia est in nobis imago Dei, quam ipsa ratio, quam qui doctrinarum studiis diligentissime excoluit, is ad Dei similitudinem tam prope accessisse existimandus est, ut qui mortalis quidam in terris Deus adpelletur non indignus esse videatur, cum presertim Deum ipsum eterna illa in domo nihil aliud facere quam rerum contemplationi vacare legamus. Quarum, cum et utilitatem S. R. Mtis, Vre. et solidam voluptatem literarum studia sint allatura, laudem vero et gloriam tantam vix ut ex celo capi posse videatur, cum una sit hec ad immortalitatem divinitatemque comparandam via, nihil opere studij et laboris pretermittere illam oportet, quo possit in eis tantum proficere, quantum profecisse futurum sit eam non peniteat.*

Quoniam vero qui alterutra tanta in re elaboraverunt, ut vel literas sine virtute vel virtutem sine

sine literis consequuti sint, iis videntur non dissimiles, qui altero oculo coperti altero tantum prospiciunt, qua ex re et ingens incommodum et multo turpitudo maior ad eos pervenit. MDXXV.

Danda erit nobis opera, ne nos quoque eodem turpitudinis recidisse videamur et aliquid etiam de iis, que ad morum integritatem pertinere judicabimus, dicendum.

Neque vero ea me de sententia depelli facile patiar, qua mihi semel est firmiter persuasum: ita esse inter se conjuncta et connexa literarum studia et virtutum, ut altera absque alteris consistere nullo modo queant; qui enim fieri potest istud, ut aut qui virtus quid sit ignorat, virtute preditus esse possit, cuius specie deceptus sepenumero in finitimum illi vitium incurrit, aut qui virtutis vim perspicit atque eam rem unam optimam esse intelligit (cum natura bona omnia omnes expetant) non ardentissimo erga id, quod optimum esse videt, amore feratur? Non incredibili potiundi eius cupiditate teneatur? Cum presertim tanta vis virtutis esse feratur, ut simulatque mentis eam oculis cernendi potestas a Superis alicui data fuerit, tantum in eo sui ardorem excitet, ut vel invitum et recusantem in sui amorem rapiat atque ita inflammet, ut pre una ea omnia putet esse contemnenda et pro nihilo ducenda. Certe neque amat temere quisquam, quod non cognoscit, neque potest eius, quod bonum esse cognoscit, amore non rapi singulari. Quamquam itaque tam amice inter se conjuraverunt doctrinarum et virtutum studia, ut disjungi et divelli ab invicem ulla ratione possent, ne qua tamen in parte officio meo satisfecisse non videar, pauca quedam recte vivendi consilia adscribam. Plura et copiosiora ex iis autoribus S. M. Vre. petere licebit, quorum salubribus preceptis mentem suam expoliendam curabit. Ego ea, que maxime necessaria esse duco, strictim breviterque attingam.

Nullam esse statuo pestem adolescentie captatiorem quam pravum pravorum commercium, cuius tanta est vis, ut si qui alicui dati sunt a natura virtutum igniculi, ii nulla re alia citius, quam mala malorum consuetudine extinguantur. Itaque factum sepe videmus, ut quorum optimam in partem adolescentia fuit cognita, de quibus ea omnium erat opinio, ut facti a natura viderentur ad virtutem, ii, simul atque perditis ac profligatis adolescentibus familiariter uti ceperunt, repente e vestigio tanquam e poto circeo poculo et pristinam dominis formam exuerint et in eorum, quibuscum consuetudo illis fuerat, mores abiverint. Quam ob rem, quanto ea in re plus est periculi, tanto S. R. Mti. Vre. maior est cura adhibenda, diligenter ut prospiciat, qui sint ii, qui se in familiaritatem eius velint immergere. Si qui fuerint eius generis, ut assentaciunculis gratiam sibi Mtis. Vre. occupare studeant, neque dubitent ad voluptatem omnia referentes unam illam pestilentissimam vocem auribus eius instillare: Regi quod libet licet, eos cane prius et angue odisse, eos a convictu suo familiaritateque procul debet repellere; atque hanc sententiam pectori suo inscriptam habeat, sepius multorum regum opus assentationem quam hostem evertisse; viros autem graves, de quibus habetur preclara virtutis opinio, eos imprimis amplectatur, ab eorum latere, si fieri possit, nunquam discedat, neque ad ludum jocumque, sed si quemquam mortalium, se pre omnibus ad res maxime serias gravesque ad intelligendum, ad agendum natum esse sciat. Neque cuiquam minus quam sibi licere persuasum habeat, quivis enim de fece vulgi liberiores habet rerum omnium voluntates, quam Regia Mtas., que tot populis, tot gentibus imperatura, non ad aliud se quam ad intelligendum, ad agendum se natum esse semper debet meminisse. Non eo id scribo, quod S. Mti. Vre.

MDXXV. *Vre. omnibus solatiis honestis interdictum esse velim, longe absum ab ea sententia. Licebit Mti. Vre. dare se interdum jucunditati, licebit ludicris, certaminibus, licebit pile, licebit venationibus, equitando, currendo corpus exercere; etenim remittere quandoque animum non solum opus est, verum etiam necesse, qui si semper gravibus curis distentus sit, conficitur corpus et debilitatur. Neque quod libenter faciat, diu quis facere potest, sed et honesta velim solatia et modum eis adhiberi et eam semper cogitationem animo S. Mtis. Vre. observari bone tantum valetudinis causa conservande non esse hec aliquando obmittenda; ceterum aliarum rerum intelligendi agendique curam principi esse debere potissimam.*

Illud tamen inprimis Mti. Vre. observandum puto, festis ut diebus a ludicris, certaminibus, precipue vero a venationibus abstineat, neve nisi Sacris prius operata fuerit, cibum in illis capiat; est enim equissimum, mentem prius quam corpus cibo refici, neque quicquam est rei divine prevertendum.

S. Mtas. Regia. Ubi majores in literis habuerit progressiones, ab omnibus iis, qui omnium seculorum res gestas literis mandaverunt, ita esse memorie proditum reperiet, iis demum regibus et principibus feliciter atque ex animi sententia cecidisse omnia, qui divini cultus fuerunt studiosissimi, eos contra grandi mactatos semper infortunio, qui se hac in parte negligentiores prebuissent. Non longe abierit. S. Mtas. Vra. Sermus. parens illius, quot et quantas victorias et triumphos de multis suis atque iis sempiternis hostibus reportavit, nunquam fere — faxit Deus ut proprium hoc cum illius tum vre. quoque S. Mti. sit et perpetuum — in dubiam Martis aleam descendit, descendit autem sepius quam quisquam vel nostra memoria regum et principum christianorum vel omni memoria nostrorum regum, quin divina ope et misericordia adjutus victoria semper fuerit potitus. Id alius militum robori, alius imperatorum virtuti tribuet, ego quanquam de horum quoque laude nihil delibatum cupio, felicitatem tamen hanc Sermi. Regis nostri soli pietati illius ac religioni acceptam ferre nihil dubitaverim.

Possem etiam non neminem commemorare arctissima necessitudine Mti. Vre. conjunctum, qui cum voluptatibus se totum tradidisset, Dei timorem ex pectore excussisset, studium religionis abjecisset, cuius rei sine lacrimis meminisse non possum, viridi etiam tum etate, recenti omnium memoria et se et regnum suum perdidit. Sed odiosis in exemplis nomen tacuisse satius fuerit. Per Deum immortalem queso atque obtestor S. Mtem. Vram., domesticis ut exemplis hisce incitata impietatem fugere, religionem amare discat. Nos Mtem. Vram. et regem habemus et dominum, ipsa quoque alium multo habet majorem potentioremque regem et dominum, quem nisi timuerit, nisi coluerit, nisi dicto audiens illi fuerit, nunquam Mtas. Vra. tam graves a quoquam subditorum suorum imminute Mtis. sue penas expetere poterit, quin ille — quod tamen procul omen avertat — multo sit ab eadem graviores exacturus. Quin etiam qualem se erga fidei potestatique sue subjectos S. Mtas. Vra. gesserit, talem regem vicissim erga se experietur. Qua porro fide et observantia erga illum fuerit, eandem a suis expectabit.

Sed hoc ex sacris concionibus melius discet Mtas. Vra., quas quidem et sepe et diligenter ab ea audiri velim, nihil fieri poterit beatiusque feliciusque, si et audire Deum et loqui cum Deo statis temporibus unquam intermittet. Tunc autem audire se Deum putabit, cum preconem eius divina precepta proferentem audiet, Deum audit, qui eum audit, Deum contemnit, qui eum contemnit. Loqui vero cum Deo tum se Mtas. Vra. existimet, cum vel in cubiculo suo, vel

vel in templo puro ex corde preces ad S. eius Mtem. fuderit. Id quod quo faciet frequentius, hoc se in maiore eius gratia insinuabit, futurumque est, ut S. Mtas. Vra. et in hac vita prosperos et felices rerum omnium successus sit habitura, et cum eternam illam in domum ex hac luce emigraverit — id quod utinam sero contingat — et pietatis et religionis sue premia latura, que nec oculus vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendent.

Habet S. R. Mtas. Vra. ut desiderare a me visa est, meas literas, sed longiores fortasse, quam volebat, mihi vero non erat initio propositum tam copiose scribere, sed amore erga Mtem. Vram. provectus sum longius, cui, si operam hanc meam gratam esse intellexero, quidem non gravabor sepius eam navare atque omnia ad eam identidem consilia mea perscribam, que huic eius etati fore putavero accommodata.

Hoc a Sacra Mte. Vra. maiorem in modum peto, ut me servitutemque meam Sermis. parentibus suis diligenter commendet eosque roget, ut qua me presentem gratia sunt aliquando ex clementia prosequuti, eandem absenti quoque nunc impartiri dignentur. Si fidem erga se meam et observantiam tot iam annorum spatio perspectam habent et multis in rebus exploratam, si nihil de ea ne nunc quidem propter hanc locorum disjunctionem detractum esse intelligunt, si curas meas omnes, omnes meas cogitationes in eo vigilare vident, ut magis in dies atque magis omni meo obsequio eorum mihi voluntatem demereri, eorum gratiam augeri posse, faciant hoc pro sua bonitate principes optimi clementissimique, ut mei absentis corpore, animo presentis, ad omnia jussa eorum et mandata exequenda promptissimi paratissimique benignam rationem habere dignentur. Hoc si Mtas. Vra. ab illorum Sermis. Mtibus. optatum tulerit, nullum eo maius, nullum gratius, nullum dare mihi munus poterit optatius.

Quod reliquum est, dnum. Deum oro et orare nunquam desinam, ut S. Mtem. Vram. in sua gratia inque rerum omnium affluentia et summa felicitate salvam ac incolumem quam diutissime conservare dignetur, cui me rursus suppliciter commendo. Datum in arce mea Bodzecin die II Aprilis.

Bodzecin według Jeografii Polski starożytnéj przez Joachima Szyca Bodzantyn, według Jeografii Wład. Łubieńskiego Borzęcin, a według słownika Jeograficznego przez Vogsena Borzecin zwany, jest to miasto w województwie Sandomirskiém położone, gdzie biskupi krakowscy mieli rezydencyą, a według katalogu pralatów krakowskich przez Lętowskiego (Tom II p. 85) część zamku tego rezydencyalnego Piotr Tomicki restaurował i tam mieszkał będąc biskupem krakowskim od r. MDXXIII do MDXXXIV rządząc już dawniéj dyecezyą krakowską jako koadjutor biskupa Konarskiego cum jure successionis, od roku MDXXIII jak dowodzi bulla Klemensa VII papieża z dnia XIX Kal. Januarii MDXXIII w któréj donosi arcybiskupowi Gnieźnieńskiemu, że po rezygnacyi biskupstwa krakowskiego przez biskupa Jana postanowił biskupem Piotra, i tego poleca protekcyi arcybiskupa, jako jego suffragana. Bulla ta jest w archiwum gnieźnieńskiém.

Dat. Gniezno d. III Października MDCCCLIV.

Przypisek Xiędza Kanonika Wałkowskiego.

XXII.

XXII. Donatio decimarum.

MDXXV. Ex cod. mss. bibl. Korn. *Petrus, dei gratia eps. cracoviensis et Regni Polonie vicecancellarius, significamus tenore presentium universis etc. Quia donavimus de gratia nostra speciali venerabili dno. Stanislao Lipniczki, canonico et officiali nostro sandomiriensi, meritis ejus sic exigentibus, decimas ad mensam nostram episcopalem spectantes in villa Lipnyk, damusque et donamus ad beneplacitum voluntatis nostre. Et proinde tibi, generoso Nicolao Zebrzydowski, capitaneo nostro moderno zlotensi et aliis capitaneis seu collectoribus clavis zlotensis, pro tempore existentibus, committimus et mandamus, ut eundem dnum. Stanislaum Lipniczki ad perceptionem liberam dictarum decimarum admittatis nec illum quoquomodo impediatis aut impediri faciatis ad beneplacitum nostrum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est impressum. Datum in Bodzanczin.*

XXIII. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Gedanenses.

Cod. bibl. Ossolinianae. Cum dudum controversie et animorum dissensio in hac insigni civitate exorta fuissent, Sermus. dnus. noster rex, celeberrimus alioquin princeps pacis, qui subditos suos clementia et gratia regia prosequi consuevit, ad hujusmodi dissidia sedanda, pacem et concordiam procurandam, nuncios suos huc mittere destinavit. At cum id minus necessarium esse affirmaretis eo, quod omnia apud vos tranquilla et paccata dixeratis, idem Sermus. dnus. rex noster pro votis vestris sententiam mutavit.

Interea tamen nihilominus periculosi motus multifariam emerserunt cum alias sepe tum proxime preteritis diebus, que res ad Mtem. regiam a plerisque relata propter sui indignitatem fidei locum non invenit, donec eam vris. literis ipsi significaretis, quibus et polliciti estis nuntios vros. ad comitia petrikoviensia, qui cause conditionem declaraturi fuissent, missuros. At cum diu expectati (quod Mtas. sua miratur) minime venissent, et Mtas. sua sciendi desiderio teneatur, nos huc amandavit, ut, totius negotii serie diligenter inquisita et ex vobis intellecta, rem ad Suam Mtem. quantocius referremus.

Ceterum cum Sermus. dnus. noster rex, insignis christiane pietatis princeps, ad publicam quietem animum regium semper intendat, precipue tamen ea meditari consuevit, quibus subditorum suorum concordia, pax et mutua charitas coalescere publice et private, civium fortune incrementum accipere possint, quibus quum predicta dissidia vehementer repugnent, non abs re sue Mti. regie adversa ac molesta esse deberent, nisi Mtas. sua cum inclito regio senatu facile expenderent tam graves et precipites motuum hujusmodi tempestates sine causa quapiam ardua haudquaquam oriri potuisse.

Ut autem major incommodi et turbarum estus in posterum vitari et regii subditi ad quietem et concordiam reduci possint, decrevit Mtas. sua, licet aliis arduis negotiis prepedita, vos (quod utique non potest non esse jucundum et plausible) in propria persona brevi, deo fortunante

fortunante, invisere, omnes differentias, dissidia et animorum acerbitates inter vos et alias passim in Prussia exortas commodissimis, ut fieri potest, rationibus, deo adjutore, sedare, paccare et penitus tollere, pacem et tranquillitatem procurare, ac omnes et singulos hominum ordines in bonum ac fecilem statum componere et preterea, quicquid in rem et fortunas vestras aliorumque subditorum suorum esse possit, vestro et aliorum primatum Prussie communi consilio deliberare et constituere. Que Mtas. sua per nos significari vobis voluit, ut interea juxta privilegiorum vestrorum continentiam ad hujusmodi jucundum sue Mtis. adventum omnia rite curare et disponere possitis. MDXXV.

Proinde hortatur clementer et severius Mtas. sua regia mandat, ut interea temporis nihil a modo innovetis aut quippiam, quod novos motus excitare posset, ullo pacto attentetis, sed cuncta usque ad hujusmodi felicem Mtis. sue adventum sine mutatione aliqua quieta et paccata permittatis.

Nec vos Mtas. sua latere vult, ad dni. magistri Prussie diligentem sollicitationem in negotio induciarum ad festum Epiphanie diem Posonii constitutam fuisse, verum cum Mtas. sua satis percalluisset, principes, quorum arbitrio res commissa fuit, in propriis personis eo non venturos, e re sue Mtis. et regni sui fore, non est arbitrata, ut tam ardue et gravis cause cognitio eorundem principum nunciis, in quos sua Mtas. non compromiserat, crederetur. Ideoque diem hujusmodi repudiavit.

Attamen, ubi dnus. magister concordiam appetet et ipsi principes, qui pacis conciliande negotium sumpserunt, quorum adventum Mtas. sua prestolatur, honestas conditiones non rejecerint, vult Mtas. regia se ita exhibere, ut sibi nihil imputari possit. Sin minus, et bellum, cui Mtas. sua nec antea dedit, nec ullam datura est occasionem, (quod absit) reinstaurandum sit, certo vobis persuadere debetis, suam Mtem. vos non derelicturam, sed ut sincere sibi dilectos subditos contra quoslibet hostes regia protectione defensuram, et propterea duos ex aulicis suis, rei militaris peritiam habentes, ut vobis industria et consilio suo assint paucis familiaribus suis, qui vobis oneri esse non possint, comitatos brevi istuc missuram. Que sibi vicissim certa fiducia et firma spe pollicetur, vos omnes et singulos erga Mtem. suam et inclitum ipsius regnum Polonie non secus quam probos et integre fidei subditos pro jurisjurandi vestri debito, honeste et irreprehensibiliter exhibituros et fine induciarum appetente in eventu, si pax (quod absit) non coaluerit, civitatem et propugnacula omnibus rebus necessariis instructuros ac cuncta, que in eam rem conducibilia sunt, recte curaturos.

XXIV. Carolus V., Cesar Romanorum, Clementi VII., Summo Pontifici.

Beatissime pater, domine clementissime. Exhibuit nobis Rdus. Balthasar Castilioneus, apost. sedis protonotarius, vre. Sctis. apud nos nuncius, literas Beatitudinis vre. annulo piscatoris obsignatas, data nona Marcii et pro credentia ei commissa nobis etiam nonnulla verbo scriptoque retulit. Placuit profecto ex iis didicisse optimum vre. Sctis. in nos animum, Cod. R.

 de

MDXXV. de quo nunquam dubitavimus nec diffisi sumus, nec in malam partem, quod gestum est, cepimus, sed benignius interpretati sumus, prout Sctas. vra. ex literis nostris, quas septima fluxi mensis Februarii ad eam dedimus jam aperte didicisse potuit, quam semper ut patrem habere, observare et ut Christi vicarium christianique gregis pastorem venerari et colere cupimus. Nec immerito vra. Sctas. de nostra in hostes victoria congratulari letarique videtur; a domino enim factum est istud et est mirabile in oculis nostris; hinc enim prebuit divina clementia iter, quod hominibus non patebat, sed invium clausumque et quasi desperatum videbatur: ad pacem scilicet quietemque Christianorum ad hostes fidei repellendos conterendosve, ad hereses sectasque erroneas extirpandas, ad christianam religionem ampliandam stabiliendamque gregem quoque dominicum in unum ovile redigendum. Nihil enim cordi nostro ab ineunte etate magis inerat quam ut Deo imprimis, deinde christiane rei satisfacere possemus, unde is qui scrutator est cordium, qui mentem nostram novit et nihil ignorat, sue pietatis oculos in nos convertens impedimenta ac offendicula, quibus iter pacis precludebatur, submovit caliginosam nubem, veritatis notitiam obumbrantem, claritatis sue lumine abstersit gressusque nostros in semitam rectam disposuit. Nec ab re vra. Sctas. prophetico quodam spiritu predixerat, fedus illud cum Gallo percussum communis pacis auspicium fore. Gallus enim fretus fundamento virium suarum, ut arbitrabatur inconcusso, seque multo superiorem putans, vincitur invitusque ad equas pacis conditiones trahitur. Quod superest Sctis. vre. nuncio et verbo et scripto respondimus. Et amplius per oratores nostros vre. Scti. referendum explicandumque commisimus, quibus eadem Sctas. vra. fidem prestare dignabitur. Quam diu feliciter vivere et ecclesie sue preesse cupimus. Datum in oppido nostro Majoreti die IV Aprilis.

XXV. Petrus Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Mauricio Ferber, Epo. Varmiensi.

Paulo ante creationem Ducis in Prussia.

Cod. B. Rme. in Christo pater et domine amice charissime ac honorandissime. Cum dominus Ebrehardus Ferber, frater Rme. Ptis. vre., ad suam causam agendam huc venisset, reddidit mihi plures epistolas ab eadem multa et varia negotia tum publica, tum privata in se continentes. Scribit Rma. Ptas. vra. primum de factione luterana, que non modo in terris et oppidis ordini subjectis, verum etiam in ditione regie Mtis. terrarum Prussie in dies augeatur et invalescat. Perspicio quidem et ego eandem factionem in ecclesia christiana olim aliquam magnam perturbationem parituram, tamen in utramque partem conjiciendo suspicor etiam fieri posse, ut quod ipsi fratres Teutonici ex ejusdem factionis motu rebus suis aliquid conducere autumant, id totum fortunam ipsam in perniciem et detrimentum eorum conversuram. Quia enim Luterani libertatem quandam christianam vulgo ubique inculcant et pretexunt, possibile est consequi, ut subjecti ordinis ad talem libertatem aspirantes excusso fratrum jugo quacunque ratione se in libertatem vendicabunt.

Constituit

Constituit regia Mtas. de hoc toto negotio et de ceteris ad pontificem maximum referre. MDXXV. Ubi vero Rma. Ptas. vra. suum et ecclesie sue detrimentum, et jacturam queri videtur, justissime id quidem; cui enim non perspectum est atque cognitum tam florens, tam opulentus episcopatus ad quos egestatis terminos redactus fuerit? Sed quam difficile sit regie Mti. huic casui mederi, nunc ipsa consideret, neque enim scit Rma. Ptas. vra., quam paucos redditus, quamque pauca vectigalia regia Mtas. ex Prussia habeat, unde ecclesia varmiensis ex tanto casu refici et relevari deberet. Nam quod Rma. Ptas. vra. quandam mentionem castelli Sthum fecerit, sciat idem castellum a regia Mte. domino calissiensi palatino, capitaneo marienburgensi cum omnibus redditibus ejus esse donatum, tantisper dum capitaneatum marienburgensem gerit, et quod sua Mtas. alicui semel contulit, id eam revocare neque velle neque decere. Proinde cum ejusdem Rme. Ptis. vre. et ecclesie ejus per regiam Mtem. refocillande et relevande nulla nunc occurrat facilis ratio, pro humanitate et modestia sua feret equiori animo, si ejusdem desiderio in hac parte nunc minime satis fieri potest; tamen ego pro singulari mea erga eum benivolentia captabo occasiones rerum et temporum, ut si alicunde sors aliquid tale objecerit, quod sine magno impendio regie Mtis. constare posset, id in subsidium et ornamentum ejus conferretur. Breve apostolicum ad regiam Mtem. a pontifice Adriano perscriptum, quod mihi Rma. Ptas. vra. misit, nihil aliud in se continet, quam commendationem persone et ecclesie ejus, ut tamen plenius effectum ejus intelligeret, ejusdem brevis exemplum mitto.

Quod vero ad subjectos Rme. Ptis. vre., qui modo in potestate magistri et ordinis sunt, attinet, regia Mtas. ea de re nihil aliud nunc statuere voluit, quam illud, quod eidem nuper Petricovie existenti faciendum et curandum commisit. Necesse igitur est, ut se in ea re sue Mtis. Serme. conformet Rma. Ptas. vra. eique ad tempus acquiescat. Cum magistro Prussie et ordine, que sit spes pacis aut belli, quia vra. Rma. Ptas. id a me requirit, ita habeat: me de ea re nihil aliud ad eam perscribere posse, quam illud, quod regia Mtas. ceteris Prussie dominis atque ita et Rme. Pti. vre. significavit, id autem est ejusmodi. Rex Ungarie et dux Ferdinandus agunt de prorogatione induciarum, Georgius item brandeburgensis marchio et Fridericus, legnicensis dux, videntur niti et rationes et consilia inire, quibus bellum inter regiam Mtem. et magistrum Prussie penitus sustollerent et honestis mediis summam amicitiam firmarent. Jam negotium ejus rei videtur propemodum pre manibus fieri. Si quid certioris et solidioris conjecture vel rei geste se obtulerit, non pretermittam Reverendissimam Ptem. vram. aliis literis facere certiorem.

In causa dni. Ebrehardi Ferber, fratris Dtionis. vre. Rme., quam cum urbe gedanensi habet, quomodo processum, quomodo actum, quomodove definitum fuerit, ex eodem ipso fratre apertius coram intelliget. Multa producebantur ultro citroque. Accusatus est dnus. Ferber Mti. regie, quasi ipse et seditionem concitare voluisset et pactis atque conventis, que ex unanimi omnium civium consensu constituta sunt, non stetisset et quod sibi urbe interdictum sit quodque bona ejus publicata sunt, id nulla vi, sed jure et legibus factum esset, obtulitque pars adversa, h. e. urbs ipsa hec omnia se per depositiones testium probaturam, cumque tales depositiones nisi cum magna difficultate et exaudiri et discerni non possunt, regie Mti. et mihi nihil utrique parti magis salubre et frugiferum videtur, quam res et totum hoc dissidium per

 aliquas

MDXXV. aliquas personas idoneas aliquibus honestis et tolerabilibus rationibus, priusquam ad contentionem judicii commissarii deveniet, componeretur. Est quidem dnus. Ferber justo dolore, quo sibi nimio plus indulget, exacerbatus, ita ut quemadmodum ceteri mortales, ita et ipse in causa sua non satis sapere videatur. Conatus sum ego ei persuadere, ut negotium mitius tractaret, et cum tam potentes tamque pertinaces adversarios habeat, tempore parumper obtemperaret (video enim rem non sine maxima alterutrius partis jactura decidi posse). Id ipsum etiam Rma. Ptas. vra. pro amore suo in fratrem proque prudentia, qua pollet, ei persuadeat, vel qua est auctoritate jubeat, ut se in hoc suo casu quadamtenus dimittat, nec extremum actum judicii cum fame et rerum suarum discrimine experiri velit. Scripsit namque regia Mtas. commissariis, qui depositiones testium audituri sunt, ut priusquam causa in disceptationem et contentionem deducatur, partibus seorsum persuaderent, ut potius arbitraliter et amice rem inter se componerent. Timendum enim est, ne adversarii fratris, qui ei causam intentaverunt, qua sunt potentia et apud suos auctoritate etiam testes inveniant et sic frater vre. Rme. Ptis. de fama et fortunis periclitaretur. Quod quidem dni. ipsi commissarii, quin diligenter facere tentabunt, non est dubium, modo dnus. Ferber ad id se tractabilem prebere vellet. Igitur Ptis. vre. erit, hec et alia, que ad rem pertinent, ei persuadere. Ego vero pro singulari mea erga utrumque vestrum fide et benivolentia hec significare volui et admonere, que fame et dignitati conductura existimavi ejusdem fratris vre. Rme. Ptis., cui ego nunquam consilio et patrocinio meo deero, modo ipse sibi ipsi non desit et consilia amicorum non aspernetur suoque non usque quaque fidat ingenio. Valeat et sit felix vra. Rma. Ptas. meque habeat sibi charum et commendatum. Datum Cracovie.

XXVI. Joannes Dantiscus, Orator, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. Korn. Post humillimam perpetue mee servitutis recommendationem. Novissime Mti. vre. S. cum dno. Carolo de Bredom, qui a Mte. cesarea cum vellere aureo ad Mtem. vram. S. proficiscitur, longo quodam volumine omnia, que eo se tempore obtulerunt, descripsi, sed cum se hec mihi opportunitas exhibuerit cum nuncio dni. magistri Klingenberk, qui hinc expeditus per mare in Flandriam trajiciet, non potui mihi temperare, quin etiam cum illo de iis rebus, que hic in novis habentur, ista tempestate per manus Fuccarorum ad Mtem. vram. S. scriberem. Venit huc post cesaris victoriam nuncius apostolicus, dnus. Baltazar de Castello, qui stantibus sic rebus inprimis non valde hic fuit gratus. Allate sunt huc postea penultima preteriti litere a pontifice, quibus veniam pro delicto et nova petit federa seque ad omnia, que cesari sunt placitura, submittit. Qua de re ex rumore, qui prius fuit, nunc certa fama est nata: cesarem, cum primum poterit in Italiam concessurum, et ob id conventum regnorum istorum in Toleto constituit, illic pro nervo conquirendo, quibus pedes ad iter hoc ineundum validiores fiant, consultari debet, quo post festa Pasche hos omnes conferemus. Mtas. cesarea V^a istius ad divam virginem de Gardelupe L ab hinc leucis,

leucis, ubi multa fiunt miracula, profecta est; ad primam Maji Toletum ventura. Misit etiam paulo ante oratorem suum dnum. de Benrein cum articulis pacis et liberationis regis Gallie ad illius matrem et ad parlamentum, atque ad ipsum regem captivum et nihil aliud postulat, quam illa, que jure ad se spectant et que de domo Burgundie sunt ablata, de aliis, que jam sunt obsoleta atque inveterata et de quibus dubia est juris disputatio, nihil decrevit petere; paxque omnino speratur futura. MDXXV.

Fertur etiam, quod in Gallia gentes et novi conscribuntur exercitus. Timetur, ne Cesariani impetum faciant et ne animi Gallorum penitus decidisse videantur. Nuper etiam dictum est, quod oratores insignes huc proficiscantur ex Gallia. Orator cesaris, de quo prius scripsi dnus. de Lasan jam est in Portugalia. Predicatur hic passim ab omnibus, quod sororem regis Portugalie cesari pro conjuge cum dote amplissima secum hic ducere debeat. Si res hec habebit effectum, matrimonium olim cum filia regis Francie et deinde cum ea regis Anglie etiam confectum omitteretur. Sic transit orbis. Quid inde futurum, experiemur. Venerunt huc VI[a] istius post cesaris discessum nuncii Moscorum cum oratore cesaris, Antonio de Comitibus. Excepti cum magna pompa et totius populi admiratione non secus atque si monstra non visa prius inducerentur. Dantur eis omnia abunde, que victum spectant, alii oratores omnes hic vivunt suis expensis. Fuit apud me dnus. Antonius et ad longum mihi retulit, quem in Moscovia egisset et quomodo illic et quam honorifice apud Mtem. vram. S. tractatus fuerit. Ostendit mihi preterea literas Mtis. vre. ad cesarem et alios dominos scriptas in negotio barensi, mihi a nullo mortalium partium nostrarum unum jota attulit, unde hic tam in pruthenis quam etiam in Moscorum rebus surdum et mutum ago. Hodie elapsus est octavus mensis, nam IX[a] Augusti date erant novissime, quas Dr. Bork mihi attulit, quod nullas accepi. Sum igitur in ea expectatione, in qua fuerunt patres sancti in limbo Inferni, neque mihi hinc abire licet, nisi prius Mtis. vre. S. mandatum videro, quod etiam usque ad extremum quadrantem expectabo habeoque certam spem, si de tot literis, quas toties scripsi, une saltem Mti. vre. S. presentabuntur, quod mei clementem habitura sit rationem.

Ante unam horam fuit hic apud me nuncius, de quo scripsi, dni. magistri et me omnium, que mecum confidenter de pace vel saltem longioribus induciis producendis inter Mtem. vram. Sermam. et illius dominum contulit, admonuit rogando me, ut prius, quod si in conventu Posonien. nihil istorum esset confectum, quod tamen non speraret, ut operam impenderem et animum meum ad ea, que pacis et concordie essent, inducerem, multum mihi, qui Mtis. vre. S. sum minimus servus, tribuens et quantum ex eo potui conjectura consequi, ut etiam scripsi in novissimis, dnus. magister est pacis cupidissimus. Attigit etiam inter dicendum, dnum. suum et juventu et per quosdam alios malos consiliarios fuisse seductum, si tamen seorsum cum Mte. vra. S. convenire et fiducialiter colloqui de omnibus posset, majorem quam unquam antea amorem et observantiam erga Mtem. vram S. futuram, hocque summopere, ut cum Mte. vra. Serma. aliquando sine arbitris in colloquium admitteretur, efflagitare videtur. Credo etiam si hoc factum erit, firmiorem amicitiam et benivolentiam inter vram. Mtem. S. et illum nascituram. In his ea, que expedient, Mtas. vra. pro sua incomparabili prudentia non omittet.

Allata

MDXXV. Allata est etiam hic nuper novitas, quod quinque naves Gallorum, qui in finibus Sicilie adventum navium cesaris ex India prestolabantur, tempestate adacti fecissent naufragium et capitaneus illorum cum hominibus, qui in terram salvi evaserant, sunt capti. Iste autem captivus ante annum cesari ingentem thesaurum, qui ex istis novis insulis adducebatur, in mare rapuit, nunc forte penas daturus.

Venit etiam huc heri quidam, qui in Gallia fuit captivus ante Paphiam seu Ticinum captus, ex Burgundia cesaris subditus.

Dnus. de Montferrat, quem mater regis Gallie cum literis ad cesarem et ad reginam Portugalie, dominam Leonoram, misit, salutem et liberationem filii sui, quantum possibile est, procurans. Alia se hoc tempore digna scientia Mtis. vre. Serme. non offerunt. Cui me humillime, ut dno. meo clementissimo, commendo. Ex Madrillis ipsa dominica Palmarum.

XXVII. Joannes Dantiscus, Orator, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. Korn. Rme. in Christo pater et dne., dne. gratiosissime. Humillimam commendationem. Scripsi iterum Mti. regie ea, que post novissimas meas cum dno. de Bredom datas se hic obtulerunt, ex quibus Dtio. vra. Rma. omnia intelliget. Hoc vero quod istius (nuncium) spectat, cum illi (has deferendas) dedi, non audebam ad unguem describere. Adhuc super T ea mihi est mens, quemadmodum prius scripsi. Hic ut prius omnia sunt in .... (paupertate) nihil ex hoc loco est timendum. Hoc quod scripsi de transitu .... (in Italiam) nondum est certum. Res hec eget multis. ... (Papa) facit, quod sui majores semper fecerunt, sed nusquam tuta fides, ... (omnis potentia) solet esse suspecta R.... etiam nondum habetur firmus et hoc matrimonium cum .... inficiet non parum, res nondum est in portu, igitur queruntur amicitie; nihilominus ita esset agendum, ne cum N .... nimium .... (notaretur).

Hec sunt, que mihi hoc tempore videbantur scribenda, que Dtio. vra. Rma. pro mea fide et sua summa sapientia metiatur. Alia hac tempestate se non offerunt. Commendo me humiliter Dtioni. vre. Rme., et per deum immortalem rogo, mei in hoc exilio non obliviscatur. Datum Madrillis oppido regni Toleti IXa Aprilis.

DE

DE CREATO DUCE IN PRUSSIA.

XXVIII. Plenipotentia ad tractandam pacem inter Regnum Polonie et Cruciferos.

Nos Albertus, ordinis theutonicorum magister, marchio Brandenburgen., Stettinii, Pomeranie, Cassubie, Slavorum dux, Burgrabius Norimbergen. et Rugie princeps, fatemur et notificamus evidenter pro nobis et ordine nostro presentibus publicis literis nostris apud universos: quod ex quo nonnulli errores, dissensiones et discordie inter inclitum regnum Polonie ex una, et militarem ordinem Theutonicorum ex altera parte a longo tempore duraverunt, ut he ipse ex usu et commodo prenominate utriusque partis, presertim communis Christianitatis transigi, uniri et seponi valeant: Id circo Illres. principes, dilectus et amicus frater noster, avunculus et sororius noster, dnus. Georgius, marchio brandeburgen. etc. et dnus. Fridericus, dux legnicensis et brigensis, se in hujusmodi causas tanquam internuncios statuerunt, eo nos commonentes et deducentes, ut eorum Charitatibus diffinitivam transactionem tribuere et relinquere vellemus. Quapropter nos supramemorata beneficia, fructum et commoda, que in posterum ex istiusmodi concordia sequi possent, considerantes et ad animum revocantes memoratis ambobus principibus, fratri nostro, avunculo et sororio in his causis idcirco in finem agere consensimus et permisimus sic et hoc modo, quod ipsorum Charitates in his causis egerint, concluserint et postremo unanimiter consenserint et asumpserint, ut ejus eorum Charitates et hujusmodi omnium nostris causa et nomine plenariam facultatem et potestatem nos hoc modo ambobus ipsorum Charitatibus vigore presentium literarum nostrarum pro nobis et ordine nostro, ut de jure et extra jus perpetuo, firmissime, decentissime et efficacissime fieri debet, esse queat et possit, dedimus, quas nos etiam ambabus ipsorum Charitatibus jam nunc per hec scienter dedisse et ita mandatarios constituisse, volumus, quicquid ambe eorum Charitates in talibus causis ita egerint et concluserint, consenserint et unanimiter assumpserint, id perinde a nobis et ordine nostro consensum, conclusum et approbatum esse et manere, quod etiam in perpetuum jam nunc consensum, conclusum et acceptum esse debet. Ubi quoque suprascriptis principibus altiori et latiori mandato opus foret, hoc ipsum volumus illis per hec omnifariam et plenarie pro nobis et ordine nostro vigore et efficacia presentium literarum insuper addidisse et permisisse, promittentes pro nobis et ordine nostro vigore presentium literarum per vera principis verba, per fidem et integritatem omne, quod in his literis nostris scriptum et contentum extat, firmiter et inviolabiliter exequi et observare, contra id nec esse, nec facere quovis modo per omnia et fideliter et extra

MDXXV.
Cod. R.
Cod. Korn.
et bibl.
Ossolinianae.

MDXXV. dolum pro veraci documento perpetue et firme observationis nos memoratus Albertus, ordinis Teutonicorum magister, marchio Brandeburgen. pro nobis et ordine nostro ejusmodi literas nostra manu subscripsimus et solito nostro sigillo a tergo sigillari commisimus. Datum in Kreuczburg II[a] die Marcii.

Quum jam prope appeteret finis induciarum belli prussiaci inter Sermum. Sigismundum, regem Polonie, et Illrem. Albertum, marchionem brandeburgensem, magistrum ordinis Cruciferorum in Prussia, pactarum resque eo deveniebant, ut necesse esset utrumque principem, nisi pax inter eos coiisset, bellum intermissum renovare. Unde magister ipse videns, tantum bellum suis se viribus sustinere non posse, videns etiam se omni spe auxiliorum Germanorum initio magnifice promissorum destitutum esse, factis in Germania tam apud principes quam apud Cruciferos protestationibus, mentem et consilium suum ad pacem cum ipso Sigismundo rege et regno Polonie ineundam convertit. Itaque egit per Illres. principes, Georgium, marchionem brandeburgen. fratrem suum germanum, et per Fridericum, ducem legnicensem, sororium suum, apud ipsum Sigismundum, regem Polonie, ut dux feudalis iu Prussia in locum magistri crearetur et ea ratione pax terris Prussie redderetur.

Hi itaque principes, actores et mediatores supranominati misso nuncio ac literis significarunt se ad ipsum regem causa belli pruthenici tollendi cum sufficienti mandato venire. Unde dum illi iter ingredirentur proposita habitaque fuit in senatu regio deliberatio pacis stabiliende, cujus summa hic infra scripta est, quum adhuc nesciretur, quidnam secum ferrent iidem principes pacificatores.

Tractatus pacis pruthenice inter Sigismundum, Regem Polonie, et Albertum, Marchionem Brandeburgen. Magistrum Cruciferorum in Prussia.

Venerant Cracoviam ad regem Georgius, Marchio, frater magistri, et Fridericus, dux Legnicensis, sororius. Hi propositis apud regem mediis pacem tractabant, magister vero eventum rerum in Slesia expectabat.

Responsum Regis Mediatoribus datum.

Sacra regia Mtas., Illmi. principes, intellexit abunde media hec, que Dtiones. vre. Illme. ad componendam differentiam pruthenicam proposuerunt.

Ac inprimis agit et habet gratias non vulgares ejus Mtas. vris. Illmis. Dtionibus, quod eam curam et sollicitudinem de componendo ipso negotio habere dignentur, Mtas. enim sua pro eo desiderio, quo tenetur ad communem rem christianam et presertim ad Sermi. dni. Ludovici, regis, nepotis sui, statum juvandum libentissime videret, ut et alias testata est, hanc differentiam equis hac honestis mediis compositam iri.

Et quia Dtiones. vre. Illme. ad componendam hanc differentiam hoc potissimum medium proposuerunt,

proposuerunt, ut videlicet Illmus. dnus. magister et ejus posteri de domo Anspach sexus masculini terras Prussie, quas nunc obtinet, in feudum haberet a Mte. sua regia, illi aliquid ex bonis aliis Prussie adderet etc. qua propositione Illme. Dtiones. vre. optime et justissime fatentur et recognoscunt, Mtem. suam esse verum heredem et dnum. omnium terrarum Prussie, utpote cujus predecessores adhuc, antequam Prutheni fidem christianam suscepissent, eas terras possederunt et ab illis tributa debita habuerunt, prout de his litere et monimenta vetusta latius testantur. MDXXV.

Et quum pax perpetua esset inter Sermum. olim regem Casimirum, parentem Mtis. sue, et Magistrum ac ejus ordinem composita, eo processum sit fundamento, ut ipse magister et ejus ordo omnem obedientiam et subjectionem regibus et regno Polonie deberet tanquam his, qui terrarum Prussie veri essent et heredes et domini.

Quumque fide christiana a Polonis suscepta Prutheni recalcitrare cepissent et ad eos coërcendos milites ordinis a ducibus Polonie advocati essent, qui deinde radicibus actis spargere et persuadere conati sunt, se et terras ipsas, quas de largitione et beneficentia ducum Polonie possederunt, modo ad summum pontificem modo ad cesarem nationemque germanicam pertinere, eamque opinionem jam pene universis Christianis instillarunt, scire vellet Mtas. regia, qua firmitudine ee conditiones, quas Illres. Dtiones. vre. proposuerunt, roborari poterunt et quo pacto Illris. dnus. magister, ubi a sede apostolica vel a cesarea Mte. nationeque germanica impeteretur, consistere posset his conditionibus, quas Illres. Dtiones. vre. proposuerunt; quia Mtas. regia nollet aliter, quam in utramque partem consulere et tam dno. magistro ejusque statui, quam sibi et regno suo fideliter et integro animo prospicere.

Et si Dtiones. vre. Illme. colloqui dignentur super his, que sua Mtas regia illis proponi jussit, designavit eis hic prope habitaculum unum, in quo colloqui libere poterunt, et si res indigebit Mtas. sua regia consiliarios aliquos designabit, qui cum illis super his omnibus tractabunt et demum ad Mtem. suam referent.

Summa Deliberationis in Senatu regio habite.

Inter consultandum de firmandis tractatibus inter Mtem. regiam et regnum et inter magistrum et ordinem Prussie, quo in posterum omnibus difficultatibus via precluderetur, ita visum est, ut arbitri, in quos compromissum est, aut eorum delegati ferrent sententiam ex condicto et concordia partium: terras omnes Prussie ad nullum alium, quam ad regem et regnum Polonie jure hereditario pertinere.

Qua sententia, cum lata fuerit, amputabitur omnis occasio per quoscunque homines tractatus ineundos turbandi, quandoquidem per hujusmodi decretum Mtas. regia erit libera de ipsis terris Prussie, ut volet et ut illi et regno videbitur, disponere et tali modo tractatus in partem utramque firmos et securos efficere.

Quod si non videretur posse ipsa sententia per arbitros deputatos ferri, partim quod in eos super articulo juramenti tantummodo est compromissum, partim, quod facultas eorum brevi

 expirabit,

MDXXV. expirabit, visum est posse denuo, vel in eos, vel in aliquos alios super jure et proprietate ipsarum terrarum Prussie compromitti, qui ejusmodi sententiam ex condicto ferrent.

His propositis, que ad firmandos tractatus pertinent, videtur in eam sententiam dnis. ducibus respondendum, quod Mtas. regia, que propter imminentia pericula ab Infidelibus toti Christianitati libenter cuperet, non solum se et regnum suum, sed totum Christianitatem paccari et que adeo non optat bellum aliquod gerere cum propinquis et necessariis suis, ut etiam longe magis cuperet illis in rebus omnibus prodesse et commodare, non gravatur accedere ad eas conditiones, quas eorum Illtes. proposuerunt, ut videlicet terre Prussie, quas ordo possidet, cederent dno. magistro et ejus domui in hereditatem jure feudali.

Verum ut civitates et arces per ipsum dnum. magistrum hoc bello adempte penes illum remanere deberent et presertim ecclesie bona, ad id Mti. sue nullo pacto neque honestum est neque licitum consentire. De suis etiam oppidis et arcibus non modo non videtur equum Mti. regie, ut quicquam ipsi dno. magistro addere deberet, ut etiam sibi merito aliquid concedendum existimet. Quum ee terre ordinis venirent in hereditatem dno. magistro et ejus domui, magis tractatus hi essent ex re et utilitate dni. magistri quam Mtis. regie, cui jam onus incumberet, ipsum dnum. magistrum et domum ejus in ipsarum terrarum Prussie possessione a quibusvis impetitionibus tueri ac defendere.

Igitur equum Mti. regie videtur ut ita dnis. ducibus proponi mandaret, ut que oppida vel arces ab hac parte sunt fluvii Passaria, cederent Mti. sue et regno, ea vero omnia, que ultra fluvium sunt, venirent in hereditatem dno. magistro et domi Brandenburgensi, exceptis tamen bonis ecclesie varmiensis, que, ut dictum est, Mtas. sua nullo modo potest ab ecclesia alienari permittere.

Quod si ad eas propositiones res induci non posset, proponeretur illis, ut pro oppidis et arcibus, que in hac parte sunt fluvii Passarie, daretur dno. magistro equivalens contentatio bonorum in regno, vel summa pecuniarum redimerentur.

Si id non susciperetur, agendum videtur, ut saltem aliqua loca ex hac parte Passarie, magis regno necessaria et ex quibus postea possent incommoda multa regno venire, si forent in manibus alienis, inter tractandum elicitarentur.

Quod si nec id effici posset, ut tandem in hoc staretur, ut ea bona, que sunt ab hac parte fluvii Passarie, darentur in hereditatem commendatoribus, qui jure feudali ea tenerent et regno subjecti essent.

Denique rebus sic constitutis, ut dnus. magister et ordo ipsius traderet Mti. regie omnes literas et munimenta sua, quecunque a ducibus Polonie, a summis pontificibus, cesaribus et aliis quibuscunque habet super terras Prussie nec non- et eas, quas super terras Pomeranie ratione cujusdam emptionis a rege Bohemie et ducibus Pomeranie obtinuerat.

Responsum secundum a Sigismundo, Rege, Ducibus, Marchioni Brandeburgen. et Legnicensi.

Sacra regia Mtas., Illmi. principes, auditis his mediis, que vre. Illme. Dtiones. ad componendam hanc differentiam pruthenicam proposuerunt, responderi fecit illis, quod ea suscep-

tura

tura esset his modis, quos hesterna die audiverunt, et quod non liceret illi bona ecclesie varmiensis ullo pacto alienari permittere. MDXXV.

Vestre vero Illme. Dtiones. declarantes, se ultra propositos modos facultatem et mandatum non habere, obtulerunt operam suam proficiscendi ad dnum. magistrum, relictis hic consiliariis suis, ut illi, quo ad eum modum finiendi negotii, accedere persuaderent et illum secum huc adducerent.

Mtas. regia persuasum habuit, vras. Illmas. Dtiones. cum plena facultate a dno. magistro et ejus ordine huc venisse, nam ita Illmo. dno. Friderico, duci legnicensi, scripserat et ejus Illtas. id futurum sue Mti. responderat, prout mandatum hoc, quod Mti. sue exhibuerunt, testificari videtur; tamen quum aliter vre. Illme. Dtiones. hesterna die retulerunt, non utique adeo necessarium arbitratur Mtas. sua, ut ipse sole subeant hanc fatigam ad dnum. magistrum proficiscendi, sed ut vel consiliarios suos ad illum mitterent, vel illum huc accersiri curarent; modo intelligerent, negotium sic commodius finiri posse. Alioquin permittit Mtas. sua arbitrio vrarum. Illtum., ut quod illis magis opportunum et efficax videbitur ad ipsum negotium transigendum, id exequantur.

Et quemadmodum Mtas. sua grato animo suscepit hunc laborem vrarum. Ill. Dtionum. et ad ea, que proposuerunt, non gravatim accessit, ita deinceps, quidquid illi factu licitum ac dignum fuerit, id omne pro bona pace est libentissime factura, modo et vre. Illme. Dtiones. curent, ne et labor earum et hec Mtis. sue propensio et benignitas sit inanis et frustranea.

Responsum tertium a Sigismundo, Rege, datum Marchioni et Legnicensi Ducibus.

Quum hesterna die vre. Illme. Dtiones. declarassent s. Mti. regie, utilius illi videri, ut sole ad Ill. dnum. magistrum proficiscerentur, Mtas. sua regia, licet non libenter gravaret hoc labore et fatiga et censeat, id per consiliarios aliquos earum perfici posse, tamen quum ita necessarium et magis utile videtur vris. Ill. Dtionibus., ut heri Mtas. sua id earum arbitrio permiserat, ita nunc permittit, ut quemadmodum illis consultius videtur, ita faciant.

Verum quod postularunt, ut Mtas. sua regia proponeret aliquos alios modos componende hujus differentie, quum eos, quos ipse vre. Dtiones. proposuerunt, ita simpliciter, ut ab eis prefinitum est, non susceperit, Mtas. sua regia suscepit quidem et non rejecit eos modos, quos vre. Illme. Dtiones. obtulerunt causa finiende hujus controversie et commodandi reipublice christiane ita quemadmodum illi congruere videtur et quantum ipsa prestare potest, verum largiri et tradere aliena, presertim que ecclesie dicata sunt, neque est in potestate Mtis. sue neque illi bona conscientia et existimatione sua convenit. Videturque Mti. sue, quod satis favoris ostendit et exhibet dno. magistro et toti domui brandeburgensi uti nepotibus suis, antequam intellexerit a vris. Illmis. Dtionibus, qua firmitate roborari deberent hec, que proposuerunt, presertim in tanta tamque subita transmutatione.

Utcunque tamen est, cum Mtas. sua cognoscet eam gratitudinem erga se dni. magistri, que merito sibi debetur, et ad modos ipsos propositos obfirmandos invenientur et constituentur vie et modi necessarii et decentes, ut in posterum nulla interveniret difficultas, Mtas. sua regia

MDXXV. regia exhibere se dignabitur tractabilem ad facienda et prestantia aliqua ex gratia sua dno. magistro, que idonea et convenientia Mti. sue et ipsi dno. magistro non inutilia fore videbuntur.

Postulat Mtas. sua a vris. Ill. Dtionibus., ut dnum. magistrum eo dirigere velint, quod ejus favoris et benignitatis in hac re Mtis. sue gratus et contentus esse velit, idque quod Mtas. sua facit, eo animo suscipiat, quo ejus Mtas. se erga illum domumque ejus brandeburgensem et vras. Illtes. exhibet, ut eo sic inducto redeant ad Mtem. suam cum firma et certa resolutione, ut quemadmodum est necessarium res celerius confici posset.

Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, Datum Ducibus Marchioni et Legnicensi a Magistro reversis. Sabbato ante Dominicam Oculi d. XVIII^a Marcii

Quum hesterna die S. regia Mtas. dici fecerat vris. Illmis. Dtionibus., quod ad consensum suum super his bonis ordinis a dno. magistro in feudum tenendis offerre dignaretur, illi ex gratia sua annuum stipendium ad vitam, quod et decens esset Mti. sue regie et dno. magistro non inutile, et vre. Illme. Dtiones. responderunt: videri sibi, quod Mtas. sua regia minus illis quam ab initio proposuisset, quodque gravaretur Mtas. sua concedere bona ecclesie varmiensis, et proinde censerent loco eorundem bonorum ecclesie aliqua alia dno magistro dari posse:

Mtas. sua regia nondum aliter intelligere potest, quam se satis concessisse ipsi dno. magistro necessitudinis et republice christiane causa, videturque Mti. sue, quod et ille et vre. Illme. Dtiones. grate et contente esse merito deberent.

Et quamvis Mtas. sua ita intellexit successionem futuram, ut est natura feudi, videlicet ad personam unam et posteros ex ea descendentes sexus virilis; tamen volens uberiorem gratiam exhibere tam ipsi dno. magistro, quam toti domui de Anspach, et volens illam sibi et regno suo devincire hac donatione uti verus et legitimus ex vetustissimis testimoniis et monumentis heres omnium terrarum Prussie, non renuit, ut dnus. magister terras ipsas, arces et civitates, quas ante hoc bellum tenuit, habeat in feudum cum posteris suis masculis ex domo Anspach descendentibus.

In contentationem vero loco civitatum et oppidorum dni. epi. varmiensis, vel aliquorum aliorum, que addi a Mte. sua postulant, offert etiam Mtas. regia stipendium ipsi dno. magistro ad vitam ipsius, tantum, quantum se proventus ipsarum civitatum et oppidorum extendant, h. e. tria milia marcarum pruthenicalium, ut Mtas. sua ipsum dnum. magistrum ad suam ac regni sui necessitatem eo sibi redderet devinctiorem.

Responsum regium mediatoribus datum.

Ad componendam differentiam pruthenicum duo modi a vris. Ill. Dtionibus. propositi erant, alter ut retineret dnus. magister, que in hoc bello dno. epo. varmiensi et ejus ecclesie abstulit,

abstulit, et Mtas. regia, que cepit, illi restitueret adderetque insuper aliquid ex suis bonis, MDXXV.
que dudum tenuit, dnus. vero magister terras omnes suas Prussie in feudum a Mte. regia acciperet cum devolutione illarum ad regnum in defectu ejus prolis mascule, ut est natura feudi.

Alter modus, ut si Mtas. regia denegaret ipsi dno. magistro eas civitates et oppida, que bello novissimo est consequutus, neque per se ablata restitueret, sed nec vellet adderet quicquam ex bonis suis dudum possessis, acciperet ipse dnus. magister terras suas Prussie in feudum pro se et tota domo sua Anspach.

Mtas. sua regia, ut sepius dictum est, et causa consanguinitatis et status Sermi. dni. Ungarie et Bohemie regis dignatur ad posteriorem hanc conditionem accedere; sed nolens jus suum hereditarium ad illas adeo involvere, prospiciens futuris difficultatibus, que inter posteros suos et domum brandeburgensem accidere possent, concedere dignatur, jus feudi hujus non uni tantum soli dno. magistro ejusque stirpi mascule, sed etiam aliis tribus ex domo Anspach, h. e. marchioni Georgio, marchioni Casimiro, marchioni Joanni et eorum legitime proli sexus masculini ita ut, donec trium stipitum progenies virilis duraret, omnia hec bona dni. magistri ad illam jure feudi pertinerent.

Post suprascriptam proloquutionem et tractatus utrinque habitos constitutum fuit, ut magister in his consisteret, que continentur in sequenti cedula manu Tomicii, episcopi, annotata.

Summa Conditionum concordie prussiace.

Ut terre ordinis in Prussia darentur in feudum dno. magistro ejusque stirpi mascule, ac ea deficiente aliis tribus fratribus ejus Georgio, Casimiro, Joanni et eorum legitime proli mascule.

Ut fiat bonorum bello preterito interceptorum plena utrinque restitutio cum bombardis et rebus omnibus ac suppellectili domestica, cum quibus fuerunt accepta.

Ut bona nobilium intercepta utrinque etiam restituantur.

Ut dnus. magister habeat a Mte. regia et regno annuum stipendium ad vitam suam, quod offerre dignata est Mtas. sua ex gratia sua, pro quo faceret eum pro sua et regni sui necessitate sibi eo obligatiorem.

Ut contentatio cesset, quam petiit ipse dnus. magister dari sibi Novam scilicet Civitatem et oppidum Tholkmith.

Magister Prussie Cracoviam venit.

Verba consiliariorum Regis ad Magistrum, qui obviam ei processerunt, dicta extra urbem in campo.

Sacra regia Mtas., Illme princeps, committere nobis dignata est, ut gratia honestande et excipiende Illme. Dtionis. vre. illi obviam prodiremus. Nos commissum Mtis. sue Serme. exequentes Illmam. Dtionem vram. salutamus et excipimus illamque ad hospitium usque

pro

MDXXV. pro ejus honore et dignitate deducimus, que jam bono communi auspicio urbem hanc ingrediatur.

Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, Georgio et Friderico, Ducibus.

Retulerunt hesterna die vre. Illme. Dtiones., quemadmodum declaraverunt Illri. dno. magistro eam gratiam et benivolentiam, quam s. Mtas. regia erga ejus Illtem. et totam domum de Anspach exhibere dignatur et que Mtas. sua pro bona concordia et pace concedere non sit gravata; verum non potuisse vras. Illmas. Dtiones. illum ad ineundam ipsam concordiam aliter inducere, quam ut ei Mtas. regia Novam Civitatem et Tholkmith et stipendium quatuor milium florenorum Rhenensium ex gratia consignare dignaretur.

Mtas. sua regia hec secum perpendens gratissimam quidem habet curam et diligentiam in hac re Illmarum. Dtionum. vrarum., verum majorem gratitudinem expectabat ab Illmo. dno. magistro hujus sue tante benivolentie et favoris, quem erga ejus Illtem. et domum suam ostendit. Quam quidem gratitudinem, si Mtas. sua cognovisset, plura successu temporis beneficia in ipsum dnum. magistrum conferre potuisset. Quum autem Mtas. sua regia obstricta sit juramento nihil a regno et dominiis suis alienare, et cognoscat se in presens satis benivolentie ipsi dno. magistro declarasse, ita ut plura non possit et presertim oblato illi majori stipendio, quam se extendant proventus annui civitatum et oppidorum interceptorum dni. epi. varmiensis, quas Illtes. vre. optarunt, postulat Mtas. sua a vris. Illmis. Dtionibus., ut ejus Illtem. persuadeant eamque inducant ad eas conditiones, super quibus cum vris. Dtionibus. Illmis. conventum est complectendas propter efficiaciorem concordiam et necessitatem Sermi. dni regis Ungarie, cujus Mtas. ab omnibus suis presenti eget auxilio, alioqui Mtas. sua testatum esse vult vris. Illmis. Dtionibus. et omnibus quibuscunque aliis, non per se stetisse, quominus equa et decens pax et concordia confici potuisset.

Conclusa tandem concordia et pace magister cum ducibus pacificatoribus ad regem venit, salutavit et propensionem suam testatus est. Ei Petrus Tomiczki, Eps. vicecancellarius, respondit nomine regio:

Sacra Mtas. regia, Illme. princeps, gratissimam habet hanc propensionem animi, quam Illma. Dtio. vra. erga Mtem. suam testatur et se tam officiosam exhibet.

Mtas. sua Serma. non dubitat, satis constare tum vre. Illme. Dtioni. tum omnibus aliis, quantum illi a principio susceptionis ejus ad Prussiam favorem et benignitatem Mtas. sua exhibuit, quamque modis omnibus omnes differentias cum ea semper declinaverit.

Sed et intra bellum Mtas. sua omnem quam potuit illi benignitatem ostendere et rem honestis modis componi studuit.

Proindeque et nunc quum Illmi. principes fratres et consanguinei vre. Illtis. agere ceperunt de hac differentia componenda, non gravatim ad ea accessit, quecunque Mti. sue digna et ferenda esse viderentur, vultque Mtas. sua ea omnia fine debito et ut fieri poterit firmissimo concludere.

Ad

Ad Marchionem et Legnicensem Duces.

Illmi. principes. Audiverunt vre. Illme. Dtiones. ea, que sacra Mtas. regia pro sua gratia et favore, quem habet erga Illmum. dnum. magistrum, nepotem suum, domumque brandeburgensem et pro bona concordia proponi illi mandavit.

Et quamvis satis superque videtur Mti. sue illi ad presens a se exhibitum, tamen ne cepta concordia disverteretur, neve hec cura et labor vrarum. Dtionum. Illmarum. in fumum abiret resque Sermi. dni. regis Ungarie magis impedirentur, contenta est Mtas. sua regia, quum non possit aliquid bonorum immobilium alienare a regno suo, loco eorum oppidorum, que dnus. magister postulat, vel stipendium oblatum agere vel summa certa pecuniaria ipsum dnum. magistrum relevare et contentare.

Idque facit Mtas. sua ex singulari, ut dixi, gratia sua erga dnum. magistrum et domum brandeburgensem, ut tandem ista pax et concordia fieret et statui Sermi. domini regis Ungarie eo citius consuli possit.

Postquam Albertus, marchio Brandeburgensis, magister Cruciferorum in Prussia regem salutasset ac ad omnia tractata ac condicta assensisset, extructum fuit in foro cracoviensi non procul a pretorio solium, ad quod Sermus. rex Sigismundus cum senatu suo legatoque Sermi. Ludovici, regis Hungarie et Bohemie, Statilio, Ungaro, viro docto atque eloquenti, feria secunda post dominicam Palmarum (erat X[a] Aprilis) venit et indutus de more vestibus in diademate regio considens expectabat magistrum cum principibus pacificatoribus ad peragendum creationis actum. Mox ex hospitio magistri venerunt ad regem consiliarii ejusdem magistri, item nuncii ab ordine Cruciferorum, a nobilitate et a civitatibus Prussie cum plena facultate missi, et adorato rege factaque oratione de sublato bello, de restituta terris Prussie pace desiderata, rogarunt regem, ut principem eorum ducem eis novum in Prussia crearet. Responsum eis nomine regis datum per Petrum Tomiczki, Epum. vicecancellarium.

Sacra Mtas. regia, Rde. Generosi, Strenui et Nobiles domini libentissime videt concordiam inter se et Ill. dnum. Albertum, marchionem brandeburgen., nepotem suum, et ordinem ejus compositam. Fuit enim hec differentia tum indecens inter consanguineos tum reipublice christiane perniciosissima. Quod igitur tam enixe et suppliciter a Mte. sua petitis, ut eas terras, civitates, arces et oppida Mtas. sua concederet in feudum ipsi Illmo. dno. Alberto, marchioni, Mtas. sua et propter bonum commune Christianitatis et volens domui brandeburgensi de Anspach, cui propter necessitudinem tenetur commodare, annuere dignetur precibus vestris, sperans Mtas. sua, quod et pax deinde firmior erit et ipse Illmus. dnus. Albertus, marchio, una vobiscum se erga Mtem. ejus et hoc regnum ita geret, ut probum principem et fidum vasallum erga dominum suum convenit.

Accepto hoc responso a rege, consiliarii et nuncii novi ducis redeuntes in hospitium ad ipsum ducem, narrarunt ei responsum sibi datum. Qui post parvam moram ex hospitio suo venit medius inter Georgium, marchionem, et inter Fridericum, ducem legnicensem, in equis precedentibus consiliariis ejus, nunciis ac vasallis,

MDXXV. vasallis, et conscendens thronum ad regem petiit, se ducem creari et terras Prussie in feudum sibi dari. Ad quem Petrus Tomiczki, eps. vicecancellarius, regis nomine verba sequentia proloquutus est antequam vexillum ei cum investitura de manu regis traderetur.

Manifestum universo pene orbi, Illme. princeps, quantis contentionibus et bellis decertatum fuit inter predecessores S. Mtis. regie et magistros ac ordinem dictum S. Marie Theutonicorum super proprietate terrarum Prussie.

Ac ut post multiplices cedes et dispendia pax perpetua confecta fuerat, vigore cujus magistri et ordo juramentis et homagiis suis regnum et reges Polonie suos hereditarios dominos recognoscebant.

Que pax tametsi per antecessorem Illme. Dtionis. vre. non observata hoc fortasse incendium belli inter Mtem. suam et Illmam. Dtionem. vram. excitaverat, quod Mtas. sua invitissimo animo cum illa, ut tam arcto propinquo suo, gessit, tamen quum et bellum ipsum et tota differentia, gratia dei, sit composita et Illma. Dtio. vra. tam sincerum animum erga Mtem. suam et hoc regnum exhibeat, petens a Mte. sua, uti vero herede ac domino omnium terrarum Prussie, dari sibi in feudum terras, civitates, oppida et arces designatas in Prussia.

Mtas. sua regia rationem habens inprimis rei christiane, que dissensionibus intestinis christianorum principum in dies magis] fluctuat, attendens etiam postulatis cum Sanctissimi dni. nostri tum etiam cesaree Mtis. et Sermi. dni. Ludovici, Hungarie et Bohemie regis, nepotis sui charissimi, aliorumque principum germanorum, qui sepius apud Mtem. suam de hac concordia per literas et oratores agebant, volens etiam Mtas. sua et vre. Illme. Dtioni. et ejus toti domui brandeburgensi de Anspach, quam, ut tenetur, singulari favore et benivolentia complectitur, commodare, confert non gravatim cum consensu senatus hujus regni sui terras ipsas in feudum eo modo, ut inter tractatus est conventum; spem habens Mtas. sua, quod vra. Illma. Dtio. et domus ejus cognoscentes eam beneficentiam et favorem Mtis. sue curabunt illam ejus Mti. et regno suo ita, ut probos decet principes et consanguineos, demereri.

Investitura Ducis novi in Prussia per Vexilli traditionem.

Verba Sermi. Sigismundi, Regis Polonie, ad Albertum, Marchionem Brandeburgensem, Ducem Prussie, in traditione vexilli dicta.

Nos Sigismundus, rex etc., annuentes, domine dux, vestris et vestrorum subditorum precibus, tradimus et concedimus Illti. tue in feudum terras, civitates oppida et arces in Prussia, et ad eas Illtem. tuam per hujus vexilli traditionem investimus ac instituimus gratia et benignitate nostra, qua Illtem. tuam, uti nepotem nostrum charissimum, et domum ejus complectimur, speramusque, quod ejus beneficentie nostre et memor et grata erit.

Absoluto hoc actu, spectante magna multitudine Nobilitatis et effusa in forum tota urbe, Sermus. rex cum ducibus supra nominatis ac senatoribus regni consurgens ex

ex illo throno in arcem cracoviensem se contulit, et ingressi ecclesiam cathedralem osculatisque sanctorum reliquiis, et dicto cantu: TE DEVM LAUDAMUS etc. gratiisque actis divine Mti. ad palatia regia ascenderunt et in mensa regaliter instructa epulati sunt. MDXXV.

Concordia et Pax perpetua inter Sigismundum, Regem Polonie, et Albertum, Marchionem Brandeburgensem, Ducem creatum in Prussia, facta, per Georgium, Marchionem Brandeburgensem, et per Fridericum, Ducem Legnicensem, dominica Palmarum IX Aprilis.

In nomine domini. Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Omnium rerum, que sempiterne sunt future, nulla certior firmitudo excogitari potest, quam ea, que sit literarum monumentis prodita memorie posteritatis; cetera enim facta humana, quantumcunque memorabilia, aliis modis quam literis eternitati consecrata, aliquot quidem seculorum decursu durare possunt, que vero literarum officio memorie mandantur, nunquam intereunt ipsaque vetustate fiunt augustiora. Idcirco Nos Sigismundus d. g. rex Polonie, Mg. dux Lithwanie, nec non terrarum Crac. Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cujavie, Russie, omnium terrarum Prussie, Pomeranie etc. dnus. et heres, Manifestum facimus universis. Quia cum acta essent plurima bella inter predecessores nostros reges et regnum Polonie ac inter magistros et ordinem dictum S. Marie Theutonicorum in Prussia de proprietate ipsarum terrarum Prussie eaque non penitus extincta, quum inter nos et Illrem. dnum. Albertum, marchionem brandeburgensem, magistrum ipsius ordinis, recruduissent cum magno reipublice christiane incommodo ac detrimento, proindeque et summus pontifex et cesarea Mtas. Sermusque nepos noster dnus. Ludovicus, Hungarie et Bohemie rex, ad ineundas quadriennales inducias et arbitralem cognitionem subeundam hortati essent et induxissent. Qua demum magnis impedimentis non sequuta et tempore induciarum expirante, venissent ad nos Ill. princeps dnus. Georgius, marchio brandeburgensis, in Slesia Ratiboriensis, Jaghendorf, in Prussia, Stetinensis, Pomeranie, Cassuborum, Slavorum etc. dux, burgrabius norimbergensis et princeps Rugie, et Fridericus, dux legnicensis et brigensis ac inferioris Silesie capitaneus, necessarii et affines nostri charissimi, de pace et concordia stabili ac firma sedulo agentes, tandem post multos tractatus et rationes utrinque expensas ad infrascriptas conditiones et capitula ipsius pacis et concordie devenimus omniaque et singula condiximus et utrinque firmavimus in hunc qui sequitur modum.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Nos Georgius d. g. marchio Brandeburgensis in Slesia Ratiboriensis, Jaghendorf, in Prussia, Stetinie, Pomeranie, Cassuborum, Slavorum etc. dux, burgrabius norimbergensis et princeps Rugie, et Nos, Fridericus, eadem gratia dux legnicensis et brigensis et capitaneus inferioris Slesie, recognoscimus et significamus omnibus et singulis presentem concordiam seu contractum visuris, audituris sive lecturis. Quia nos ex infrascriptis sequentibus rationibus, que nos uti christianos principes permoverunt, eandem sequentem concordiam et contractum inter Sermum. et excellentissimum

MDXXV. principem et dnum., dnum. Sigismundum, regem Polonie et sue Mtis. heredes et successores, reges regni Polonie, ex una et Illmum. principem, dnum. Albertum, marchionem brandeburgensem, Theutonici ordinis generalem Prussie magistrum, et ejusdem ordinem militarem et terrigenas ex altera parte concepimus, tractavimus et composuimus, et imprimis id precipue ac potissimum considerantes, omnes dissensiones, bella, contentiones et conflictus inter regiam Mtem. et dnum. magistrum ejusque terrarum incolas hinc ortas et emanatas esse, quod non unus princeps hereditarius omnium terrarum Prussie gubernator hucusque exstitisset dictaque Prussia diversorum procerum capitibus gubernata esset, unde terrarum ipsarum incole perniciosis inter se bellis et contentionibus digladiabantur et prelia commovebant, ex quibus magna effusio christiani sanguinis damnaque et nocumenta incolis, orphanis et viduis plurima sunt illata. Similiter considerantes, quod prefatus dnus. magister, frater et avunculus ac sororius noster retroactis temporibus, quando officio magisterii fungeretur, multifarias fatigas et labores hucusque subiit apud omnes status christianorum principum, videlicet summos pontifices et cesaream Mtem. sacrumque romanum imperium et electores imperii nec non apud nobilitatem Germanie eosdemque omnes sepius requirendo operam diligentem impendit, sperans eosdem invigilaturos, quo iste ipse seditiones, controversie et dissensiones secundum continentiam inscripte perpetue pacis, per Sermi. fel. mem. Casimiri regis Mtem. olim Thorunii confecte, et juxta compromissum, in proximo quadriennio per cesaree Mtis. et regie Sertis. Ungarie oratores in presentia Sanctissimi dni. Leonis X pape legati Thorunii factum, componerentur et concordarentur, id tamen ex intervenientibus bellorum motibus et ceteris variis admodum arduis negotiis, quibus cesarea Mtas. et Sermus. dnus. rex Hungarie hactenus impliciti ad distracti fuerunt, hucusque impeditum et indiscussum permansit. Nos tamen considerantes, hujusmodi ordinatum optimum compromissum paucis diebus ad finem et terminum ultimum declinare, et ubi negotia indiscussa permanerent, formidandum fuisse, regiam Mtem. et regnum Polonie et magistrum et terras Prussie denuo iterum ad majores armorum tumultus, prelia et contentiones ac humani sanguinis effusionem redituros, in damnum et jacturam totius christiane reipublice, ad precavende igitur hujusmodi mala et incommoda pacis studio intendentes, quo in futurum perpetua christiana pax inter regiam Mtem. et ejusdem Mtis. heredes, successores regis Polonie, et inter magistrum Prussie et ejusdem terrarum incolas utrumque intervenire ac disponi possit, considerantes etiam quia et nunc Reverendus dnus. Statilius, prepositus vesprimiensis, Sermi. regis Hungarie, dni. nostri clementissimi, tanquam dicti compromissi arbitri, internuncius pacis ac missus orator ad sacram regiam Mtem. Polonie ac magistrum Prussie, fratrem et avunculum ac sororium nostrum, quo se ad concordiam et ipsum contractum per nos factum benivole submitterent et gratiose ac benigne eidem consentirent, rogavit et requisivit, Nos tanquam mediatores et conciliatores pacis ex suprascriptis causis et rationibus sequentes articulos, quos salubri vie concordie intendentes christianos, decentes et idoneos cognovimus, inter regiam Mtem. et dnum. magistrum, utriusque accedente consensu, fecimus et disposuimus et prout infra continetur ordinavimus et confecimus.

Inprimis, quod omnes dissensiones in his bellis inter regiam Mtem., dominum magistrum, duces

duces Masovie, episcopos varmienses et culmenses et ceteros omnes eorumque subditos exorte per presentem transactionem in universum sublate sint et neutri partium malo reminiscendo imputari debent. MDXXV.

Item, quod loca, castra et oppida cum omnibus attinentiis et pertinentiis in his bellis utrinque intercepta cum bombardis majoribus, que admodum in prima occupatione arcium et oppidorum inventa sunt, restitui, bombarde etiam uncales, quas „Hakenbüchs" vocant, eo pacto ut penes modernos officiales restabant, similiter reddi debent. Si vero quidquam bombardarum majorum deesset, debent officiales per juramenta interrogari, ut mediis eorum juramentis dicant, quot illic invenerint. Quod autem bombardas in castro Hollandt demolito inventas attinet, debent sine denunciatione ad manus Ill. dni. Alberti restitui.

Preterea debent omnes et singuli ex nobilitate, civibus et colonis omnis promissionis et juramenti, quibus presentibus bellis aut citra hec tempora a suis ad alienos dominos se contulerunt et obligarunt, liberi et soluti esse et reputari.

Ceterum quod ad neglecta servitia attinet, debet a regia Mte. et a duce ex Prussia illis, qui ea neglexerunt, ex gratia condonari et bona seu possessiones eorum reddi. Ceterum quod liberis eorum, qui condemnati ob perpetratum facinus penas dederunt, bona immobilia utrimque reddantur et patrum facinus honori puerorum nihil noceat, nec apud quempiam in aliquo prejudicet.

Item debet regia Mtas. illis de Neumarkt, similiter marchio Albertus Gilgenburgensibus et Hoensteinensibus, nec non omnibus civitatibus ecclesiasticis et secularibus, nobilibus et plebeis utriusque partis subditis, quod ex timore defecerint, parcere et condonare, id nulla indignatione reminisci, nec cuiquam, ut hoc vindicet, permittere, sed ex clementi voluntate sub utriusque hinc inde sigillis et literis sententiam ferre, quod hoc ipsis et eorum liberis in nullam dehonestationem aut incommodum vergere debet.

Item, quod ecclesiasticorum bona et jurisdictionem attinet, debet dux Prussie ad requisitionem Ecclesiasticorum unicuique, uti christianum, equum et justum est, administrare. Ceterum bona, redditus et census sub duce Prussie siti, episcopatum varmiensem vel eosdem ecclesiasticos attinentes, debent vicissim ex omni parte restitui. Si vero dux vel nobiles sui curatos vel alios in ecclesiastica beneficia collocare vellent, qui hominibus christiane providerent, eos episcopus juxta antiquam consuetudinem investire debet.

Item si possent domini pontifices constanter docere, quod ecclesiastici in terris domini ducis commorantes secus quam christiane et contra ordinationem et constitutionem universalis sancte ecclesie catholice se gerere, debet dominus dux una cum dominis episcopis jurare, ut istiusmodi debita castigatione emendentur.

Item si quispiam civium aut rusticorum duos annos ante proxime gestum bellum usque adhuc domino suo se subduxisset et absque ejus voluntate aufugisset, repetiti debent dominis suis sine omni medio restitui et exinde nulla partium alter utri suos detinere; qui autem vi ab utraque parte abacti sunt, hi debent publici mandati literis ad dominos suos dirigi seu remitti.

Item dnus. marchio Albertus regie Mti. et regno Polonie juramentum, uti naturali et hereditario domino suo, prestare et se in posterum erga ejus regiam Mtem. in omnibus, sicut principem vasallum erga dominum suum hereditarium de jure decet, obedientem exhibere.

Debet

MDXXV. Debet preterea marchio Georgius suo et fratrum nomine vexillum contingere, debent similiter marchiones Casimirus et Joannes sigillis et literis suis intra annum hujusmodi contractum agnoscere et acceptare.

Item debet regia Mtas. ex adverso marchioni Alberto infrascriptas terras, civitates, castra et vicos: videlicet tria oppida et castra Konigsberk, Lochstetten, Wargen, Grimaw, Pubetten, Rudaw, Sszoken, Kaymen, Kremitten, Waldaw, Tapiaw, Tawplaken, Narbetten, Insterburk, Altenburgk, Wenstorff, Gerdawen, Angerburgk, Nordenburgk, Labiaw, Lawkisken, Tilsett, Ragnet, Robitten, Wintbergk, Mymel, Brandeburgk, Kreuczburgk, Fryedland, Demanaw, Barthen, Leczen, Balge, Heiligebeyl, Zynthen, Landsbergk, Preuscheylaw, Barthenstein, Sszesten, Saynsburgk, Reyn, Rastemburgk, Liek, Jehansburg, Hollandt, Liebstadt, Mühlhawzen, Morunge, Passenheym, Ortelsburgk, Soldaw, Ilgienburgk, Osterode, Hogiensteyn, Neydemburgk, Sszypenbeiheil, Tewststheylaw, Preuschenmargk, Libemül, Salfeldt, Rysemburgk, Marienwerder, Tyrenbergk, Labtaw, Szonberg, Bowunden, Jorgenburgk, Rembergk, Gordensthe, Newhaws, Freyenstadt, Solaw, Wisshausen, Bishoffverder, Medenaw tanquam duci in Prussia in legitimum et hereditarium feudum conferre et ejuscemodi infeudationis literas ab uno fratre ad alium et eorum heredes, tanquam super indiviso feudo, juxta tenorem transactionis conficere.

Item si quando memorati quatuor principes et marchiones, Albertus, Georgius, Casimirus, Joannes et eorum legitimi feudi heredes omnes sine legitimis feudi heredibus decederent, tum et non antea debent suprascripte terre Prussie ad regiam Mtem. et regnum Polonie hereditarie redire et recidere. Si vero filie superessent, he debent ducali dotis pecunia a regia Mte. absolvi et provideri.

Item debet Mtas. regia marchionem Albertum, suos heredes et omnes incolas suprascripte terre Prussie in omnibus eorum privilegiis, huic transactioni et superioritati regie non repugnantibus, conservare et alias ab iniqua violentia defendere et manutenere.

Item debent tam ordinis quam nobilitatis et civitatum predictarum terrarum Prussie mandatarii nuncii pro se, heredibus et successoribus suis consentire et inscribere, quod se ipsos, heredes et successores suos post abitum predictorum quatuor principum et suorum legitimorum feudi heredum ad regiam Mtem. et regnum Polonie ac ipsius heredes debita fidelitate et subjectione, uti ad eorum naturalem ac hereditarium dominum et nullum alium tenere debeant et velint. Item denique, quod regia Mtas. suprascriptas terras Prussie cum aliquo linguam germanicam callente et in eodem ducatu bene possessionato, qui omnia officia administret, procurare debeat. Et si Mtas. sua consiliarios suos deputaverit, quod nobiles et civitates ecclesiastici et seculares omnium ordinum terrarum Prussie, duci ex Prussia juramentum prestare debeant, quod tunc ex singulis districtibus duo ex nobilitate ac civitatibus nomine omnium aliorum, quemadmodum hic presentes se inscripserunt literis et sigillis suis, hujusmodi concordiam recognoscere debebunt. Et quum principi ex Prussia juramentum prestabunt, quod tunc medio eorum, prestito juramento etiam hanc conditionem se servaturos promittant.

Item, quod princeps ex Prussia primum et proximum locum in consiliis, terrarum comitiis et publicis conventibus apud regiam Mtem. habere debet.

Item,

Item, quod princeps ex Prussia, heredes et successores principes ex principatu et terris predictis Prussie nihil vendant, verum si ad hoc ingruens urgeret necessitas, debebunt hoc regie Mti., dno. suo hereditario, ante annum prius denunciare. Quod si Mtas. sua emere nollet, ex tunc ipse princeps vendendi habeat potestatem, regalibus tamen Mtis. regie feudi et obsequiorum juribus salvis. Et preterea, si dux in Prussia urgenti necessitate premeretur, poterit arces et oppida sua vasallis suis locare et impignorare, ut eedem terre unite et indiscisse, quemadmodum nunc sunt, permaneant. MDXXV.

Item quod ad obsequium attinet, ex quo terra Prussie in magnum detrimentum pervenit, promisit Mtas. regia marchioni Alberto sex annorum libertatem se ex gratia daturam. Ubi autem regia Mtas. et regnum Polonie a quibuslibet, cujusvis dignitatis aut conditionis illi fuerint, occasione hujus transactionis et concessionis hujus feudi, impugnaretur, ex tunc dux in Prussia cum successoribus in propria persona cum omnibus suis subditis pro summis viribus regiam Mtem. etiam intra hoc sex annorum libertatis spatium adjuvare et illi consulere sit obligatus. Similiter regia Mtas. et regnum Polonie erga ducem in Prussia et ipsius terras in hoc casu facere debebit. Si autem contingeret, quod regia Mtas. aut regnum Polonie extra hunc contractum ab Infidelibus et aliis urgeretur et in propria persona cum omnibus suis subditis in castra proficisceretur, tunc dux in Prussia cum successoribus suis obligatus esse debet, regiam Mtem. cum centum instructis equitibus usque ad terminos terrarum Prussie sequi. Si vero dux in Prussia a regia Mte. ultra fines transire requisitus fuerit, ex tunc hujuscemodi centum equites instar aliorum Mtis. sue equestrium militum regiis stipendiis militare debebunt. Casu autem, quo regia Mtas. urgenti necessitate plures quam centum equites a duce in Prussia educi desideraret, quotquot centenarium numerum excesserint, a tempore exitus domiciliorum suorum, regio stipendio, ut premissum est, militabunt. Si vero in facultate ducis Prussie non esset plures quam centum equites educendi, non debet propterea ipsum Mtas. regia ulterius urgere.

Item, quod ad jurisdictionem inter regiam Mtem. et principem Prussie attinet, ita observandum est: si contingat, quod regia Mtas. principem aut vicissim princeps ipse regiam Mtem. in causis personas utriusque concernentibus convenire vellet, debet Mtas. regia consiliarios suos Marienburgi aut Elbingi collocare, juramentis, quibus Mti. sue obnoxii sunt, absolvere et rursus ad recte judicandum obligare. Quicquid tunc a predictis consiliariis regie Mti. et principi pronunciatum et decretum fuerit, ratum esse debebit et sine contradictione servari.

Si vero quispiam de sorte seu conditione principis secularis aut ecclesiastici status in Prussia supradictum principem Prussie super quavis re convenire pretenderet, debebit Mtas. regia sex e consiliariis suis et princeps ex Prussia totidem e suis ad judicium, ut premittitur, obligare et juramentis obstringere. Et quidquid ipsi equum esse decreverint et pronunciaverint, ei utraque pars acquiescere et sine ulla tergiversatione id ratum habere debebit.

Si autem aliquis, qui de sorte principum non fuerit, contra ducem in Prussia quampiam actionem instituere vellet, hoc coram vasallis principis facere debebit, quos princeps ipse collocare et ad judicium obligare tenebitur. Si quis autem occasione hujusmodi judiciorum in casibus, personam principis attingentibus, sibi injuriam factam aut se gravatum esse existimaret

MDXXV. existimaret, poterit ad consiliarios, quos regia Mtas. et dux in Prussia quotannis ad festum S. Francisci, quum id necessitas exegerit, Marienburgum mittere debebunt, provocare, qui super ea cognoscendi potestatem habebunt. Quod si ibi cognitum fuerit, appellationem provocantis frivolam et illicitam esse, debebit pars illa judicio decem marcas pruthenicales pendere et parti adverse ad refundendum expensas litis et ad parendum priori sententie obligata esse.

Ubi vero actiones emergerent, incolas terrarum Prussie et eorum possessiones utriusque contingentes, unusquisque in eo judicio, ubi bona seu possessiones site fuerint aut reus domicilium habuerit, conveniri et ad extranea judicia trahi non debet.

Item neutrius partis subditi, nec eorum etiam bona, ex quo in locis, ad que spectant, justitia obtineri possit, in alienis judiciis arestari aut detineri debent.

Item quod deinceps omnes incole terrarum Prussie utrinque reciproca vicissitudine in terra et mari sine impedimento negotiationes exercere, veteribus stratis proficisci et curribus transire necnon in privilegiis suis hoc casu permitti debent. Ceterum fora in villis contra fas et antiquam consuetudinem instituta deinceps ubique aboleri et in civitates, ad quas spectant, reponi debebunt.

Item quod profundum Balgen. ad mare recens Haw et alia ubicunque profunda i. e. ostia maris fuerint, caput Visle et omnia flumina omnibus incolis Prussie, ut in ipsis navigare et trajicere possint, libera sint. Et peregrini mercatores nec in Konigsbergk nec in Braunsbergk, Elbingum, Gdanum aut in ullam aliam civitatem proficisci cogantur. Sed debent liberi, non coacti, prout ipsis placuerit, velificari et navigare, attamen sine antiquorum theloneorum et privilegiorum detrimento.

Item nulla thelonea, depositiones vel alia gravamina in terris Prussie contra antiquam consuetudinem et privilegia ab ulla partium institui debent, sed vetera thelonea permanere; si autem ab alterutra partium a tempore transactionis regis Casimiri thelonea essent instituta, ea quoque hinc inde abrogari debent. Si vero successu temporis contingeret, quod regia Mtas. et similiter dux in Prussia ad requisitionem utriusque subditorum suorum aliquubi nova thelonea aut emporia ad utilitatem terrarum ipsarum instituere destinarent, tunc debet Mtas. regia ducem in Prussia in locum opportunum vocare et ambe partes super ea re concordandi et transigendi potestatem habere. Si etiam aurige vel naute hujusmodi thelonea preterirent, non debent eis bona adimi, sed tantum naves, currus et equi auferri.

Ceterum quod ad bona naufragantium attinet, debet id cum eisdem secundum veterem introductam consuetudinem, ex quo idem in Selandia, Holandia et Brabantia consuetum est, etiam observari, ita tamen, quod a nautis nihil plus extorqueatur.

Item debet utraque partium adversus alteram nunc et deinceps publicarum stratarum predones, fures et alios terris perniciem invehentes ad receptandum et promovendum abstinere, sed qui unius partis professus hostis est, debet etiam ab altera parte pro ejus diffidato hoste et damnificatore censeri.

Item quevis partium potestatem habere debet hostes et noxios suos in alterius partis terras persequi,

persequi, et in quibus judiciis apprehendentur, in illis sisti et juxta ipsorum demerita justificari debent. MDXXV.

Item dux in Prussia et preterea Elbingenses, Gedanenses et Thorunenses omnem monetam cudere abstineant ita, quod regia Mtas. intra hinc et festum Pentecostes sequentis anni diem statuet de ratione hujusmodi monete clare concordandi.

Item quod dux Prussie omnibus privilegiis et juribus huic contractui repugnantibus seu ea sint a pontificibus maximis, imperatoribus, principibus vel regibus Polonie, profecta nunc et in perpetuum renunciare et ea in manus regie Mtis. consignare debet. Si autem quippiam in hujusmodi privilegiis contineretur, quod huic transactioni non repugnaret, sed duci Prussie et terris occasione finium et aliorum jurium et privilegiorum necessarium esset, debebit Mtas. regia ejusdem tenoris literas sub sigillo Mtis. sue denuo concedere.

Item quod regnum Polonie et terre Prussie pro se et eorum successoribus sufficienter se inscribere debent, quod hanc institutam transactionem in omnibus suis partibus, punctis et articulis fideliter perpetuo et irrevocabiliter servare, nec ei unquam contra venire aut agere debeant aut velint, hoc puncto singulariter adjuncto: si casus mortis principum (quos deus pro sua voluntate conservet) se offerret, quod terre Prussie Mti. regie et regno Polonie et nulli alteri adherere debeant.

Postremo si quispiam, cujuscunque dignitatis aut conditionis existeret, hunc contractum impugnare vellet, debent tres marchiones, quos hec concordia pariter attingit, una cum duce in Prussia et cum omnibus, quos ad hoc permovere poterunt, regiam Mtem. juvare et super hoc respondere.

Huic suprascripte christiane concordie et unitati regia Mtas. Polonie et dux Prussie in omnibus articulis, clausulis, conditionibus, punctis superius contentis, regiam ac ducalem dignitatem christianamque bonam fidem perpetuo et fideliter interponendo, inviolabiliter pro se et successive posteritatis eorum heredibus, successores, reges Polonie et duces Prussie, ratum et firmam habere et observare polliciti sunt ac promiserunt. Pro majori prefatorum fide et securitate regia Mtas. similiter dux Prussie hujusmodi pactum, concordiam et unionem manu eorum propria subscripserunt et sigilla ipsorum nostris adherentia subappendi fecerunt. Ac hujusmodi contractus bine litere concordationis seu unionis sub eodem verborum tenore confecte, cuilibet parti une presentate sunt. Act. et dat. Cracovie Sab. vigilie Palmarum, que fuit VIII[a] Aprilis.

Nos itaque Sigismundus, Rex Polonie, de consilio et consensu consiliariorum nostrorum regni Polonie, omnes et singulos memoratos articulos, ut premittitur, medio prenominatorum Ill. principum, Georgii, marchionis, et Friderici, ducis legnicen. inter nos et Ill. dominum Albertum, marchionem brandeburgen. magistrum ac ordinem ejus in Prussia actos, condictos et conclusos cum omnibus et singulis eorum punctis, clausulis et continentiis, prout jacent, acceptamus, ratificamus, approbamus, laudamus et confirmamus ipsoque perpetuum firmitudinis robur obtinere volumus, promittentes in verbo nostro regio ac sub fide boni ac legalis principis pro nobis atque successoribus nostris, regibus Polonie, et regno ac dominiis nostris, quantum nos et illa concernunt, nos omnia supra scripta in preinsertis

 literis

MDXXV. literis atque articulis condictis et conclusis expressa firmiter et inviolabiliter observare, exequi et adimplere, neque illis quoquomodo contravenire de jure vel de facto, directe vel indirecte omni dolo et fraude penitus seclusis. In quorum omnium et singulorum fidem, robur et testimonium premissorum presentes literas manu nostra propria subscripsimus et sigillo nostro regio et consiliariorum nostrorum sigillis communiri fecimus. Datum Cracovie die dominico Palmarum.

Prussia in feudum data Alberto, Marchioni Brandeburgensi, novo in Prussia Duci creato.

In nomine Domini. Amen. Ad perpetuam rei memoriam. NOS SIGISMUNDUS d. g. rex Polonie, Mg. dux Lithwanie nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cujavie, Russie ac omnium terrarum Prussie, Pomeranie etc. dominus et heres. Universis et singulis presentibus et futuris harum seriem inspecturis, manifestum facimus. Quia quum olim multe et graves controversie multa et rei christiane perniciosissima bella gesta fuissent inter predecessores nostros reges Polonie ac magistros et ordinem dictum S. Marie Theutonicorum super proprietate in terris Prussie, regibus et regno Polonie jus suum hereditarium pro virili tuente, magistris ac ordine suis veris ac legitimis heredibus et dominis parere recusante, atque his tantisque bellis eo res deducta fuisset, ut divino favore justitie regni nostri opitulante et pax confecta et magistri ac ordo totaque ipsorum ditio in subjectionem et homagium regibus et regno Polonie devenisset, idque longissimo tempore tentum et observatum esset, successu vero temporis nove controversie de ipsa proprietate ac demum bellum inter nos regnumque nostrum et Ill. dnum. Albertum, marchionem brandeburgensem, magistrum generalem, ac ordinem ejus suscitatum esset cum maximo reipublice christiane incommodo et detrimento proindeque summi inprimis pontifices, videlicet Leo X, Adrianus VI. ac modernus Clemens VII, demum invictissimus Carolus V. Romanorum imperator et Hispaniarum rex Catholicus, nec non Sermus. nepos noster, dnus. Ludovicus, Vngarie et Bohemie rex, ac plerique Germanie principes summo studio apud nos egissent de concordia et pace componenda. Que denique concordia, quum medio Ill. principum dominorum Georgii, marchionis brandeburgen. in Slesia ratiborien. in Prussia Stetinen. Pomeranie, Cassubarum Slavorum etc. ducis, principis Rugie et burgravii Norumbergen. et Friderici, ducis legnicen. et brigen. et capitanei inferioris Slesie, tractata et conclusa esset, venissetque ad nos Ill. ipse dnus. Albertus, marchio et magister generalis, cum nonnullis membris ordinis et subditis suis, plenam et omnimodam facultatem ab ordine et universis subditis ejus habentibus, se nobis uti vero et legitimo heredi et domino suo ac terrarum Prussie subjiciendo ac easdem terras sibi in feudum dari enixe et suppliciter primum ejus consiliarii, proceres et subditi, demum ipse dux dnus. Albertus a nobis petivisset, declarans se nobis et reipublice regni nostri hoc pacto magis ex usu fieri posse pacemque firmiorem futuram. Nos rationem habentes inprimis utilitatis ipsius reipublice christiane, que in tanta Infidelium tempestate non nisi pace et concordia inter se christianorum

norum

norum principum servari potest, demum obaudire nolentes, ut postulata Sctmi. domini nostri pape cesareeque et catholice Mtis. ac Sermi. nepotis nostri, dni. Ludovici, Vngarie et Bohemie regis, aliorumque principum christianorum, qui hactenus omni conatu hanc differentiam et bellum sistere et componere inter nos studuerunt, ac denique gratificari et commodare volentes dicto Ill. principi dno. Alberto, marchioni brandeburgen., uti nepoti nostro ex sorore charissimo, ejusque domui de Anspach, annuimus non gravatim precibus ejus Illtis. et subditorum ipsius, illique et ejus veris masculini generis et legitimis feudi heredibus ex lumbis ejus procedentibus terras, civitates oppida, arces infrascriptas in perpetuum et individuum feudum dedimus et concessimus et ipsum de illis per vexilli nostri traditionem investivimus harumque literarum serie damus et concedimus, videlicet arcem Konigsbergk cum tribus civitatibus, item arces et oppida Lochstetten, Wargen, Grimaw, Pubetten, Rudaw, Sszoken, Kaymen, Kremitten, Waldaw, Tapiaw, Tawplaken, Narbetten, Insterburgk, Wenstorff, Gerdawen, Angerburgk, Nordenburgk, Labiaw, Lawkisken, Tilset, Ragnet, Robitten, Wintbergk, Mymel, Brandeburgk, Kreuczburgk, Fryedland, Demanaw, Barthen, Leczen, Balge, Heiligebeyl, Zynchen, Landsbergk, Preuscheylaw, Barthenstein, Sszesten, Saynsburgk, Reyn, Rastemburgk, Liek, Jehansburgk, Hollandt, Liebstatt, Mülhawsen, Moronge, Passenheym, Ortelsburgk, Soldaw, Ilgienburgk, Osterode, Hogiensteyn, Heydemburgk, Sszypenbechel, Tewtsteylaw, Preuschenmargk, Libemühl, Salfelds, Rysemburgk, Marienwerder, Tyrenbergk, Labtaw, Sionberg, Bowunden, Jorgenburgk, Rembergk, Gordensche, Newhaws, Freyenstadt, Solaw, Visshawsen, Bischoffverder, Medenaw cum omnibus et singulis subditis, vasallis, fructibus, dominiis, superioritatibus, libertatibus et juribus una cum omnibus arcibus, civitatibus, foris, villis, mansis, curiis, molendinis, molendinorum locis, censibus, vectigalibus, redditibus, theloneis, servitiis, feudis spiritualibus et secularibus, lacubus, fluminibus, piscationibus, aquis, aquarum decursibus, ferarum lustris, ferarum meatibus, venationibus, silvis, nemoribus, pascuis, pratis, actibus etiam cum omnibus metallis, que modo sunt et in futurum fieri possunt auro, argento, cupro, stanno plumbo et salinis supra et sübtus terram. Similiter una cum omnibus et singulis eminentiis, juribus et pertinentiis universis, nullis exceptis, sicuti hujusmodi terras priores magistri generales et idem ordo habuere et usque ad presens nuperrime gestum bellum, usu et fructu tenuerunt, in posterum perpetue et in evum hereditarie in commune et individuum feudum tenendas, habendas, fruendas, utendas et possidendas. MDXXV.

Ubi vero ipse Ill. dnus. Albertus, marchio dux in Prussia, sine legitimis masculis feudi heredibus, vel ejus legitimi masculi feudi heredes non relicta prole virili deficerent, ex tunc supradicte terre, civitates, oppida et arces in omni forma et modo, quemadmodum eas supradictus Ill. Albertus, marchio, habuit, ad Ill. principem, dnum. Georgium, marchionem brandeburgen., et ipsius legitimos sexus masculini feudi heredes venire et devolvi debent. Si vero etiam marchio Georgius sine legitimis feudi heredibus masculis, vel ejus heredes post ejus obitum sine legitimis masculini generis feudi heredibus ex humanis concederent, dicte terre, civitates, oppida et arces ad Ill. principem. dnum. Casimirum et ejus masculos feudi heredes derivari ac devolvi debent. Si autem predictus marchio Casimirus sine prole mascula feudi herede decederit, aut ejus feudi heredes post se non relinquerent,

 tum

MDXXV. tum nominate terre, civitates, oppida et arces in Prussia ad Ill. principem dnum. Joannem, marchionem brandeburgensem, et ejus veros legitimos masculini generis feudi heredes devolvi debent, ita quod dicte terre, civitates, oppida et arces, ubi divina ordinatione hujusmodi casus futuris temporibus accideret, de fratre in fratrem predictos et eorum legitimos feudi heredes masculos cedant et devolvantur sine nostro heredumque et successorum nostrorum regum et regni Polonie impedimento, ita tamen, quod quotiens se obtulerit ejusmodi casus devolutionis de uno in alium predictos fratres et eorum legitimos heredes masculos, debebunt illi et quisque eorum debebit nobis et successoribus nostris, regibus, et regno Polonie intra tempus debitum ac legitimum debitam subjectionem et feudi obligationem ac omagium prestare. Quod si predicti quatuor fratres de domo Anspach, divina voluntate sic disponente, sine mascula prole, feudi heredi legitima ex lumbis eorum, ordine suprascripto aut eorum hujusmodi proles similiter sine masculo feudi heredi legitime ex lumbis eorum procedente, decederet, tum omnes et singule terre, civitates, oppida et arces suprascripte ad nos et successores nostros, reges et regnum Polonie, sine omni impedimento et contradictione devolvi ac redire debent.

Debebit item ipse Ill. dnus. Albertus, marchio, dux in Prussia, ejusque prenominati successores et feudi heredes pro hac nostra in se beneficentia nobis et regno nostro tale obsequium prestare, quod, ubi ratione hujusmodi concordie et concessionis feudi a quocunque cujusvis eminentie et conditionis principe seu potentatu impeteremur aut successores nostri impeterentur, tenebitur ipse Ill. dnus. Albertus, marchio, aut ejus predicti successores, duces in Prussia, in propria persona nobis et regno nostro ubique una cum omnibus suis subditis et pro summis viribus suis adesse, quod vicissim nos et successores nostri, reges et regnum Polonie in eodem casu facere debebimus et debebunt. Ubi autem contingeret, quod nos vel successores nostri, reges et regnum Polonie altera quavis ex causa tam ab Infidelibus, quam a quocunque alio impeteremur et ipsi in propria persona ad bellum cum subditis nostris proficisceremur aut successores nostri proficiscerentur, debebit dictus Ill. dnus. Albertus, marchio et dux in Prussia, aut ejus prenominati successores, duces in Prussia, nobiscum cum centum equitibus armatis proficisci et intra limites terrarum Prussie nobis servire. Quod si educere extra terminos Prussie illum aut ejus successores nos aut successores nostri voluerint, debebimus ei nos et successores nostri ad eosdem centum equites stipendium tale prebere, quale dari aliis mercenariis nostris equitibus est solitum; ubi vero nos vel successores nostri vellemus ipsum Albertum, marchionem aut ejus nominatos posteros nobis vel successoribus nostris majori comitiva servire, debebimus nos et successores nostri his omnibus militibus, quos ultra centum predictos conducere posset, mox post egressum a domibus ipsorum stipendium, quod nostris militibus dabitur, illis quamdiu nobis servient persolvere. Si autem plures quam centum predictos equites ipse Ill. dnus. Albertus, marchio aut ejus successores, duces in Prussia, educere non possent, non debebimus nos aut successores nostri ab illo aut posteris ejus, ducibus in Prussia, plura exigere.

Preterea non debebit ipse Ill. dnus. Albertus, marchio, et ejus nominati feudi successores, duces in Prussia, quidquam ex terris, civitatibus, oppidis, arcibus et bonis predictis vendere, verum si ad hoc illum aut successores ejus ingens urgeret necessitas, tenebitur nobis et

et successoribus nostris, tanquam dominis suis hereditariis, ante omnia denunciare. Quod si nos ipsi emere non curaverimus aut heredes aut successores nostri non curaverint, in hoc casu postea ipse dominus Albertus, marchio et dux in Prussia, aut ejus legitimi feudi heredes seu successores cuicumque voluerint vel poterint liberam vendendi habebunt facultatem, regalibus tamen nostris feudi et obsequiorum juribus semper salvis permanentibus. MDXXV.
Poterit etiam ipse dux in Prussia et ejus feudi heredes, ubi eos necessitas urgens premeret, ex bonis suis predictis, quantum opus foret, impignorare suis duntaxat subditis et vasallis, ut eadem bona unita et indivisa permaneant. Que omnia et singula suprascripta et quecunque alia, que vasallus et feudalis princeps erga suum naturalem hereditarium et superiorem dominum prestare et observare tenetur, debet ipse Ill. dnus. Albertus, marchio et dux in Prussia ac ejus legitimi feudi heredes ac successores firmiter ac inviolabiliter adimplere. Nosque vicissim illum et successores ejus omni gratia et favore regio complecti ac illos in juribus et immunitatibus ipsorum conservare pro nobis et successoribus nostris, regibus et regno Polonie pollicemur. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium sigillum nostrum est presentibus appensum. Datum Cracovie fer. II post Dominicam Palmarum.

Approbatio Infeudationis Prussie per Consiliarios, Nobilitatem et Civitates in Prussia ducali, seu obligatio statuum Prussie de feudo suscepto observando.

Nos infrascripti Ebrehardus, electus Pomezaniensis, Fridericus, dnus. de Haydek, ordinis Theutonicorum in Prussia, Henricus de Kittlicz, Georgius de Kunheim, nomine nobilium, Nicolaus Richau, magister civium civitatis antique, Crispinus Szembergk, consul in Kuribhoff, nomine majorum et minorum civitatum in Prussia palam facimus et recognoscimus: Quum retroactis annis multa graviaque bella inter Sermos. Polonie reges et inclitos theutonici ordinis magnos magistros tantis odiis inveteratisque dissidiis in utriusque populi polonici et pruthenici calamitatem gesta sunt, et parum profuerint hactenus contractus et pacis federa summorum pontificum, imperatorum regumque autoritate semper interposita. Cujus mali origo hinc dimanavit, quod Prussie terra (nam de ejus proprietate tantopere pugnatum est) rectore hereditario caruit, quum hinc reges Polonie, illinc magni magistri et militaris ordo jus suum pretenderent mallentque armis quam pia christianaque concordia negotium transigere, pervenit eorum malorum non parva portio ad nostram usque etatem, siquidem paucis abhinc annis oborto iterum ea de re bello, concurrentibusque infestis signis Sermo. rege Sigismundo et Illmo. principe Alberto, magno magistro, quanta vastitate utraque terra affecta sit, ostendunt ipse ruine et calamitas miserorum. Sunt vastati agri, abducti coloni, effusus sanguis christianus, vim passe mulieres, stuprate virgines, profanate sacre edes, preterea alia scelera et bellorum incommoda perpetrata, que turpe est audire, nedum fieri in populo christiano. Cujus belli immanitate moti et miserorum fortune miserti summus pontifex, sacratissima cesarea Mtas., Sermus. Hungarie et Bohemie rex, ad inducias quadriennales utramque partem piis rationibus flexerunt eo proposito, ut

MDXXV. ut quadriennio illo induciarum veterem discordiam omnino tollerent et firmam pacem inter nos, gentes finitimas, componerent. Erat spes bona nobis, fore ut aliquando concordia pro discordia veniret; ceterum quum christianus orbis undique bellorum tumultu variisque perturbationibus vexaretur, factum est, ut tam pium consilium tantorum rectorum rerum publicarum de concordia statuenda impediretur, quandoquidem quadriennium induciarum irritum abiit, ut ejus fine pro pace bellum videatur renasci. Quod sane ita erat in manifesto, ut aut ipsum bellum nova cum Christianorum calamitate fuisset suscipiendum aut in contractum thorunensem, cui titulus est perpetue pacis, conjurandum. Quando igitur versaremur inter duo ejusmodi pericula, ut aut arma patrie nostre intoleranda deinceps forent capessenda, aut necesse esset consentire in concordiam et predictum contractum perpetue pacis, nec in alteram partem se flecti permitteret Sermus. rex Polonie et inclytum ejus regnum, respexit deus propitiis oculis in pias preces calamitate afflicti populi deditque ex improviso pios ac prudentes pacis per alium modum procuratores, Illmos. principes ac dnos., dnum. Georgium, marchionem etc. et dnum. Fridericum, ducem etc., quos vetus discordia et periculum redeuntis belli non minus movit, quam si eorum res ageretur, quum sint utrique partium sanguine et affinitate conjunctissimi. Hi divina inspiratione invenerunt articulos transactionis et pacis cum justos tum christianos, qui si bona fide constodiantur, non erit amplius timor de periculo renascituri belli. Inprimis autem sua providentia curarunt, quo prestingueretur fons, unde hactenus tot mala fluxerunt, scilicet ut habeat terra Prussia principem hereditarium, qui justis de causis superiorem recognoscat Sermum. regem Polonie et inclytum ejus regnum; quandoquidem certis induciis et argumentis haud fallacibus jam tandem evidenter cognovimus, fundum et solum terre Prussie intra fines, limites et in circulo ditionis inclyti regni Polonie contineri et concludi. Quando autem nihil potius esse debet christianis peccatoribus, quam cum omnibus si fieri possit, inprimis vero cum vicinis, in pace et tranquillitate vivere, quam nobis magister noster Christus et ejus discipuli tanta cura et studio commendarunt, volentes accurrimus ad oblatas per tam pios principes conditiones pacis, qua hactenus indigni visi sumus et nunc divina commiseratione donamur. Idque eo libentius fecimus, quod nos ad eandem transactionem amplectendam clarissimus vir, Joannes Statilius, prepositus Eurisiensis, secretarius et orator domini Ludovici, Ungarie et Bohemie regis Sermi., dni. nostri gratiosissimi, adhortabatur duplici nomine, tum quod ad percutiendum fedus pacis missus esset, tum quod propositi articuli transactionis justi ac christiani a prefato Sermo. rege judicarentur, qui ceu alter summorum arbitrorum concordie statuende in quadriennalibus induciis nihil eque ad se pertinere affirmavit, quam vel in ipsis induciis, vel post finem earum inter principes utrimque sibi conjunctissimos et populos vicinos pacem procurare. Ideo consensimus et consentimus in transactionem et concordiam inter Sermum. dnum. Sigismundum, regem, et inclytum regnum Polonie ex una et Ill. principem, dnum. Albertum, marchionem brandeburgensem etc. et heredes ac successores ex altera partibus super feudo, juribus et proprietate predicte terre Prussie ac aliis punctis articulisque per prefatos Illmos. principes, dnum. Georgium, marchionem etc. et dnum. Fridericum, ducem legn. etc., pacis mediatores anno domini MDXXV die IX Aprilis Cracovie ad nostram petitionem et placitum conceptam et confectam,

fectam, ipsamque in omnibus punctis et articulis perinde ac si inserta hic esset nostro constituentium, heredum et successorum nomine laudamus, approbamus, et cum magna hilaritate animique gratitudine suscipimus et amplectimur, pro nobis prefatis constituentibus, heredibus ac successoribus nostris sincera et christiana fide et sub honore nostro, nec non juris jurandi sacramento firmiter et constanter promittens et efficaciter nos obligantes, quod eandem concordiam, transactionem, ut prefertur, in omnibus et singulis articulis et conditionibus fideliter et irrevocabiliter, sine fraude et dolo ratam et gratam habere et perpetuo observare nec unquam per nos aut submissas personas, quovis pretextu sive colore publice vel occulte ipsi contravenire volumus nec debemus. Renunciantes preterea omnibus et singulis juribus, privilegiis et exceptionibus, quibus eandem concordiam impugnare infringereve possemus. MDXXV.

Porro si Illmus. princeps et dnus. Albertus, marchio etc., quem de voluntate Sermi. regis Polonie in hereditarium dominum suscepimus et presentibus suscipimus, nec non Illtis. sue veri et legitimi feudi heredes masculi et subinde Ill. principes dni. Georgius, Casimirus et Joannes una cum omnibus suis legitimis feudi heredibus e vita migraverint et prefata terra Prussia ipsis in feudum concessa juxta inscriptionem predicte transactionis ad Sermos. reges et regnum Polonie devoluta fuerit, quod nos Sermis. regibus eisdem et regno Polonie, cui nos unanimiter sponte et ex certa scientia una cum predicto principe nostro tanquam superiori domino subjecimus et ex nunc subjicimus, nec cuiquam alteri adherebimus, obediemus et subjecti erimus; sed eosdem Sermos. reges et inclytum regnum Polonie pro dominis nostris quoad utile et directum dominium merum et mixtum imperium in perpetua subjectione profitebimur et recognoscemus, salvis tamen semper manentibus omnibus et singulis transactionis articulis, quibus in hoc casu terre Prussie cautum est. In quorum omnium fidem et robur nos suprascripti oratores nomine constituentium et nostro has literas sigillorum nostrorum appensione munivimus. Datum Cracovie IX mensis Aprilis.

Donatio quatuor millium florenorum annui Donativi alias „Jorgelt“ Duci Prussie, ad vitam illius.

Sigismundus d. g. rex Polonie etc. etc. significamus tenore presentium universis. Quia quum divino favore Ill. princeps, dnus. Albertus, marchio etc. nepos noster charissimus post controversiam, ad quam nobiscum devenerat, tandem ad nos veniens, medio Ill. principum, dnorum. Georgii, marchionis fratris germani ac Friderici, ducis legnicen. sororii sui, sè nobis reconciliarit magnaque ac evidentia testimonia et indicia de sua erga nos fide ac propensione exhibuerit, volentes ejus Illtem. in terris Prussie, quas illi in feudum dedimus, et que bellica sevitia magnum detrimentum sunt passe, relevare ac illum nobis et regno nostro majori beneficentia devincire, dandum et donandum illi duximus annuum stipendium quatuor millium flor. rhenen. in auro vel pro singulis aureis XXVIII grossos integros monete et numeri regni nostri presentis harumque serie literarum damus, donamus et assignamus ad terminos vite Illti. sue per nos et successores nostros quotannis solvendum, ita

MDXXV. ita videlicet, quod primam ratam anni hujus solvere debebimus ad festum S. Michaelis proxime futurum, alteram vero ratam ad festa Pasche anni domini MDXXVI, et deinceps singulis annis sequentibus ad festum Pasche dictam summam quatuor milium flor. rhenen. solvere nos et successores nostros, reges Polonie, submisimus et presentibus submittimus ac obligamus, promittentes in verbo nostro regio pro nobis et successoribus nostris, regibus Polonie, quod eam donationem ratam et firmam habituri sumus et illi semper quoad sua Illtas. vixerit satisfaciemus, et successores nostri, reges Polonie, satisfacient. In cujus rei testimonium sigillum nostrum est presentibus appensum. Dat. Cracovie fer. IV prox. post dominicam Palmarum. XII Aprilis.

Terminatura Tomicii: de tempore dimittendi arces.
De tempore conventus generalis in Prussia et restituendarum literarum et privilegiorum.
De captivis relaxandis et dimittendis.

Responsum a Sigismundo, R. P. Dominis Ducibus Mediatoribus datum XII Aprilis in valedicendo.

Sacra Mtas. regia, Illmi. principes, agit et habet plurimas gratias Illmis. vris, Dtionibus. pro ea cura et labore, quem in hac differentia pruthenica componenda subierunt. Cum enim Mtas. sua, ut sepe testata est, invitissimo animo hanc egit controversiam cum christiano principe et nepote suo, non potest hanc operam Illmarum. Dtionum. vrarum. non habere gratissimam. Pro qua quidquid vicissim illis in omnibus earum negotiis gratie, favoris et patrocinii Mtas. sua prestare unquam poterit, id se per omnem occasionem omnemque commoditatem semper quam libentissime facturam pollicetur.

Rogat autem Mtas. sua vras. Illtes., ut rebus et bono statui Sermi. dni. Ludovici regis non desint, ut hactenus fecerunt, opera, consilio et auxilio suo, quandoquidem preter debitum etiam status omnium subditorum ex bono statu domini sui potissimum dependeat. Mtas. vero sua nil eorum pretermittet, quecunque opportuna videbuntur et que a Mte. sua prestari poterunt, ad consulendum et providendum ipsi bono statui illius. Mtis.

De occlusione vie in Slesiam, quia res acta et constituta sit in conventu generali suffragiis omnium regnicolarum, non est integrum Mti. sue quidquam in presens mutare, verum cum primum Mtas. sua rursus cum senatoribus et regnicolis suis conveniet, ita cure habebit hoc negotium, ut postulatio Illmarum. Dtionum. vrarum., quam maxime fieri poterit, satisfacere valeat.

Responsum

Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, Domino Joanni Statilio, Secretario et Oratori Ludovici Regis Ungarię et Bohemie, Qui creationi Ducis interfuit, datum Cracovie, XII Aprilis.

MDXXV.

Sacra Mtas. regia, Rde. dne. orator, agit et habet imprimis immensas gratias Sermo. dno. Ungarie et Bohemie regi, nepoti suo charissimo, quod illius Mtas., constituta alioqui ipsa in summis difficultatibus et angustiis, sit tamen sollicita de statu et rebus ejus Mtis. paccandis. Quam benivolentiam et officium curabit vicissim illi Mtas. sua omni studio, omnibus viribus et facultate sua semper referre.

Quamvis autem animi omnium regnicolarum adeo exacerbati fuerint adversus Ill. dnum. magistrum in Prussia et illum ordinem, ut maluissent rem armis, quam aliqua concordia determinari in idque decreta fuissent certa subsidia, tamen necessitas et discrimen, quod Sermo. dno. regi Ludovico et regno Ungarie incumbit, ita permovit cum Mtis. sue regie tum omnium ordinum mentes, ut, dimisso proposito ac instituto suo, amplexi sint eam concordiam, que hoc tempore magis ex usu esse videatur, cui cum vra. Dtio. non interfuit solum, sed etiam nomine principis sui prefuit, latius illam uti facta sit illius Mti. et dominis consiliariis suis declarare poterit, et presertim, ut ad eam conficiendam potissima ratio et causa fuerit necessitas regni Ungarie, de quo et Mtas. sua et universum hoc regnum non minus est sollicitum, quam de statu suo proprio.

Declaravit etiam vra. Dtio., quam significationem habuerit Mtas. sua ab imperatore Turcorum, ex qua conjici potest, illum ad pacem vel inducias propensum, nihilque esse consultius his regnis quam, cum summates illi principes christiani se mutuo ad internecionem usque persequantur nullaque spes reliqua sit auxilii ipsorum, pacem ipsam vel inducias inire et a tot laboribus et sumptibus, quibus hec ipsa regna exhausta sunt, aliquantum respirare: interimque, quo he turbe intestine devenient, expectare. Et proinde quod reliquum est ad eas ipsas inducias tractandas et conficiendas, mittet Mtas. sua citra moram oratorem suum, qui non minus negotia regni Ungarie, quam hujus cure habebit, ut ex usu et dignitate quantum fieri poterit conficiantur.

Commendabit tandem Dtio. vra. Mtem. suam regiam Sermo. dno. regi suo, quem ejus Mtas. ut pupillam oculi sui, ut dimidium anime sue pendit ac reputat, non minorique amore complectitur quam unicum filium suum; nec minus est ejus Mtas. anxia ac sollicita de bono statu illius Mtis. quam de suo proprio, proindeque quiquid officii erga illam Mtas. sua prestare unquam poterit, viribus, gentibus et facultatibus suis, id se quam libentissime facturam offert et pollicetur.

Quod reliquum est, referet vra. Dtio. nomine Mtis. sue regie plurimam salutem Serme. domine Marie, regine Ungarie et Bohemie, ac Sermam. conjugem. regie hujus Mtis. et liberos suos diligenter commendabit.

XXIX. Joannes Dantiscus, Orator, Sigismundo, Regi Polonie.

MDXXV
Cod. Korn. et bibl. Ossolinianar.

Serme. rex et domine, dne. clementissime. Heri cum essem apud Mg. cancellarium, illumque de rebus Moscorum et quibus modis inter eos et Maximilianum, divum cesarem, quedam facta fuit amicitia, ac de istius gentis moribus et perfidia, quantum memini, certiorem redderem, allate sunt mihi litere Mtis. vre. Serme. Cracovie XIII Marcii scripte. Quas cum mecum ter quaterque exosculatas in hospitium detulissem atque avide perlegissem, tanto subinde affectus sum gaudio, quanto prius nunquam, fluctuatus utpote ingentibus animi procellis, tandem in portum relatus. Misi itaque post omnium perlectionem statim ad dominum cancellarium, ut me in colloquium certo et opportuno tempore admitteret, quod pro sua humanitate in hodiernum disposuit, ut una hora ante prandium eum convenirem illudque post negotia cum eo sumerem. Cum autem hec posta ante hunc nostrum conventum sit abitura, commode mihi se obtulit, ut saltem hoc unum Mti. vre. Serme. significarem, me totum literarum fasciculum sicut Cracovie conclusus fuit, integrum accepisse meque omnem daturum operam, quantum eniti possum, ut mandatis Mtis. vre. Serme. satisfiat, deinde cum primis postis uberius de omnibus scripturus. Que tamen hic aguntur, quantum temporis suppetit, brevibus perstringam. Scripsi nona mensis pret. de rebus pruthenis ea, que a nuncio dni. magistri intellexeram et de ingressu Moscorum ac de aliis' que tunc hic in novis habebantur, interea parum est immutatum. Mtas. cesarea vult huc cogere regnorum istorum conventum, quem „cortas“ vocant, ut de rebus suis statueret, presertim quomodo Italiam ingredi posset, opusque esset ad hoc iter largo viatico; sed adhuc de istis „cortis“ nihil intelligitur. Galli ad nullas conditiones propositas volunt descendere nisi ad pecuniariam regis sui redemptionem, conscribuntque gentes et faciunt exercitus, ut se tueantur. Fertur etiam, insignis quidam Gallorum orator huc venturus, fortassis mitius iste aget, impetus enim primi Gallorum solent esse acerrimi, sed ubi refrixit animus accurantur. Venturi huc sunt etiam duo magni oratores regis Anglie, congratulatum, ut ab isto oratore, qui hic agit, intellexi, de hac victoria cesari; sunt tamen, qui suspicantur, quod ad tractandum pro liberatione regis Gallie et ad aliquam pacem componendam huc mittantur. In angulo tota adhuc res heret. Captus est etiam paulo ante regis Gallie orator cum literis, qui ante hunc conflictum ad Mauros contra cesarem sollicitandos fuit missus, quod illi non parum in sua afflicta fortuna officiet. Nondum istarum rerum videmus exitum. Oratores statuum Italie multa pollicentur bona, sed omnis potentia solet esse invisa istis precipue hominibus. Hic adhuc quemadmodum prius nihil aliud quam nervus deficit, qui si haberi posset, finis certe hujus esset tragedie fieretque tandem contra Infideles aliquid, ad quod profecto cesar egregium pre se fert animum, factusque est post hanc tam longam suam egritudinem et corpore et animo validior, soletque si pacem certam habere posset, predicare, se vires suas contra Christi nominis hostes conversurum omnino. Quod deus aliquando faxit.

Secunda mensis hujus Mtas. sua cesarea Moscos audivit iisque usus est cerimoniis. Misit pro ejus

ejus more solito ducem et factorem eorum Antonium de Comitibus, et cum advenissent neque assurrexit neque tegmen capitis movit; illi inclinationes facere et pileos privatos deponere et rursus imponere induti in hoc hic ingenti estu binis et ternis vestibus pelliceis sudantesque plurimum, Mtem. suam sunt allocuti. Eratque scamnum dispositum panno aureo contectum, in quo sedere debebant, sed cum visi sunt pileos suos rursus imponere capitibus, stantes coacti sunt perorare, locutusque est eorum interpres latinum, quod nemo intellexit. Qua de re dnus. cancellarius, ut heri mihi retulit, subito discessit. Et sic non intellecti abierunt. Postero die per factorem eorum in scriptis dabant omnia. Mihi, qui nullam a Mte. vra. Serma. commissionem habeo, loqui non licet, non possum tamen mihi temperare, quin interdum non ut orator, sed ut privatus ex me ipso loquar et querentibus de illis respondeam. Heri, ut scripsi, cum essem apud dominum cancellarium, inter alia mihi dixit: si velim cum eo et vicinis meis, Moscis, prandere, invitassent enim se ipsos ad prandium. Respondi, quod nollem illius mense, illius hilaritati esse impedimentum, nam certo illos scirem, me presente, cujus dominum timerent, letos non futuros. Discessique ad letius prandium cum literis Mtis. vre. Serme. in diversorium meum. Postea dnus. cancellarius cogebatur istos nebulones expectare diutius, intellexerant enim, me illic fuisse nolebantque venire, nisi certo scirent, me ibidem non futurum. Intellexi, quod egregie poti, nam ex majoribus crateris biberant, cum omnium admiratione ex hoc symposio abierunt plus in recessu quam in fronte dedecoris relinquentes. Quid hic egerunt, cum primis diffusius scribam. Alia pro hac temporis angustia non restant. Commendo me suppliciter Mti. vre. Serme., ut dno. meo clementissimo illique eas, quas pectoris mei exiguitas potest, gratias habeo, quod mei est misertus et me scriptis suis ab Inferis reduxit. Datum ex civitate metropolitana Toleti V mensis Maji. MDXXV.

XXX. Joannes Dantiscus, Orator, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne. gratiosissime. Humillimam commendationem. Quam me beatum et felicem literis suis effecit Dtio. vra. Rma. pre nimio gaudio, quo adhuc estuo, scribere non possum. Deus opt. max. referat et rependat Dtioni. vre. Rme.; non opis est mee, ille faciat, quod Dtio. vra. Rma. nunquam turbetur, sed perpetua felicitate fruatur. Alia, que in presens scribi potuerunt, ex literis ad Mtem. regiam intelliget; hoc tamen, quin scriberem, omittere non potui. Non esse necesse, scribit Dtio. vra. Rma. meo calculo, at ego summe necessarium estimo; nollem enim cujuscunque suspicioni fidei mee non convenienti esse obnoxius, hocque aliquando, deo bene favente, cum rediero, non erit obscurum. Heri cum mihi regie cum literis Dtionis. vre. Rme. sunt reddite, de omnibus pecuniis et meis et regiis, per deum sancte juro, non restabant mihi nisi XVIII ducati, unde a Fuggaris, ut chirographus meus docebit, accepi in mutuum ducatos trecentos, de quibus subinde, ut me aliis oratoribus conformem facerem, pro una mula L. exposui, pro Cod. R.

 vestibus

MDXXV. vestibus estivalibus etiam L dari oportet, statim centum evanuerunt. Accedunt preterea quotidie multa pro rebus domesticis, equis, servitoribus, que licet frustatim exponantur, tamen non exiguam summam conficiunt. Utor ea, qua possum, parsimonia, ut cum dignitate Mtis. regie ceteris oratoribus non inferior hic agere possim, habeturque a me ratio, ut inter me, oratorem Sermi. regis nostri, et inter Moscorum nuncios certa sit differentia et utriusque principis respectus, et certe dignoscimur. Sed hec aliquando ab aliis referentur. Cumque voluntas regia sit, ut hic maneam, manebo libenter ac pro debito et fide mea solita agam ea omnia, quantum se meus intellectus extendit, que fideli subdito et servo Mtis. regie conveniunt. Hoc sibi Dtio. vra. Rma. et principibus nostris de me certe persuadere et polliceri poterit, in quo, si qua fides est homini, Dtio. vra. Rma. non seducetur, neque illam, deo duce, de me unquam fallet opinio. Scripsi in pluribus literis vehementius fortassis quam convenit Dtioni. vre. Rme., que, ut spero, post dni. doctoris Bork adventum perferentur. Rogo atque obsecro per gratiam suam in me, ignoscat et animo tot procellis agitato det veniam ac clementer indulgeat. Que Dtio. vra. Rma. scribit de meis popularibus (Gedanensibus) illos nihil moror in malam maximam crucem, plaga dei est, qua sine dubio paulo post gravissime corripientur. Velim meos procul ab illis agere. Exhibeat mihi Dtio. vra. Rma. eam gratiam, cum hoc tempore non vacat, quod scriberem, committat alicui de suis, vel dno. et fratri meo Nipczicz, ut parentibus meis scribatur, me hic recte valere; scio enim illos de mea salute esse plurimum sollicitos. Alia non restant. Nunc mihi relatum, inter pontificem, cesarem, regem Anglie et archiducem Austrie firmissimum fedus novum esse percussum, ut vocant, defensivum et offensivum. Relictus est locus intrare volentibus sub conditione, quam pontifex et cesar est prescripturus. Fertur etiam, pontifex decimam partem omnium reddituum et proventuum suorum cesari contra Infideles promisisse, et cum proficiscetur, se velle efficere, quod cesar pro nervo bellico septem milliones auri, qui faciunt septuaginta centena milia ducatorum, habere debet. Cesar ad hoc iter omnino est propensus, modo firmam cum Gallis pacem habere posset. Istas conditiones Gallis proposuit, ut inprimis restituerent ea omnia, que Carolus, dux Burgundie, ante LX annos possidebat, et quod pro interea perceptis se omni superioritati de ducatu Burgundie abdicarent, quod etiam provinciam redderent, in quo est Marsilia et dno. duci Borbonensi, quem cesar pro fratre habet et illi sororem suam Leonoram despondit, bona sua in Gallia restituerent, vultque cesar ex duce Borbonensi regem Burgundie facere, quum Burgundia prius etiam regnum fuerit. Dnus. de Benhein, quem his de rebus cesar ad Gallos misit nondum rediit; quale reportabit responsum, cum primis postis ac de rebus aliis latius scribam.

Invente sunt etiam cesari nove insule copiose habitate, ad quas etiam nemo prius pervenit, aromatibus variis et auro refertissime, acciditque illic miraculum prius in orbe christiano nunquam auditum, quod uno die fidem Christi susceperunt trecentena et LXX milia hominum utriusque sexus. Ea de re ibidem quum esset pre nimio calore extrema sterilitas, persuasum fuit illis ab Hispanis, quod in processionem irent, crucem pre se ferentes illumque, qui in ea passus fuisset, ut nos redimeret, adorantes, relictis idolis. Quod cum fecissent, subito copiosam deus dedit pluviam et omnem terram irrigavit, ut fructus produceret.

duceret. Unde in ista ignota mundi parte Christianismus fit et apud nos, id peccatis nostris merentibus, deficit. Quis novit sensum domini, quis consiliarius fuit? Homines in illis insulis non sunt nigri ut Ethiopes, sed fusci coloris, humaniores aliis inventi, estque propinquior via ad illos, quam ad eos, quos rex Portugalie reperit. Sed processi longius, cogor vela contrahere, ne hanc postam negligam, alio tempore de omnibus diffusius scripturus. Commendo me humillime Dtioni. vre. Rme, et Rmo. dno. meo Premisliensi, cui in presentia non licet scribere, faustissima omnia precor. Ex Toleto V Maji. **MDXXV.**

XXXI. Taxatio omnium Fundorum in Regno Polonie.

Sigismundus, Rex Polonie.

Universis et singulis principibus tam spiritualibus quam secularibus, Rmis. ac Rdis. in Christo patribus, dnis. archiepis., epis. omnibusque aliis status ecclesiastici ordinibus, nec non Mgcis., Generosis, Nobilibus, famatis et providis palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, terrigenis, nobilibus, officialibus et eorum vicegerentibus civitatumque et oppidorum tam nostrorum quam quorumcunque subditorum nostrorum, magistris civium, nec non consulibus, civibus, oppidanis et eorum communitatibus et generaliter omnibus subditis nostris spiritualibus et secularibus, cujuscunque status, sexus, conditionis et preeminentie in regno nostro existentibus, sincere et fidelibus nobis dilectis. Salutem et gratiam nostram regiam. **Cod. Korn.**

Sincere et fideles dilecti. Cupientes providere securitati regni nostri, quod ab hostibus continue infestatur, volentesque, ut omnes subditi nostri ferant juste et equaliter onus defensionis, quod sine debita bonorum taxatione fieri non potest, statuimus et decrevimus in conventu Piotrkoviensi generali proxime preterito, cum consiliariis nostris status utriusque et nunciis terrestribus, a nobilitate cum plena facultate missis, ut fieret estimatio seu taxatio omnium bonorum et fundorum h. e. civitatum, oppidorum et villarum totius regni nostri modo infrascripto.

Inprimis conventus terrestres indicemus et indicere promittimus in loco et civitate capitali cujuslibet palatinatus regni nostri pro festo S. Trinitatis proximo, et illos ubique publicari et proclamari curabimus. Ad quos conventus palatini et omnes dignitarii, castellani, capitanei et officiales totaque nobilitas uniuscujusque palatinatus convenire debent sub penis nostris regalibus.

In eodem conventu quisque palatinus cum castellanis, officialibus et nobilibus sui palatinatus eliget et designabit ad singulos districtus unum castellanum illius districtus et duos viros nobiles ejusdem districtus sic, quod ad singulos districtus sit electus ac designatus castellanus et duo nobiles ejusdem districtus fide digni, probate virtutis et bone conscientie. Quod si non fuerit in aliquo districtu castellanus, eliget palatinus alium dignitarium seu officialem

MDXXV. officialem alius districtus de consensu officialium et nobilitatis, que ibi fuerit, aut majoris partis ipsius.

Hi vero omnes supradicti jurati esse debent palatinus et castellanus sub eo juramento, quo nobis et Reipublice regni nostri obstricti sunt. Duo vero illi nobiles ex communitate electi corporale juramentum prestabunt, quod omnium et singulorum bona juste taxabunt et conscribent ita, ut illa vendi aut emi deberent, non habita ratione sanguinis aut amicitie vel cujuscunque necessitudinis, neque ex amore, prece, pretio aut odio, nec propter munera aut pollicitationes nec metu aut timore, sed jure sincere ac secundum deum et justitiam.

Palatinus autem cum castellano primario et duobus nobilibus ex communitate electis initium faciet ejusmodi taxationis bonorum et primus ipse capitalem districtum sui palatinatus obequitabit, videndo, estimando et taxando cujuscunque bona a suis propriis incipiendo, si illa in eodem districtu capitali habuerit, sive illa sint hereditaria sive obligatoria, secundum industriam, discretionem et conscientiam, et descendendo personaliter cum sibi adjunctis castellano et nobilibus ad singulos parochias ejusdem districtus et, ubi opus fuerit et dominis taxatoribus ita expedire videbitur, etiam ad villas ipsas, civitates et oppida, situm earum, proventus omnes diligenter perpendendo et disquirendo, et ibidem valorem et existimationem bonorum illius parochie, vocato ad se plebano aut ejus commendario et aliis hominibus, tam nobilibus, quam plebeis omnis ordinis et status circumadjacentibus, inquiret, nulli favendo, sed deum et conscientiam pre oculis habendo, ac ipsam taxam et valorem singulorum bonorum ejusdem districtus fideliter conscribi et annotari faciet.

Quo exemplo alii castellani cum duobus nobilibus juratis ibunt per districtus sibi deputatos illius palatinatus et taxationem omnem omnium bonorum descendendo ad parochias modo premisso facient et fideliter conscribent.

Ibit autem unus castellanus post alium infra unam septimanam si et in quantum priorem districtum absolverit per alios singulos districtus propterea, ut nobiles in diversis districtibus bona hereditaria habentes, taxationi suorum bonorum interesse possint, id quod facere debebunt et tenebuntur sub penis nostris regalibus, vel si ipsimet commode interesse non valerent, vices suas amicis vicinis, familiaribus aut officialibus suis committere possint, alioquin eorum bona nihilominus taxabuntur et taxari debent, absentia illorum non obstante.

Et quoniam in omnibus palatinatibus et districtibus domini spirituales habent bona ecclesiastica seu fundos, que licet nunquam alias subjecta erant oneri bellice servitutis, ut que per Sermos. predecessores nostros, Polonie reges et duces, sunt ab initio fundationis ecclesiarum ad usum duntaxat et onera ecclesie collata multisque immunitatibus et libertatibus donata, tamen in presenti regni necessitate et summo discrimine volentes ipsi domini spirituales sibi et ecclesiis suis gratiam nostram regiam demereri, fratribus vero suis dominis secularibus gratificari et Reipublice, pro cujus bono statu orare tenentur, ope sua non deesse, permiserunt etiam non gravatim, bona sua ecclesiastica hactenus semper libera, cum his, que ad defensionem obligata sunt, in presens taxari ita ut bona dominorum secularium taxabuntur. Et proinde dni. archiepi. epi. etc. designabunt duos viros ecclesiasticos bone fidei et conscientie ad quemlibet palatinatum, castellanos, officiales et

et per nobilitatem electos seu eligendos taxabunt bona omnia tam spiritualium quam secularium personarum et hi primum cum palatino et castellano primario ac duobus nobilibus electis capitalem districtum obequitabunt per singulas parochias et simul cum illis bona ejusdem districtus taxabunt et estimabunt modo supra scripto secundum deum et conscientiam, sublato amore, favore, metu, odio etc. MDXX

Iidem spirituales designandi per dnos. archiepos. et epos. ituri deinceps sunt successive per alios districtus illius palatinatus et bona omnia tam spiritualia quam secularia cum castellanis et nobilibus electis seu eligendis taxabunt modo et ordine supra scripto et non erit opus, ut ad singulos districtus eligantur seu designentur alii et alii spirituales prout taxatores seculares, qui ad singulos districtus eligi et designari debent, sed ad totum palatinatum et districtus illius omnes duo duntaxat taxatores spirituales incipiendo a primo et capitali districtu bona omnia, ut supra dictum est, cum taxatoribus ad singulos districtus electis seu eligendis taxabunt seu estimabunt.

Verum prestabunt prius juramentum corporale in manibus sui episcopi, quod non amore, favore etc., sed juste et secundum deum ac conscientiam ac justum rationis sue judicium bona omnia taxabunt et estimabunt.

Si vero taxatores spirituales et seculares inter se fuerint discordes in taxatione aliquorum bonorum spiritualium aut secularium, hujusmodi differentiam et quibus rationibus et causis queque pars nitetur et assertionem ac motum animi sui fulciet, describent et ad nos ad proximum generalem conventum perferrent revidendam per nos et consiliarios nostros et justitia mediante decernendam.

Peracta autem in singulis palatinatibus et districtibus eorum taxatione suprascriptisque diligenter omnibus differentiis, si que circa eam exorientur, eam palatini ipsi castellani et taxatores spirituales et seculares suprascripti in singulis palatinatibus conscribent ac in regestra seu libros redigent ac redigi facient illaque manibus propriis suprascripta sigillis suis obsignabunt, que palatini ipsi terrarum nunciis visis, perspectis et mature perpensis taxationibus omnium bonorum, constituemus modum et ordinem defensionis regni nostri, qui eidem regno utilis et subditis nostris tolerabilis et ferendus sit futurus, idque quod nobis in ea ipsa taxatione bonorum moderandum, augendum et minuendum videbitur facere et constituere cum senatu regni nostri et nunciis terrarum curabimus.

Quia vero nos ferimus multa onera in sustinendo statu nostro regio et expediendis Reipublice negotiis, non visum fuit, ut bona nostra regia, que libera et non oppignorata habemus, subjicerentur taxationi suprascripte, quoniam nos pro officio ac debito nostro proque virtute et benignitate nostra regia nunquam deesse volumus viribus et facultatibus nostris defensioni ipsius regni et subditorum nostrorum.

Verum bona reliqua omnia nostra regia, in summis pecuniarum quibuscunque obligata, subjecimus et subjicimus taxationi suprascripte, que perinde taxari et estimari debebunt ac aliorum subditorum nostrorum spiritualium et secularium bona hereditaria et obligatoria taxabuntur.

Quocirca vobis omnibus palatinis et castellanis ceterisque dignitariis et officialibus ac universis subditis nostris tam spiritualibus quam secularibus regni nostri presentem constitutionem

MDXXV. tionem conventus generalis denunctiamus mandamusque vobis, ut illam et ordine et modo, ut premissum est, diligenter exequamini pro fide vra. ac gratia nostra non aliter facturi. Datum Cracovie die natali S. Stanislai, patroni regni nostri gloriosi.

Post factam hanc bonorum taxationem non omnibus ex equo, instigantibus aliquibus ex senatu et ditioribus ex plebe, in alio conventu generali ea ipsa taxatio ad clamorem nunciorum, qui eam antea summopere flagitabant, rejecta est et abolita et libri ejus taxe concremati sunt, ne ullum ejus vestigium aut signum in hominum memoria et in rerum natura usquam exstaret. Cognosce gentis hujus studium ac fidem erga Rempublicam.

XXXII. Petrus Tomiczki, Eps. Cracovien. Vicecancellar. Luce de Gorka, Cast. Posnanien. Capit. Majoris Polonie generali.

Cod. Korn. et bibl. Ossolinianae. Mgce. domine, domine et fautor honorandissime. Quod me vra. Mgcia. de incolumitate sua literis suis fecit certiorem, fecit mihi rem perquam gratam: quidquid enim ei succedit ex sententia, perinde gratum esse solet ac si res mea propria esset. Quod ut per omnem occasionem facere velit, etiam atque etiam rogo, ego quoque in hoc mihi non deero, quin eidem vre. Mgcie. ad omnia respondere curem. Ea, que ex literis regie Mtis. vra. Mgcia. accepit, ut in Luteranos sectatores coërcendos et exterminandos eo sit animo, quo par est virum vere religioni penitus deditum et addictum esse, oro vram. Mgciam., nihil pretermittere dignetur et hoc sibi in animo constituat, ut cum sub nostro regimine et ecclesiastico et temporali, qui sumus gentiles et propinqua cognatione et affinitate juncti, hoc tam perniciosum malum in his locis, quibus, Deo bene juvante, presumus et in quibus nati et aliti sumus, exortum sit, quod in eo succidendo et evellendo ita elaboret, ut inprimis Dei omnipotentis gratiam promereamur et in hoc tam preclaro facinore perficiendo gloriam acquirendo, etiam benivolentiam bonorum conciliare studeamus. Ego nulla in re vre. Mgcie. deero et quidquid consilio, viribus et autoritate mea efficere potero ad vram. Mgciam. in hoc exercendo juvandam, sciat me nihil unquam pretermissurum esse, modo intelligam, quid sit opus facto. Mti. autem regiae vra. Mgcia. hac re se plurimum commendabit perficietque, ut in optatis rebus facilius apud eam sit impetrabilis, in quo ego quoque non deero, data tam honesta occasione.

Quid de rege Galliae hic habeamus et sentiamus, malo vram. Mgciam. ex inclusis exemplis literarum, qui ex Italia et Vngaria misse sunt, quam ex meis literis cognoscere. Nos in tanto casu et maxima rerum mutatione nihil aliud possumus dicere, quam fortune vicissitudines tales semper fuisse futurasque esse, ut nec quos clarificat, perpetuo foveat, nec quos ferit, perpetuo premat.

Quod autem ad conclusiones in componenda differentia pruthenica confectas attinet, redierunt jam dni. duces a dno. magistro, dicitur velle in omnibus conventis parere, modo sibi Mtas.

Mtas. regia adjicere velit Novam civitatem et Tolkmithum, que prius etiam per dominum Cathowski, ducis legnicensis nuncium, proposita fuerunt, et proinde, quorsum res evadet, scire adhuc non possum, postquam tamen confecta fuerit, faciam, ut sciat vra. Mgcia. Cui me ex corde commendo et opto, ut cum omnibus suis vivat felix et incolumis. MDXXV.

XXXIII. Andree Cricii, Episcopi Premisliensis, ad Joannem Antonium Pulleonem, Baronem Burgi, Nuncium apostolicum in Ungaria, de negotio pruthenico epistola.

Stanislaus Hosius Lectori.

Cod. R. Korn. et bibl. Ossolinianae.

Quis magis est demens invicto rege polono?
Dic, sodes, quisquis tam pia facta teges?
Hostilem potuit qui cum fudisse cruorem
Extirpasse manu funditus exigua,
Abstinuit tamen, et vultu suscepit ameno,
Viscera quem scivit diripuisse sua.
Id quod in hoc tradit nitido facilique libello
Qui decus est vatum, gloria pontificum,
Quem tu si memori, lector, studiose revolves
Mente, scies, quo hec res fiet acta modo.

In somnium Alberti, Marchionis.
Mathie Pyrseri.

Cum daret Albertus, dux, alto membra sopori,
E celo est illi visus adesse deus,
Cur mea sic, inquit, circumfers symbola pacis?
Pectore cum maneat bellicus usque furor?
Quem crucis hic gestas, omnem deponito fastum
Meque fide et votis disce vocare piis:
Sigismundo, regi, subsis dux inclytus, ille
Auxilio poterit rebus adesse tuis.
Est bonus, est clemens, omni virtute redundans.
Dixerat et sedes ivit ad ethereas.

Audio, te mirari, mi Baro, magistrum ordinis, quem vocant Sancte Marie Theutonicorum, ducem in Prussia creatum, eamque metamorphosim non probari a te, hoc nomine, quod et a religione et a piis studiis Sermi. regis nostro quodammodo aliena videatur. Quare, ut

MDXXV. ut cognoscas, nihil cum ab ipso religiosissimo principe, tum a senatu nostro actum esse perperam et inconsulte, explicandas tibi duxi succincte causas et rationes, que nostros ad eam pacem conficiendam adduxerunt. Primum, mi Baro, constat ferme universo orbi, hanc controversiam pruthenicam et tot prelia, tot lites, tot turbas, que etiam universam rempublicam christianam concutiebant, non alia de causa obortas, quam quod reges Polonie terras Prussie utpote suas hereditarias asserebant, magistri vero et ordo ille regibus Polonie uti hereditariis dominis parere et subesse reluctabantur, donec, Superis justitiam nostram adjuvantibus, res eo venisset, ut ordo ipse, cujus imperium adeo excreverat, ut maximis quibusque regibus par censeretur, succumberet tandem et cum tota ditione sua in subjectionem regibus et regno Polonie solemni concordia et pace perpetua cederet. Quam longissimo tempore observatam, cum postea refectis viribus rursus ordo ipse infringere cepisset reque aliquamdiu dissimulata et flamma sensim invalescente tandem erupisset, hoc postremum incendium ac illud e vestigio divus Leo X pontifex, demum Adrianus VI ultimo beatissimus Clemens noster, preterea cesarea Mtas., Sermus. rex Ungarie et Bohemie, ac plerique germani principes extinguere studuissent, factis quadriennalibus induciis, sperantes per arbitrariam cognitionem eam controversiam componi posse, idque minime successisset, sed nec succedere forte unquam potuisset, atque id videntes Illmi. principes Georgius, marchio brandeburgen. et Fridericus, dux legnicen. et inferioris Silesie capitaneus, veriti ne bellum acrius incrudesceret edoctique in comitiis regni Petricovie de ipso negotio agi rem, suo Marte aggrediendam pro debito necessitudinis duxerunt, venturosque se illic ad proponendas Mti. regie nonnullas conditiones et modos pacis significarunt. Quia vero comitia tum solvebantur, visum fuit rem ad Cracoviam rejicere, quo demum sequuti fuerunt Mtem. suam plerique consiliarii tam ecclesiastici quam seculares et facultas conventus generalis fuit eo, quoad ipsam actionem, producta. Venientes autem ipsi principes ingenue e vestigio et citra ullas ambages id, quod attulerant, proposuerunt: non posse ullam certam et firmam pacem cum ordine constitui, nec eum esse ordinem aliquem, qui ordo putaretur, proindeque haberet bona nonnulla in Prussia magister jure, ut vocant, feudi, et ex illis subjectionem debitam Mti. regie, uti hereditario suo domino, prestaret, duxque in Prussia et princeps regni Polonie crearetur: eandem esse voluntatem et postulata cum ipsius magistri, tum omnium membrorum et subditorum ordinis. Qui quidem ordo jam alioqui tempore sic ferente deficeret. Res ea ad senatum relata, primum non mediocrem omnibus admirationem, mox varias variis sententias et opiniones injecit; quibus enim conditio non probabatur, has potissimum rationes adducebant: ordinem hunc, ut creditur, sedi apostolice subjectum, proindeque sine autoritate illius destrui non debere, cesarem et nationem germanicam, quod ad se ordo ipse pertineat, persuasum habere, unde pro pace majora bella oriri posse in futurum, magistrum et commendatores, abjecta religione uxores ducturos: id nostro consensu fieri, male apud omnes Christianos auditurum, non fidendum esse his, qui ab unitate sancte matris ecclesie desciverunt, quique votum et jusjurandum deo prestitum non servarent, minus hominibus servaturos, et alia id genus, que verbis extensa varie animos senatorum afficiebant. Qui vero diversum senserunt, in hunc modum predicta diluebant: an ordo esset seu religio eorum, qui militiam profiterentur,

rentur, nec ne, aut cui ratione ordinis subessent, nostra nihil referre; verum cum olim MDXXV. Prutheni principibus polonis ad fidem conversis solita et debita tributa pendere recusassent damnaque insuper plurima regno Polonie inferre consuevissent, accitos fuisse ipsos milites, illicque in Prussia ea ratione collocatos, ut adversus Infideles principibus Polonie auxilio essent et terras sub infidelibus Pruthenis partas cum illis partirentur; milites vero ipsos ubi radices altius in terris illis agere cepissent, impetrasse clam literas cum a sede apostolica tum etiam a cesare: ut quas terras ab Infidelibus nacti essent, illas obtinerent. Successu itaque temporis et monarchia regni Polonie in multas partes scissa, eos ipsos milites Polonos pro Infidelibus premere et infestare cepisse, occupatas terras, meram hereditatem regni Polonie, oppidis et arcibus firmasse omniaque hostilia nunquam moliri destitisse; sed et domi subditos expilare, uxoribus eorum abuti, puellas et virgines violare, dies et noctes potare ac pergrecari, nil denique divini humanique pensi habere; unde bella ingentia cum Polonis et defectiones subditorum justissime sequutas, et quamvis sepe cesis et succumbentibus Cruciferis omnis ipsorum ditio in potestatem Polonorum redacta esset; majores tamen Sermi. regis nostri se ad pacem et concordiam sepius ineundam adduci passos, quam nihilominus milites ipsos semper infringere solitos fuisse. Ac deinde pace perpetua, auctore legato sedis apostolice, facta et subjectione seu homagio, ut vocant, per magistros plerosque et subditos omnes longissimo tempore regibus Polonie prestari solito, neque dum finem hanc tragediam habere potuisse, data etiam illi maxima occasione per sedem apostolicam recusantem semper eam pacem confirmare, que alioqui per legatum ejus fuisset composita, unde perjuria sepius commissa et bella denuo proximis temporibus orta esse, qui Mtem. regiam, quominus tueri se ab Infidelibus et nepoti suo charissimo Sermo. dno. regi Ungarie et Bohemie, adesse possit, destinebant ac prorsus impediebant cum maxima totius christiane reipublice jactura et detrimento. / Quare cum ordo ipse constitutus esset in eo loco septo undique dominiis christianis, ubi secundum professionem suam nihil rei christiane commodare posset, quin etiam bene de illa merentes interturbaret federaque et societates cum Schismaticis et Infidelibus iniret adversus Christianos ac dominos suos hereditarios ac nihil denique ordine seu religione dignum ageret, nihil justius nihil regno Polonie et toti rei christiane utilius contingere potuisse, quam ut dudum hec pernicies religionis extincta fuisset, quemadmodum in plerisque aliis regnis ac dominiis christianis factum constat citra ullam sedis apostolice autoritatem, quam adeo nunc demum non agnoscere ipsum ordinem, ut nihil apud illum nomine pontificis inhonestius sit et contemptibilius. Cum vero constitutum esset in conventu generali novissimo, neque pacem neque inducias cum ipso ordine ineundas, sed illum ex terris illis exturbandum: quandoquidem eo durante nullam unquam pacem vel concordiam firmam fuisse futuramque esse in posterum satis experimento constaret, discrimen vero commune cum regno Ungarie suaderet, concordiam qualemcunque faciendam et arma in Turcos convertenda, nihil optabilius et magis ex usu accidere potuisse, quam et ordinem, non minus quam olim Templarios noxium, a semet ipso sine bellico strepitu destrui et pacem, rei christiane pernecessariam, confici, hoc uno turbarum fomite e medio sublato, neque pontificem neque cesarem aut nationem germanicam ullam justam causam adversus Polonos

MDXXV. lonos quidquam agendi habituros, cum ordo is esset, qui modo pontificiam modo cesaream aut nationis germanice autoritatem et jus pretexendo et interim terras regni Polonie hereditarias occupando, hanc omnem Camarinam movere consuevisset. Quod si maxime liberet cuiquam Polonos eam ob rem impetere, illos, uti hactenus fecerunt, constanter ac intrepide justitiam ac hereditatem suam defensuros esse.

Quod autem ad religionem attinet, significatum jam pridem fuisse summo pontifici, Lutheranismum apud ipsum ordinem sacrosanctum, romanam vero ecclesiam execrabilem esse, plerosque commendatores, quos vocant, et sacrificos nubere, altaria et imagines demolitas, ceremonias et ritus ecclesiasticos sublatos, sacra omnia profanata, hecque non modo non animadversa et correcta esse per ejus Sanctitatis aut cesaream autoritatem, sed etiam ab utraque hactenus ordinem ipsum adversum nos, sedi apostolice fidos et obsequentes continueque cum Infidelibus decertantes, fotum esse et adjutum. Neque Sermum. regem, neque ullum Polonum occasionem dedisse, neque etiamnum dare ordini religionis abjiciende, suum duntaxat jus ab illo exigere, satis esse regnum et dominia regni Polonie ab hac peste heretica, jam ubique in vicinia grassante, tueri et conservare. De aliis viderint illi, ad quos magis pertinet. Qui cum pestem ipsam sinant in dies magis invalescere et ad bella intestina solum intenti ad ecclesie catholice perniciem et calamitatem oscitent et conniveant, cum preterea, sublato per eam heresim ordine, ditio ipsius ad Mtem. regiam et regnum justissime, ut ad hereditarium dominum, recidere debeat, nec ea repeti a possidentibus, nisi armis et perniciosissimo tumultu posset, consultius fore illam eis in feudum donare, qui jam eam tenerent et necessarii Mtis. sue essent, quam omnia estu bellico miscere, et regno Ungarie suoque, tanta mole Infidelium laborantibus, deesse. Quos quidem necessarios si quid delirarent, sperari posse sub religiosissimo principe et nationi incontaminate conjunctos ad cor aliquando et celerius quam alia occasione redituros. Quod si maxime non fieret, nullam tamen esse rationem, cur vel regi vel regno Polonie culpa impingi deberet, cum non hac concordia, sed longe ante fatis quibusdam, vel furiis potius, non in Prussia solum, sed etiam in tota ferme Germania ad hunc modum erretur. Quam rem si summates illi principes et quorum magis interest sistere nequeunt, minus per Polonos prohiberi posse, jusjurandum vero cum unicum sit et ubique receptum subditorum vinculum, quo et Rutheni et Armeni, Judeique et Tatari, que Mti. regie subsunt, vinciuntur, non posse etiam ab illis eo quidquam sanctius aut arctius exigi.

Talibus utrinque rationibus tota ferme Quadragesima per senatum nostrum satis frequentem diligenter expensis et disputatis, conventum est tandem: nullam unquam pacem aut inducias firmas cum ordine fuisse necdum fieri posse, proindeque cum, tempore sic ferente, a sua professione descisceret et bona ipsius inique alioqui occupata ad Mtem. regiam, uti hereditarium dominum, jure reciderent, pro quibus in tanto reipublice christiane discrimine noxium foret bellum excitare: concederetur, quod magister et omnes subditi ipsius postularent.

De religione vero reficienda cum universe Germanie consultum fuerit, quod jam pridem tantum incendium exposcit, etiam huic minori parti facile provideri et omnia ad rectum tramitem reduci posse, presertim firmata in terris illis regia autoritate.

Habes

Habes, mi Baro, causas et rationes totius transactionis hujus pacis et concordie, que si tibi minus idonee videbuntur, cogita, eam esse horum temporum conditionem, ut pleraque mala minori dispendio tolerari possint, quam ut acrius resecari deberent, et presertim cum nos autores non simus erroris aut prevaricationis alicujus, sed hac duntaxat occasione in rem nostram immo rei christiane abusi sumus. Nam ut ea omittam, quibus probari posset, ordinem hunc nunquam boni aliquid de re christiana meritum, ubique vero et noxium fuisse et seditiosum, certe vulgus haud immerito existimat, crucem hanc ejus latronis fuisse, qui redemptori nostro ad sinistram pendebat, proinde ut ominosa a bono principe et militibus ipsis desertam. De qua, ut more nostro inter nos tecum jocer, addam et meum epigramma olim editum, cum hujusmodi nugas nostras tibi placere sciam. MDXXV.

Esse cruces triplices constat triplicique colore
  Distinctas, hominum quas gerit ordo triplex.
Est rubea. Hec recte domini dicetur Jesu,
  Sanguine que illius facta cruenta fuit.
Est alba, et recte hec latroni congrua dextro,
  Mundarunt cujus paucula verba nefas.
Est nigra postremo levi latronis, et istud
  Quam recte illius non minus ordo probat.

Sed de his hactenus. Nunc quo ordine et quibus ceremoniis acta sit ea, quam dixi, magistri metamorphosis et subjectio seu homagium prestitum, accipe.

Dum hanc novam consilii materiam versamus, dum capitula et conditiones hujus totius transactionis condicuntur et scribuntur, tota abiit Quadragesima. Quare actum et celebritatem, que circa hujusmodi homagia fieri consuevit, ad diem Lune sacre hebdomade statui oportuit. Eo igitur die in ipso diluculo erigitur suggestum amplissimum prope pretorium urbis, tectum sericeis et aureis stragulis, et presertim locus ille editior, quem vulgo Majestatem vocant, ubi rex cum Sermo. filio sessurus esset. Concursus fit ad forum immense hominum multitudinis, opplentur vie omnes, quacunque incessus erat, armatorum virorum catervis, satagit pro se quisque, vel ornatus vestitu, vel armis instructus apparere. Interim Mtas. regia cingitur ingenti et splendida senatorum procerumque suorum corona, accersuntur primum orator Sermi. dni. Ludovici, Ungarie et Bohemie regis, Statilius, prepositus Eursiensis, vir, ut nosti, suavis et minime fuccati ingenii, demum duo principes, Georgius, marchio, et Fridericus, dux. Quibus omnibus Mtas. sua comitata et precedentibus principibus ac omnis ordinis consiliariis et aulicis vexilloque pulcherrimo novo, duci de more cum insigniis dando, sequente vero Serma. dna. regina cum Illmo. principe filio et reginulis ingentique insignium feminarum caterva in essedis et carpentis decentissimis. Venit Mtas. sua in pretorium, Sermaque regina cum cohorte sua in domum oppositam suggesto divertit, ut illinc commodius eam actionem spectare posset. Principes vero duo ad diversorium magistri concedunt, dum rex ornatu regali indueretur eo videlicet: sandaliis, amictu, alba, dalmatica, chlamyde seu pluviali et corona. Erant qui pro moribus hujus seculi egre ferrent, principem eo ornatu indutum, veluti quem sacerdotes inepte commenti essent, non perpendentes, regem omnium regum, Jesum Christum, eo modo ornatum fuisse ad ignominiam

MDXXV. ignominiam, qui modus postea cessit in eam memoriam et dignitatem regum christianorum, nec intelligentes regiam potestatem a religionis subsidio dependere, quandamque habere inter se etiam apud Ethnicos affinitatem et conjunctionem, unde priores illi clarissimi romani imperatores, idem summi pontifices exstiterunt, unde etiamnum reges itidem ut sacerdotes more et lege veteri unguuntur et sacri reges, sacre Mtes. appellantur. Maluissent hi ipsi censores optimum principem armatum ceu Thrasonem quempiam in theatrum produci, cum tamen innumeri christiani et fortissimi reges ac imperatores ornatu isto sanctissime instituto in his et aliis id genus actis semper sint usi, qui nihilominus armorum suorum clarissima gesta posteris reliquerunt, nunc ii qui magis arma crepant seque in illis, cum opus non est, ostentant, minus armis, cum opus est, agere solent.

Sed ad rem ceptam redeo. Induta Mtas. regia ornatu regio processit de pretorio in suggestum media inter Rmos. dnum. archiepiscopum gnesnensem, primatem, ac episcopum cracoviensem, precedentibus contigue primariis dnis. consiliariis secularibus, sceptrum, pomum et gladium ferentibus, ac innumeris proceribus aliis, sequentibus vero reliquis episcopis et secretariis. Ubi in solio regio Mtas. sua consedisset, venerunt primum episcopus pomezaniensis et plerique consiliarii et subditi Ill. principis Alberti, marchionis, qui oratione decenti facta, quod gratias agerent dno. deo de sublatis et compositis tandem omnibus controversiis et bellis christiane reipublice perniciosissimis, que in Prussia per tot annos gesta essent, nec hactenus paccari potuissent, id quod pia opera et christiano studio Ill. principum Georgii et Friderici qui suplices a Mte. sua petierunt, uti nepotem suum Ill. Albertum, principem, in gratiam suam suscipere et illi terras ac bona condicta in feudum tradere et concedere illumque principem feudalem regni sui creare dignaretur. Postea venit ipse Ill. princeps Albertus, medius inter dictos duos principes, ac ferme in eandem sententiam, comptius tamen, uti est ipse patrio sermone disertissimus, verba fecit, singularem fidem, supplicitatem et subjectionem testantia. Responsum est tam consiliariis prius, quam ipsi principi, deinde latinis verbis ac rara illa facundia et lepore, quem nosti, per Rmum. Petrum Tomicium, epum. cracovien.: bellum videlicet, quod inter Mtem. regiam et eundem principem intercesserat, gestum esse ab ejus Mte. animo invitissimo, quandoquidem esset illi tam arcta necessitudine princeps ipse conjunctus et discrimen rei christiane postularet maxime omnium principum Christianorum inter se pacem et concordiam, proinde cum divina benignitate essent tandem tot difficultates et controversie composite et ejus Illtas. tantam fidem et propensionem erga illius Mtem. et regnum ejus testaretur, missam facere non gravatim ejus Mtem. omnia, que animum suum offendebant, et tam ipsum principem, quam omnes subditos et optimates ejus omni favore et gratia complecti velle, eamque pacem et concordiam, que condicta sit, amplecti et servaturam esse, idque potissimum causa rei christiane et tot postulatorum Sctmi. dni. nostri pape, cesaree et catholice Mtis., ac Sermi. Ungarie et Bohemie regis, cujus status id potissimum exigeret, aliorumque principum christianorum concedereque illius Mtem. hec singula, que tam ipse princeps quam ejus subditi postularent ea spe, quod se deinceps erga ejus Mtem. et regnum ipsius ita gerent, uti probos et fidos subditos erga suum dominum hereditarium decebit.

His

His finitis accessit princeps ad solium et pedes regios inibique genuflexus, accepit ab ejus Mtis. manibus vexillum et insigne, aquilam nigram cum S litera coronata in pectore cum institutione ore regio facta ad ducatum et terras designatas in Prussia. Deinde super libro evangeliorum ac tenens vexillum, fratre vero Georgio, marchione, qui proximus successor est, caudam ipsius vexilli contingente, prestitit jusjurandum in hec verba: „Ego „Albertus, marchio brandeburgensis, in Prussia, Stetinensis, Pomeranie, Slavorum, Cassu- „borum dux, princeps Rugie et burgrabius norimbergensis, promitto et juro, quod Sermo. „principi ac domino, dno. Sigismundo, regi Polonie, Mg. duci Lithuanie, Russie ac omnium „terrarum Prussie domino et heredi, sicut meo naturali hereditario domino, et ejus Mtis. „heredibus et successoribus, regibus et regno Polonie ero fidelis et obsequens ejusque „Mtis. ac heredum et regni Polonie bonum procurabo et damnum precavebo, ac omne „id faciam, quod ad fidelem vasallum pertinet. Ita me Deus adjuvet et hec sancta Dei „evangelia.“ MDXXV.

Accepto ejusmodi juramento, Mtas. regia, gladium educens, novum ducem precinxit, ut vocant, equestri dignitate, imposita illi etiam torque aurea, regio munere non indigna. Mox hospites primum, dehinc omnis ordinis homines, qui ad id equestre munus contendebant, sunt precincti. Quibus omnibus peractis ac depositis regalibus indumentis, rediit ejus Mtas. cum toto illo comitatu in arcem, ubi actis primum in ecclesia solenni cantu deo gratiis, et benedictione pontificali accepta, reliquiisque Sanctorum et per regiam Mtem. et per principes osculatis, demum ejus Mtas. in regia sua omnes tam hospites quam suos optimates ac proceres lautissimo convivio accepit. Duo dehinc dies in conficiendis literis ultro citroque dandis sunt consumpti. Tandem principes omnes donati ampliter, et eorum consiliarii, die Jovis sacro discesserunt.

Accipe, mi Baro suavissime, pro meo longo silentio, de quo toties conquestus es, verbosissimas literas, adeo tamen sinceras et fideles, ut nihil vel eorum pretermissum sit, que secretius et liberius sint in consilio nostro agitata et dicta, non quidem in contumeliam vel ordinis vel cujusvis alterius, sed ad declarandum duntaxat, quod utrinque non sine justis ac decentibus rationibus sit ea pax et concordia hoc modo composita. Nunc, mi Baro lepidissime, vale perpetuo et me dilige tuamque aliquando de his et aliis rebus sententiam ad me perscribito. Datum Cracovie.

In arma et insignia Ducis et Terrarum Prussie. Andr. Cricius.

Scissa prius fueras magnisque agitata procellis
Prussia, cum adversus regibus ordo fuit,
At nunc Sigismundo, rege, Albertoque, nepote,
Heredi tota es subjecta facta tuo.

Dictum Germanorum Ordinis theutonici de ejus interitu.

Liben Bruder esset unde trinket das beste
Unser Orden steet leider nicht feste.

Ad

MDXXV.

Ad Serenissimum Sigismundum, Polonie Regem Mathie Pyrserii, Silesii, Congratulatio.

Nunc merito, Sigismunde, tibi, rex inclyte regum,
Dicat Te Paean Marte Polonus acer,
Quod per te patrie pax est sancita perennis
Atque nepos regni subditus imperio.
Quot pater et quot avus gesserunt acria bella
Vistula queis toties cede cruentus erat?
Non tamen his poterant armis paccare furores
Paccavit pietas, rex, tua et integritas.

XXXIV. Postulata Alberti, Marchionis Brandeburgensis, Ducis Prussie, apud Sigismundum, Regem Polonie.

In secreta audientia Cracovie fer. III ante Pentecostes.

Cod. R. Commemoravit in primis ea, que per dnum. Czemam Mti. regie jam antea significaverat, suadens et rogans, ut Mtas. sua cum Sermo. nepote suo, dno. Ungarie et Bohemie etc. rege, conveniret, quod se, dixit, fecisse, tum propter multas difficultates sopiendas, quibus idem Sermus. dnus. Ungarie et Bohemie rex in regnis et dominiis suis premeretur, tum ob firmandum statum Illmi. filii Mtis. sue in regno Polonie ob eam causam, quod sciret, esse non paucos in regno, qui forte nollent, ut idem filius succederet in regno Mti. sue. Qua in re ex animi sententia Mtis. sue perficienda pollicitus est operam, vires et facultates suas.

Deinde recensuit, quam cuperet, ut frater ejus, Ill. dnus. Joachimus, marchio, esset in bona amicitia cum Mte. sua habereque se dixit copias quorundam federum, que confecta fuerunt, regnante jam Mte. sua, optavitque, ut Mtas. sua designare dignaretur aliquos consiliarios suos, qui cum consiliariis dni. Joachimi, marchionis, convenientes innovarent eadem federa, et si quid in eisdem addendum videretur, ut adderent, pro communi utilitate et pace utrorumque dominiorum et communium subditorum. Dixitque, quod id agere vellet apud ipsum dnum. Joachimum, nomine Mtis. sue, si id ipsa vellet, vel suo nomine ut ad hoc accederet.

De Illma. reginula filio juniori ejusdem dni. Joachimi desponsanda, quod suaderet et rogaret, ex se ipso non ex commissione ejusdem dni. Joachimi esse.

Non posse sibi persuadere, ut principes arbitri, qui susceperunt ad se differentiam, que est inter principes Pomeranie et ipsum dominum Joachimum, marchionem, dirimendam, eandem

differentiam

differentiam componere possent, cum autem, prout accepit, dux Georgius Pomeranie velit libenter pati una cum fratre suo, ut Mtas. regia eam ipsam differentiam sopiret et componeret, ubi per priores arbitros non fuerit composita, arbitratur fore valde utile et plurimum expedire ad eam ipsam differentiam facilius componendam, ubi Mtas. sua dignaretur affinitatem cum ipso dno. Joachimo, marchione, contrahere modo supradicto. MDXXV.

Ut Mtas. sua fratrem suum Vilhelmum, marchionem, ad curiam suam accipere dignaretur et cum gratia sua prosequi ac oculos suos super eum calefacere collocareque illi in matrimonium ducem Masovie relictam una cum ducatu; et si totus ducatus ei dari non posset, ut saltem ejus aliquam partem habere posset, quam gratiam Mtis. sue una cum eodem fratre et aliis suis amicis omni studio et facultate sua vellet semper demereri. Putat multum commodum fore rebus iis, que ex responso magistri Livonie accepit, ut Mtas. sua fedus iniret cum rege Danie moderno, socero suo, cujus regnum conterminum est dominiis Mtis. sue et si placuerit Mti. sue, vellet ipse hoc curare et operam suam impendere apud eundem socerum suum.

Dixit: habere se plures amicos in imperio principes, comites, nobiles et civitates, quos pertrahere vellet in societatem suam, quo ab illis in necessitate auxilia opportuna et suppetias habere posset, tamen id noluit neque vult absque scientia et voluntate Mtis. sue, quam petiit sibi declarari.

Postremo repetivit petitionem suam, quam alias publice fecerat, commemorando damna perpessa et extenuationem proventuum suorum, quos distrahere eum oportuit in fratres, qui fuerunt cum eo in ordine rogandoque, ut Mtas. sua benignam rationem ejus habere dignaretur, quo honestius et utilius Mti. sue in omni necessitate sua servire possit.

Rogavit pro Czema, ut darentur ei in hereditatem bona Christburg, que alias etiam similiter donata erant domino olim Spoth.

(Spectant ad annum sequentem haec postulata.)

XXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Clementi VII., Summo Pontifici.

Sanctissime. Quod erat jam pridem in votis cum vre. Sanctitatis ejusque predecessorum, tum omnium ferme principum christianorum, ut bellum, quod inter me et magistrum Prussie intercesserat, compositum esset utpote universe rei christiane noxium et perniciosum, id tandem divino favore factum vra. Sctas. non ignoret. Cum enim inducie expirarent, neque ulla esset spes tante controversie per arbitros dirimende, venit ad me magister Prussie, condictis prius medio Illrium. principum Georgii, marchionis brandeburgensis et Friderici, ducis legnicensis, communium consanguineorum et affinium nostrorum, conditionibus pacis et concordie, que pro tempore fieri potuerunt et quales mutua necessitudo nostra postulavit, prestititque magister ille mihi debitum suum, quod et majores mei et ego justissime exigebam, prestiti et ego vicissim erga illum, que jure meo potui, presertim desciscente a professione sua ordine illo et terris omnibus Prussie justissima Cod. Karnkov. bibl. Korn.

 hereditate

MDXXV. hereditate regni mei in potestatem nostram redactis, unde sperem tanta bella et dissidia non sopita solum et composita, sed etiam radicitus sublata et extincta, alioquin tragedia hec nullum unquam finem habere potuisset, presertim cum subditi mei omnes exigerent a me modis omnibus neque ab hoc instituto ullo modo dimoveri potuerint in conventu generali regni mei novissimo: vel cogendum tandem magistrum Prussie ad prestandam obedientiam et omagium mihi et regno meo debitum vel illum ac ordinem ex terris illis exturbandum; videns autem ego, quantam perniciem afferret non iis regionibus solum, sed etiam universe rei christiane bellum resuscitatum, a quo me semper et vra. Sctas. et ferme omnes christiani principes dehortabantur, elegi potius etiam pacem, que pro ratione temporis contingere potuit, et visa est solidior quam omnino necessitate et furore bellico terras et hereditatem meam et regni mei repetendo omnia vastare et destruere, considerans alioquin jam pridem in Prussia non de ordine solum, sed de tota prorsus religione actum esse. Cui errori nullam adeo penitus occasionem unquam prebui, ut etiam in hac pace conficienda nihil non tentaverim, quo omnia acta fuissent juxta observationem sancte religionis catholice prout omnes actus et tractatus nostri testari potuerunt. Inter quos tamen multa effeci cum consiliariis meis commoda pro jurisdictione ecclesiastica et restitutione bonorum ecclesiasticorum in illis terris, que acta et deplorata videbantur; et spero subinde deo propitio et vra. Scte. mihi assistente, reliqua sine magno strepitu ad normam et debitum modum per me reduci posse, qui cupiam et paratus sim semper pro bono statu rei christiane et istius ss. sedis apostolice non modo studium, operam et facultates meas omnes, sed et sanguinem et vitam meam, si ita res postulet, exponere et profundere. Nec unquam Sctas. vra. aliter sibi de me et subditis meis persuadere patiatur, nam et pestem istam luteranam perniciosissimumque incendium ejus, quo regni mei proximus et major ardet paries, quanto labore et sollicitudine extinguere et a regno meo arcere nitor, satis cum edicta et legationes mee tum vel nuncii et legati Sctis. vre. testimonio esse possunt. Significandum autem duxi hunc successum rei pruthenice vre. Scti., tum quia sciam illam omni studio ad communem pacem Christianorum incumbere, tum etiam, quod non ignorem, qua cura et benignitate me et res meas omnes amplecti dignatur. Proindeque spero non mediocrem inde letitiam et voluptatem vram. Sctem. habituram esse. Cui me etiam atque etiam humiliter commendo, et opto, ut diu vivat incolumis et felix.

XXXVI. Albertus Gastold, Palatinus Vilnensis, Bone Sphortie, Regine Polonie.

Contra ducem Constantinum de Ostrogk et contra Radivillones.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Serma. princeps et domina, dna. clementissima. Pro ea, qua me servulum suum singulari dignatur sacra Mtas. vra. prosequi, gratia et benignitate, quam maximas fundo, habeo et ago gratias*

gratias atque perpetuis et fidelibus obsequiis me eidem Mti. vre. et liberis ejus Illmis. deditissimum adigo, cui jam pridem ab initio felicissime coronationis s. Mtis. vre. atque nec minus felicis sublimationis dilectissimi filii sui nostri heredis Illmi. Mg. ducis et domini, dni. Sigismundi Augusti addictus sum iure hereditario et sempiterno, quem sicut omnes nos fideles subjecti summis precibus sacris Mtibus. vestris, dari precabamur, ut rem ab origine exordiar meam fidei et innocentie constantiam, in quibus per adversarium passim accusor, expurgando, ita datum ex alto prospere, consiliis utique primum meis sublimari fecimus. Mox enim cum intellexissem tunc ex Rmo. dno. Laurentio Miedzilewski, epo. camenecen., amico meo singulari et nimis fidem pre se ferente, voluntatem sacre Mtis. vre. desuper mihi declaratam, omnem operam et summam diligentiam tum adhibui atque non modo consilium dedi s. Mti. regie, dno. nostro clementissimo, qui uti parens prudentissimus suo unigenito quoslibet ob respectus id vel intime tacitus tunc favebat, quousque a me prius desuper cepisset consilium, felicibus auspiciis exorsus erat liberius de ea re loqui et desiderare, ut celerius res ipsa in effectum deduceretur, sed etiam tanto fortius ego apud universos fratres et amicos meos precipuos hac in terra non parvi nominis et momenti institi et agere cepi persuadens eos in rem, ut unanimiter consentirent, pertraxi, et consenserunt paucis renitentibus et hoc auctore adversario meo, qui cum mihi videretur esse amicissimus iureiurando etiam fidem amicitie sue mihi obstringens, libere in domum meam, ut crebrius id facere solebat, veniens. MDXXV.

Flectebat ipse genua et complosis manibus in secreto consilio precabatur una cum sibi adherentibus qui et in presentiarum illi adherent, ne tam felix sublimatio fieret. Quas ob causas id faciebat aliquotiens et quidem instantissime, in promtu et facilis conjectura fieri potest. Non deerat tum nec quidquam detraxit, sicut aliis in rebus, ita et in ea nature et mori suo rutheno. Ad extremum sacra Mtas. regia ore suo et quidem prudentissima sententia memoratu digna illorum temeritatem compescuit, dicens ad illos: vehementer miramur mutationem votorum vestrorum, quia dum herede carebamus summopere desideria vestra ostendebatis efflagitantes, ut Deus eum nobis concederet, at dummodo ex immensa gratia id largiri nobis dignatus est altissimus ipse, vos nobis et filio nostro eam felicitatem videmini non favere, ut scilicet nos superstites videamus ejusmodi sublimationem filii nostri et ipse in minorennitate constitutus id assequatur. Quam rem admodum ingratam nobis esse, intelligere poteritis.

His verbis attoniti renitentes obticuere simulque majore et nobiliore parte eos vincente, consensere victi.

Ex eo inprimis facto concepit quam maximum in me odium ruthenus ducaculus et inivit contra me secretam conspirationem cum domo Radivillorum, mihi perpetuo ob virtutes meas et majorum meorum infesta et inimica, qua non solum me unicum superstitem et innocentem bonis meis hereditariis, sed etiam vita et bona fama mea inique, calumniose et falso privare ulla absque causa aliquotiens tentabat et conabatur, eo quod illos genere et, ut verum fatear, antiquitate et possessionibus anteibam, cum illis ab exordio pauca esset suppellex, quia viginti dumtaxat cmethones, qui proavo eorum ante centum annos per Mg. ducem Vitowdum dati erant. Eorum rusticitatem, quam prius paulo ante olim ducissa Masovie soror eorum, duci Conrado nupta, nobilitaverat, modernus Sermus. rex noster et dominus gratiosissimus, conjunx sacre Mtis. vre. causa deinde intercessionis ejusdem mulieris, que utique benignitate nature

 favente

MDXXV. *favente non indecora erat, sublevavit valde bonis Goniądz et aliis quam plurimis de mensa Mg. ducatus sui ad valorem centum milium ducatorum ornavit. Sed ne longum faciendo sermonem sim tedio, quam brevissimis rem expediam, ut meam fidem, constantiam et integritatem apud sacram Mtem. vram., ex quo me sue Celsitudini intellexi iniquo zelo et falso fuisse delatum, bene expurgatam facerem et puram.*

Hostis vafer non tantum meus, sed etiam factorum meorum, que ego pro sacris Mtibus. vestris ac pro Republica facio et pro virili mea intrepidus exequor, non solum bona fama honoreque naturali et bonis honestisque modis quesito, verum etiam vita me artibus suis perversis privare contendens, hos qui semper abstant ab auribus sigilla ferentes regni auro corrupit, ut sibi et libidini sue assisterent arte vafra, quo liberius in Rempublicam cum Ruthenis, cum quibus in eam conspirat, debaccharetur. Cujus unicum hac tempestate me, uti patricium, perspexit fortem et indefessum custodem et tutorem more majorum meorum pro gratia et salva felici et tranquilla sacrarum Mtum. vrarum. pace et dominatione.

Propter quod me hostis ipse cuperet, veluti olim Radivil, palatinus, qui etiam se procuraverat per olim Maximilianum, cesarem, creari in ducem, tollere de via, qua tendere cuperet, cum eam videat sibi per me obsessam, quoniam dictus olim Radivil, palat. vilnen., predecessor meus, id in animo habuit, quod hic, nescio ex qua constellatione fieri assolet, constituerat usurpandi sibi dominium sic quia ex Italia, Anglia, Francia, Polonia, Alemania et Masovia clam conduxerat astrologos, ex quorum practica habita revelatione nativitatis Sermi. regis nostri feliciter moderni, cum illi falso sibi predixissent, regem nunquam geniturum masculum heredem, ipse primum sororinum suum, ducem Masovie, cui propterea in uxorem precabatur desponsareque tentabat sororem suam, ducissam Masovie, tandem cum ipse creatus esset in ducem, jam se ipsum ad instar Michaelis Glinski, miris artibus conabatur facere Mg. ducem, cujus rei non ignarus est Sermus. dominus noster rex.

Quorum exemplo idem hostis meus dux Constantinus ingrediens — utinam similem finem acciperet ut Michael Glinski, alter perpetuo captus tenetur vinculis alter (Paulus Radivil) inconfessus et intestatus subitanea periit morte occumberet — vellet hoc ipsum dominium, hereditatem domini nostri clementissimi Sigismundi vi Ruthenorum occupare. Propter quod mox cum creatus fuisset in palatinum trocensem aperuit abscondita cordis sui tumque supremum ducem Ruthenorum slucensem, cujus simul duo proavi per divum Casimirum regem atque Mg. ducem, moderni domini nostri Sermi. genitorem, ob eandem causam sunt merito detruncatione capitis puniti, in amicum conciliavit, germanam sibi in uxorem ducendo, quamquam eum prius pro capitali hoste ducebat, supplicans eum flexis genibus et complosis manibus coram sacra Mte. regia et toto senatu ante tres annos capite plecti vel se ipsum una cum filio suo perimi. Nunc autem, faciens nos cecos et artium suarum perfide conceptarum quasi ignaros, unum cor et anima una secum factus est, eaque caussa mihi struunt per calumnias miris modis excogitatas odia, indignationes, accusationes et dispromotiones nedum apud utrasque sacras Mtes. vras., sed etiam apud omnem senatum et plebem, non satis habentes si me vita privarent, sed quod unicum filiolum meum, sanguinem innocentem, absorberent, ut sic obice non obstante facilius potirentur rerum et votis suis.

Propter quod et anno preterito ipse hostis meus diversis modis, largitionibus et supplicationibus querebat

querebat nihil omittens vadium quadraginta milium florenorum inter me et adherentes mihi ab una atque inter eundem hostem et complices suos partibus ab altera deponi, cum tamen ego efflagitabam, ut scilicet pro tranquillo statu sacrarum Mtum. vestrarum et hujus patrie conservatione pacifica non deponeretur, rem ipsam ratione moderando, licet maluissem hostis comprimere insidias, cui nec uno ungue cederem animo et gladio. Gloriatur se bene meruisse de Republica, homo novus infime conditionis et de pauperrimo ducaculo Ruthenus natus. At quid ego revera audeam dicere de me tanquam insipiens, si gloriari oportet, non tangendo majores meos semper strenuos et optime ab aliquot centum annis de hac Republica meritos, cum tamen iste hostis meus et majores sui nunquam in consilio sedissent, a quo perpetuo exclusi erant et vix starent in scabello pedum majorum meorum, de quo ego primum gratias deo opt. max., qui hec cuncta versat, hunc humiliando et hunc exaltando, et deinde Sermo. dno. meo regi ac divis majoribus immortales ago et habeo, acturus perpetuo et quibusvis servitiis fidelibus sibi et posteritati sue Serme. fideliter famulaturus. MDXXV.

At iste hostis meus ac potius Reipublice tantum meruit de Republica, uti gloriatur, quantum fuit causa et origo destructionis ejus. Nam tempore divi olim Alexandri regis et Mg. ducis, cum primum creatus fuisset in directorem exercituum, mox indiscrete et infelix cum Moscis commisit bellum, quod potius detrahere debuit propter paucitatem suorum, quia duntaxat quatuor milia equitum erant in exercitu nostro lithuanico, Moscorum autem L milia, et ibidem solus inprimis ipsemet director captus est. Capti et alii plurimi primores et barones, vivi abducti in Moscoviam, reliqui cesi. Hec strages ductu hostis mei facta est origo et initium calamitatis nostre; etenim Moscus capta audacia ex hac victoria arces et terras passim libere vagando cum exercitu intercepit atque a Mg. ducatu fere dimidiam ejus et quidem uberiorem partem ademit consilio et opera hostis mei.

Quid deinceps fecit, cum deus opt. max. tantam concessisset felicitatem Sermo. regi nostro, ut non omnino magna manu ingentem exercituum multitudinem hostis Mosci fudisset delevissetque, ipse uti capitaneus exercituum, ubi celeriter debuit persequi hostem victum, fusum et trepidantis exercitus ejus reliquias absque respiratione, illic continuit nostros non longe a Smolensko, quia solum in XX miliaribus agentes, ne ad illam arcem recuperandam proficiscerentur, quod penitus factum fuisset, si admisisset exercitum nostrum progredi, quia dux Moscorum vix fuga evaserat, nec constitit priusquam pervenisset ad album stagnum CCC leucis a Moscovia distans. Et tunc arx Smolensko stetit aperta duabus septimanis, quia sine presidiis erat relicta. At noster capitaneus, Ruthenus favens plus Ruthenis quam nobis Catholicis, habens totam sibi datam in campo potestatem tandem post octo septimanas direxit exercitum contra Smolensko brumali tempore, quod ex animo expectavit, cum in die nativitatis S. Marie facta sit strages, quis vel puer vel adeo stupidus rem studiose per eum esse factam in favorem illius perverse gentis dubitaret? Ideo enim gentem inimicam nobis mox facta strage existentem tunc sine duce sine ordine et provisione non est persecutus, sed illam respirare ac provisionem sui facere inducias ei contulit et exercitum nostrum usque ad hibernum tempus interemit. Et similiter fecit in obsidione castri hostis Opoczka, ubi exercitum magnum perdidit tempore brumali, et cui hostis nocere non potuit ipse nocuit.

Anno preterito, quando Turci Volhiniensem terram devastaverunt, ipse cum quatuor milibus equitum,

MDXXV. *equitum, quos habuit, bene servire Reipublice potuit, sed ut duntaxat posset in me rejicere aliquid culpe sue per calumniam, quam assuevit laborare, uti omnes fere natura suapte Rutheni facere sciunt, abnuit sic ab initio sui capitaneatus, majorem semper hec Respublica passa est ruinam quam defensionem et usque modo ejus occasione passura est. Quod tamen ipse suis technis et vaframentis didicit tegere et gloriam pro ignominia de se inanem uti superbissimus spargere adhelans ad altiora.*

Quod quidem Rutheni cum suo ducaculo isto vel avidius exequi ad effectumque deducere vellent, quod noscant dominum nostrum Sermum. regem, nemini quantumcunque bono vel malo premia juste reddentem adeoque pro benignitate sua incurabilem, ut nequidquam malo et perfido homini dicere audeat, unde summa licentia et audacia in eum nascitur. Propter quod ipse hostis satagit me semper ad conventum suorum malignantium elicere, ut sic me facilius opprimere et extinguere possit, ut me sic extincto illico sacre Mti. et filio sue Celsitudinis, quod haud difficulter efficere posset, dominium Lithuanorum pro voto suo Ruthenis, ad quod conjurarunt, occuparet. Qua in re non fabulas nec falso excogitata dico, sed veritatem, pro qua potius mori vellem quam illam videre deduci ad effectum. Res notissima est ab experientiis totiens hac in patria habitis, quamquam non dubito, aliquos fratres nostros dnos. Polonos, qui bona hec mense Mg. ducis diripuerunt coruptionibus ac vendiderunt, secus somniasse. Quibus rex Sermus. dnus. noster ex virtute sua credit perinde ac evangelium esset, quidquid illi dicunt, cum tamen nihil sit facilius, quam credentem decipere, velut et de duce Michaeli. Quorum consilio corrupto per aurum cum magno thesauro a pena criminis lese Mtis. vere commissi liberatus in Moscoviam abiens infinita patravit mala, sic quod dux Moscorum et Smolensko arcem et terram prope centum miliarium a Mg. ducatu Lithuanie iterum abstulit et Moscovie appropriavit. Nihilominus defensores et auxiliatores sui usque modo placent, ac vivunt et regnant eorumque omne consilium est veritas et fides, cum tamen effectus aliter demonstret, sicque discrimen nullum inter bonum et malum.

Pro quo proditore Michaele et ego, tunc ephebum adolescentem agens, cum tunc unicus patricius Rempublicam servaveram, omnibus tum majoribus, quorum intererat defendere, fugientibus et dispersis, eram per Radivilum, tum palatinum trocensem, calumniose et falso accusatus, quod cum Michaele, qui Ruthenus erat genere similiter quam iste hostis meus, conspirassem. Nam ex his semper oritur in Lithuania omne malum, licet palatinus vilnensis, pater criminantis me, defensor meus esset pro innocentia mea et pro meritis clarissimis, quae tum in Rempublicam effeceram, fortissime contra filium stetit et invectus est acriter tutatus veritatem. Intelligebat namque bonus pater, me injuste accusari ut pote per avaritiam filii, qui tum jam rapuerat bona Goniądz post fugam Glinski, et volens occupare etiam mea hereditaria Thikocin, dictis bonis Goniądz adjacentia, cum adolescens herede carerem, satagebat variis cavillationibus mihi vitam eripere, ut sic me per iniquitatem suam absorpto et extincto clarior domus sua esset et nobilitate et divitiis; his enim pauperem antiquitus precellebam divino munere. Hec causa erat mee conspirationis ficte cum Michaele Glinski, que nunquam erat in rerum natura per me tentata, imo contrarium ab effectu verum. Quia cum primum occasio olim dno. Zabrzezinski et transgresso vadio quadraginta milium flor. ipse Glinski conflato ex Ruthenis non parvo exercitu grassari per Lithuaniam cepisset, reliquos dnos. consiliarios petens ad interitum et subjugare cupiens

cupiens totum Mg. ducatum sue dominationi et jam habita intelligentia cum Mosco atque Tartaro, me tum cum uxore apud olim dominum Radivil, marschalcum in Slonim agente et confestim intelligens per Michaelem talia exerceri atque cum Ruthenis agere comitia in Novogrodek, ubi consilia fiebant de invadenda Vilna, quoniam illic in testudinibus monasterii Bernhardinorum essent totius terre thesauri, intellecto hoc ex transfuga, qui tum advolaverat ad me, ad marschalcum, uxore relicta in Slonim, conscenso velociter equo, cucurri Vilnam; et convolarunt ad me per duos dies de meis ultra duo milia armatorum et in dies augebatur numerus exercitus mei. Et ab omnibus, qui alicujus ponderis erant et me secuti Vilnam venerant, accepi juramentum in vim fidelis defensionis contra proditorem Glinski et pro Sermo. rege Sigismundo, cui non pridem in initiis felicis sue sublimationis prestiteramus juramenta. Eo audito, Glinski consilium mutavit et trepidans Vilnam non est aggressus. Miserat quidem ille tum literas et nuncium ad me Vilnam optans, quatinus votis ejus non contravenirem, quas autem literas ego domino nostro regi exhibui et nuntium ipsius audientibus dominis, qui mecum aderant, pro modo rei expedivi: „quia non licet nobis patriciis patriam, pro qua moriendum est, deserere, dno. hereditario fidem violare, sed contra proditores ejus arma sumere et fortiter resistere, quare certum habeas, si veneris huc, tecum pugnabimus et certamen committemus, imo te bello prosequimur.“ Quo audito divertit ille versus Smolensko et Moscoviam, decem tunc milibus Ruthenorum et ex Moscis etiam conflatis. **MDXXV.**

Hec facta sunt Mte. regia Cracovie tum agente. Hec erat conjuratio mea cum Glinski, cui solus restitui ceteris dominis timore perculsis, presertim autem meo accusatore, qui de sede palatinatus sui trocensis, terrente eum umbra, homo pusillanimis et leporis cordis, etiam fugerat in Samogitiam, inventus sub feno equorum per dnum. olim episcopum et modernum capitaneum Samogitie.

Sic ego adolescens solus defendi patriam ab hoste et utraque precipua hujus patrie loca Vilnam et Troki in absentia non tantum domini mei regis Sermi., sed etiam omnium tunc sue Mtis. vices gerentium tutatus magnanimiter conservavi. Quod si tunc adhesissem duci Glinski, cui vehementer ipse ambigebat, prorsus potitus esset voto suo tota Lithuania sic presertim rebus tumultuarie trepidantibus fugientibusque omnibus a sedibus suis, dno. rege etiam absente.

Hec itaque virtus et firma constantia ac defensio mea peperit mihi odium et criminationem istius Radivil, quia non dubitaret, me sic sibi oppositurum, quemadmodum res demonstravit me opposuisse fortiter proditori Glinski. Id et modernus ducaculus Ruthenus in me timet timebitque perpetuo ceu et olim Radivil vafer timebat semper plurimum. Et quia innocenter eram delatus, sum justificatus per dnum. meum justum et prudentem Sermum. regem, per quod olim Radivil agnitus est in suis calumniis mea virtute enitente, que sine adversario marcescit. Quoniam Cato, romanus ille senator justus et verus celator patrie quadragesies ex invidia apud senatum accusatus et totidem vicibus justificatus est.

Viderat enim dnus. rex meus Sermus. ad oculum meam fidem, quia cum primum ex Cracovia cum armorum gentibus in Lithuaniam feliciter advenisset ad profligandum proditorem Glinski et exercitum Moscorum, qui tum copiosissimus in Lithuaniam in auxilium Glinski intervenerat, prope ad centum milia equitum, ego tum accurri sue Mti. cum aciebus meis et conducens

suam

MDXXV. *suam Mtem. usque ad Smolensko hostibus retrocedentibus, pulsis et in Moscoviam fugientibus, ubi sua Mtas. castra metata est atque cum toto exercitu suo consedit in die Sancte Margarethe.*

Ubi aliquantisper cunctata sua Mtas., consilio tandem accepto, me preficiens in capitaneum exercitus sui direxit in hostilem terram Moscoviam adversus copias Mosci et Glinski. Qui cum fugam petentes evasissent, detrectantes certamen, ego ultra quinquaginta miliaria fugientes longe lateque ferro et igne terram hostilem sum depopulatus, ubi etiam castra mea quondam hereditaria, vocata Drohobus, que jam devenerant in manus hostium, igne consumpsi sicque exercitum onustissimum preda hominum, equorum et pecorum exercitumque deo bene juvante incolumem et salvum reduxi ad dnum. meum Sermum. bonis servitiis prestitis, sic quod tandem hostis coactus est perpetuas inire inducias pacis, quibus demum violatis intercepit Smolensko consilio Glinski. Hecne erat conspiratio mea, qui totiens hostem et proditorem patrie sum bello persecutus?

At dum sic fideliter in absentia domini mei et in presentia servivi redeuntibus nobis Vilnam, hostis meus Radivil non contentus bonis Goniądz, que tacens eripuerat Mti. regie, in avaritiam elatus adjecit animum et ad bona mea Tikocin, que sunt contigua Goniądz, ut post mortem, quam mihi parabat, ea occupet. Consilium igitur suorum secutus me criminis lese Mtis. accusat, quod essem in conjuratione cum Glinski. Res preter omnem veritatem maliciose fabricata, presertim cum facta mea et quidem preclara in debellatione Glinski demonstrabant. Et etiam a ceco contrarium verum palpari potuit, sic me deus omnipotens innocentem et clementissimus princeps dominus meus, cui erat in ejusmodi factione agnita fides et probitas mea, liberavit et justificatum reddidit, calumniatore in sua calumniatione remanente et in falsitate ab omnibus agnito.

Et cum tantus calumniator et impostor ille a proposito suo graviter cecidit, nec pro veritate consistere potuit, idem modernus hostis ducaculus et pernicies frequentissima nostra adhuc non veretur nec pudescit, mihi licet a tergo et retrorsum objicere falso de me structum crimen, quod nunquam a me cogitatum erat; imo repertus eram tunc unicus, uti supra scripsi, verus patrie et hereditatis domini mei conservator et acer vindex de hoste. Nec satis habuit levissimus homo me coram domino nostro per nuncios et legationes anno preterito Cracovie coram Sacris Mtibus. vestris in confusionem ipsius sempiternam mille criminibus infamare, visum etiam erat ruthenico ejus ingenio, ad omnem nequitie inventionem callidissimo, deserendo officium campestre capitaneatus sui eo tempore, quo pagani Lithuaniam devastabant, quando armorum gentes colligere et adversus hostem struere debuit, in Poloniam non vocatus, sua perniciosa Reipublice temeritate, tam ad conspectum S. Mtis. vre. Cracoviam, quam ad Sermum. regem dnum. nostrum Sandomiriam et Leopolim sub specie ovina et humilitatis accessit, ubi me absentem canino dente corrodere falsoque similiter caluminando ausus est publice et coram plerisque fide dignis; ea forsan cautela, quia scit se casurum in presentia mea nec sibi consilia ruthenica proficient, cum dante Deo mecum judicium ingredietur coram justissimo dno. nostro veritate suffragante. Cum nihil aliud factitet, nihil querat cum Ruthenis aliquibus vagando, loquendo et discurrendo, clamando et vociferando ac per varia loca et ad multos homines nuncios et literas mittens et retia mihi tendens, quibus me involvat sycophantiis suis, nisi ut votis suis potiatur occupando hoc dominium. Ego autem fixus in Lithuania maneo, rem dni.

mei

mei et officium meum custodiens fideliter et exequens ita, ut nec minimum jota possit mihi objicere, in quo valeat me confutare incipiendo a majoribus, quibus mortuis non parcit, quos coram Mte. vra. recensere hic libet, ut veritatem historie a me earum rerum habeat et non falsitatem calumnie ab hoste meo, ut scilicet colligat mihi innatam a majoribus meis omnem fidem et probitatem. **MDXXV.**

Pater meus Gastoldus Martinus, palatinus trocensis simulque kijoviensis, dum adhuc tota terra illa floreret alteraque pars Grecie appellaretur, citra vel ultra quadraginta annos tante constantie, fidei et auctoritatis apud olim divum regem Casimirum erat, quod rex sibi in omnibus consiliis et expeditionibus ob eas virtutes deferebat.

Avus meus Joannes, palatinus vilnensis, preter omnium voluntatem ipsum Casimirum regem minorennem, cum plures concurrissent coheredes, in solium Mg. ducatus posuit et conservavit obscura tum familia et incognita hostis mei existente.

Preavus meus Petrus, etiam palatinus vilnensis, quantum meruit de Sermo. et bellicosissimo rege Wladislao Jagiello et Mg. duce Alexandro Vitowdo, id clare historie de magno Pruthenorum conflictu demonstrant, in quo erat dux belli, vir strenuissimus. Nec puto opus esse superiores meos amplius hac vice recensere.

Ego de me paucissima, que omiseram, vera adhuc recitabo, ut aliorum non videar preclare gestis et virtutibus gloriari.

Uno anno, antequam S. Mtas. vra. in oras nostras feliciter admigrasset, palatinus tunc eram polocensis et subita obsidione Moscorum LXX milibus arcem et civitatem Polocko cingentibus me Vilna agente, per medias tum acies Moscorum penetravi intrepidus ac illesus ad arcem, in qua maxime tumultuantes inveni homines et paccavi omnia simulque nocte ex insidiis quinque milia hostium fudi et delevi arcemque non multo post ab obsidione et expugnatione cum clade eorum frequenti animose liberavi.

Missus ad imperatorem Tartororum precopensium, vicinum nostrum, ubi nemo proficisci audebat, quod etiam per hostem meum Radivil erat comparatum et structum, ut ibi perpetuis sedibus remanerem, dispositis ad amussim recte negotiis, mihi per dnum. meum Sermum. regem commissis, incolumis redii.

Preterեo cetera juventutis mee merita, hec modo placuit ad scientiam S. Mtis. vre. deducere, quia non ambigo meam famam veluti omnibus in locis, ita presertim coram S. Mte. vra., cujus Celsitudini ego, quoad vixero, servire fideliter volo, denigratam esse falso per adversarium meum, licet credam firmiter S. vram. Mtem. non adhibere fidem tot et tantis ejus fictis contra me. Volens tamen, ut aliqua scintilla prava de me non remaneret in mente et cogitatione S. Mtis. vre., ea nunc coactus sum presentibus de me ipso vera recensere.

At nunc perstrepit inimicus meus: S. Mtas. regia indixit conventum in Novogrodek, ad quem non venit palatinus vilnensis, ego vero veni uti obediens, et criminatur me arguitque inobedientie. Absit a me, absit cor superbum, temerarium, negligens et inobediens erga dominum meum. Et in hoc ergo uti in aliis falso me calumniatur, O Serenissima regina et dna. mea clementissima, ad cujus Mtem. et prudentissimum judicium uti ad responsum Apollinis refugio et meum cor detego, cujus Serti. meam innocentiam et fidem cuperem esse perspicuam et absque omni macula testatam. Cum presertim Mti. vre. perpetuo me servire devovi facto

 non

MDXXV *non lingua nec deceptorio gestu sycophantico modo ruthenico non modo in his momentaneis, sed etiam perpetuis in rebus.*

Anno preterito instituerat S. Mtas. in Novogrodek conventum, anteveni ego omnes ad illum locum quasi ad scopum.

Instituerat etiam prius sua Sertas. alium conventum ante duos annos Vilne, veni ego illuc de edibus hereditariis ad sedem palatinatus mei, venerunt et alii obsequentes, ipse autem ducaculus venire noluit, quem ultra XII dies post tempus indictum expectavimus; ille enim tunc contempto regis sui jussu et imperio ex intentione et temeritate sua innata et ruthenica, collectis sibi adherentibus in Troki, ambibat superbissimus, ut ad eum veniremus; at cum noluerimus venire illuc, movit castra sua campestraliter in medio itinere inter Troki et Vilnam, quod quatuor emetietur miliaribus, consedit ibique conventum agere volebat et ut nos ad eum veniremus, homo pauci cerebri tribus diebus de loco conventus decertabat, asserens ibi olim consuevisse inter duces vilnenses et trocenses, dum erant fratres, ad quod per medium tota Lithuania dividitur, conventum agi. Componebatur res per medium nuncii S. Mtis. regii, dni. moderni electi kijoviensis, et vix composita est triduo ita, ut magis minis quam ratione homo protervus et superbo corde pertractus fuit ad locum per S. Mtem. regiam designatum. In quo expectantes eum consumpsimus tres fermè septimanus. Venit et mecum, quasi vulpes subdolo corde, de omnibus compositionem fecit, non eo sed me inchoante causa et contemplatione dni. mei Sermi.

Hac compositione facta et conventu, uti par erat, absoluto, misit suum Valach et Ducaculum ad sacras Mtes. vras. me diversis fabulis infamando, ac me, ne ejus contumaciam temeritatemque deferrem, eo quod noluerit venire ad locum indictum et sibi alium delegerit, preveniendo. Silui ego ea in re et usque modo patienter sileo.

At nunc venit ipse in Novogrodek post tempus designatum et duntaxat ibi per unam noctem perseveravit, discessit nullis colloquiis desuper nobiscum habitis et nihilominus aëra commovens accusat, criminatur et defert falso ac calumniose regie Mti. et multi, quos sua specie simulationis decipit, credunt ei.

At ego, ut alios omittam et non curem, soli S. Mti. vre. rem patefaciam et ut est vere gestam aperiam, ut intelligat, quod res non sit facta ex intentione, quod non venerim in Novogrodek, incumbente necessitate Reipublice. Cum nondum pervenissent ad nos litere S. Mtis. regie, ego qui ante hac longe et prope iterum superioribus diebus vigilantissime scripseram sue Serti. consulens, ut pro imminentibus Reipublice necessitatibus conventum nobis Vilne indiceret, dumque negligi tempus animadvertebam, adhibui diligentiam transmissione nunciorum et literarum ad omnes ut Vilnam convenirent pro consultandis Reipublice in absentia S. Mtis. regie negotiis. Convenerunt XI domini Vilnam viz. Rmi. dni. quatuor episcopi: vilnensis, luceoriensis, Samogitie et kijoviensis, item castellanus vilnensis et capitaneus Samogitie, palatinus vilnensis, palat. novogrodiensis et Mg. marschalcus, palat. polocensis et capit. drohiciensis Alexander Chotkiewicz, mareschalcus Joannes Chlebowicz et omnium terrarum dignitarii et officiales, mareschalci, capitanei, vexilliferi, succamerarii et tenutarii, totaque ferme nobilitas tam Lithuanie quam Samogitie, et cepimus celebrare agereque Vilne comitia priusquam litere S. Mtis. regie venissent et reddite fuerint nobis. Pro reliquis tribus absentibus scil. Ducaculo superbo,

capitaneo

capitaneo grodnense et Hlinicz miseramus hortantes eos, ut onus susceptum pro salute Reipublice in absentia sue Sertis. curarent atque Vilnam ad consulendum nobiscum negotiis Reipublice impendentibus veniant. Spreverunt illi venire ad nos. Supervenere tandem litere Mtis. regie indicentes locum in Novogrodek pro conventu, quem jam ceperamus ultro Vilne. Cujus rei gratia consilia capiebamus, si commode in Novogrodek transmigrare possemus. Multa rationi consentanea, cui quivis prudens cedere debet, in medium nostrum afferebantur, mittebamus ad Novogrodek ad tres dissidentes a tota nobilitate et singuli unanimiter precabantur, celerius ceptum absolvi Vilne conventum. Cum ideo, ne aliqua negligentia in Republica committatur tunc, quia hunc commeatum convexissent podwodasque remisissent, nec jam haberent, quo illuc necessaria conveherent, tum quia in Novogrodek, ubi tempore caristie penuria esset omnium, Vilne autem abundantia, partim quod illi tres non essent ibi, quibus uti paucioribus facilius erat venire ad omnes, quam omnibus ad eos, si fuissent illic prout non erant, solum apparuerant ad calumnias struendas et ad nihil boni aut utilis edificandum duntaxat ad faciendas in Republica contentiones et dissensiones, in quibus sunt perbelle docti; propterea cum ego nequivi omnium dnorum. consiliariorum et totius communitatis, que erat frequentissima, vincere et consensum eorum, quibus invalescentibus etiam et omnis princeps et dominus solet consentire, hac necessitate coactus consensimus omnes in unum et peregimus hic conventum ut credo, si executioni haud negligenter dabitur, non inutilem Sermo. dno. regi nostro et Reipublice. MDXXV.

Non ergo ego sed potius hostis meus Reipublice parum aut nihil consilii habens, sola autem temeritate utens et Rempublicam perdere studens una cum importunissimo Joanne Radivil me accusant inobedientie ac temeritatis erga dominum meum, pro quo ego paratus sum mori si necesse fuerit.

Ponamus ad libram consilia, actiones ac benemerita nostra et videamus, quis unquam omni tempore vite sue magis, melius et fidelius servivit servitque domino suo. Dijudicet Serma. Mtas. vra. prudentissima discretione, que omnium actionum debet esse mater et gubernatrix, quis magis in hoc peccaverit, qui non ad conventum sed ad bellum venerat. Quodsi congressi fuissemus in loco deserto, uti in Novogrodek, ipse decreverat irruere in me ex insidiis facereque uti olim Glinski fecit Zabrzezinski, quod paratus sum contra eum probare, licet ego omnino non trepidassem ab eo et forsan Deo adjutore et justitia preveniendo ipsum hostem mactassem. Sed quid exinde futurum speraretur presertim in absentia dni. nostri, vra. Serma. Mtas. dijudicet. Ego tamen furori cessi et cedo, prout quilibet prudens cedere debet, quamquam et hic Vilne in munitissimo loco non fuimus tuti a siccariis partis adverse; nam Wassilo, structor regius, adolescens perditissimus, unum notabilem, dnum. Niemierowicz, per partem adversam hic missus et venire subornatus ad nos, pixide ex insidiis occidit, nobis insuper consiliariis aliquibus minatus est. Et propterea instantissime eadem pars adversa laborat pro eo, ut libere ex fidejussoria cautione mittatur, nec magno eget testimonio. Sic propria voluntas dominatur et malitia, quia patronos habet.

Quodsi Sertas. vra. utriusque cor nostrum intueretur et cognosceret uti deus, nempe cerneret illud in adversario meo rutheno duplex, perversum, simulatum et non rectum ac natura et more ruthenico olens nunquam fidum domino, qui aliud promptum in ore aliud in corde clau-

 sum

MDXXV *sum semper gestare solent, meum autem videret Mtas. vra. sincerum, simplex et rectum et fidele et certo tale ab intra quale ab extra, nec ulla de me suspicio est habenda, quod aliquid unquam ex inobedientia aut contemptu, quod absit, domini mei facere debeam aut intendam, pro cujus felici dominatione et filii sui Illmi. utriusque Mtum. vrarum. nostri Mg. ducis, cui felicibus auspiciis sicut initio bono ita usque ad finem toto corde favebo et serviam fideliter etiamsi oportuerit, me sanguine fundere atque mortem oppetere contra adversitatem, temeritatem et perfidiam ruthenam. Hac enim una precipua causa hostis ipse mihi infestum se prebuit et non tantum per se, sed etiam aliquos dominos Polonorum et invidiam eorum contra me concitavit, asserens id me effecisse temere absque consilio eorum. Que me tempestas profecto non deterrebit suggillatione sua unquam, modo assit mihi gratia sacre Mtis. vre. constans et equa lance fidem et merita mea rependens et grato tutans animo, in quo ego minime dubito, nec, obsecro, curvo meo imo et Illmi. filii intrinseco adversario unquam fidem adhibeat, etiamsi curvus incedat ante conspectum S. Mtis. vre. — Satis me decepit, quem loco patris habebam et venerabar ac plus quam aliquis mortalium sibi omnibus in rebus favebam et patrocinabar; qualiter autem mihi id retribuat, nulla culpa mea precedente solum superbia et astutia ruthenica sibi dominante ex sede, quam suffragio meo gratia domini nostri adeptus est, est in promptu.*

Nunc juvat reminisci verbi domini episcopi camenecensis, amici mei singularis, quod vere aureum dicebat tum, quando per intercessionem meam laborabat Ruthenus pro palatinatu trocensi: „non „licet vobis, inquit, per fractionem sancitorum patrum vestrorum atque juramentorum, Ruthe„num etiam quantumcunque meritum in palatinum eligere, presertim eum Constantinum, cujus „tota physionomia est mihi suspecta, quia etsi videatur sue apparentie inesse vestis ovina „procul tamen dubio intus latet grossicies lupina multoque majorem secum difficultatem omni„bus in actionibus habituri estis, si eum in ea sede collocaveritis, quam cum tota terra, et „tibi modo," ad me dicens, „devovet curva. Habent modum suum Rutheni, quo decipiant „homines; quoniam venient tempora, quo iste non satiabitur sanguine tuo et tibi atque Rei„publice ex hoc capitalis hostis erit."

Hec verba fuerunt domini episcopi, vera sentientis, si nobis mens non leva fuisset, quoniam tum ego universos alios fratres meos Lithuanos dereliqui et privilegia antiqua patrie, haud imprudenter desuper confecta, omisi. Et ecce nunc in me experior iniquitatem hominis machinantis mihi mortem, et qui me ulla absque causa persequitur, in fama denigrat atque omni honore, dignitate et bonis, miris ac iniquis artibus contendit spoliare, me patientiam habentem et nullam unquam causam dissensionis prebentem, licet crudelis sit, qui negliget famam suam et vim vi non defendat. Habet conspirationem cum duce Slucki, cui uti supra scripsi prius quam creatus esset palatinus trocensis, videbatur esse capitalis inimicus, quod tamen sub dolo erga Sermum. regem et me servitorem obsequentissimum, atqui contra totum Mg. ducatum Lithuanie egit. Quoniam cum primum adeptus est palatinatum trocensem, illico secum, Ruthenus cum Rutheno, ducaculus cum ducaculo ligam iniit, germanam suam in uxorem desponsit, mihi ambo capitales in veritate facti hostes.

Efficiet tamen deus judex justus aliquando, ut conspiratio eorum detegatur et merito ac justo judicio vita priventur veluti duo proavi ejusdem Slucki, rutheni duces eadem de caussa per divum

divum Casimirum, regem, moderni regis nostri genitorem, judicialiter sunt detruncati, quia conspiraverant in necem regis ac Mg. ducis predicti dni. Casimiri, ex condicto volentes soli occupare Mg. ducatum. Non sunt ista nova, que scribo, nec fingere oportet, veritas est lucida et natura avorum descendit in filios filiorum. Ex meis autem predecessoribus nemo unquam condemnatus est, nemo punitus aut detruncatus, quia omnes fide, activitate, constantia et consiliorum prestantia erga dnos. suos semper clari fuere reperti et habiti. MDXXV.

Duces Czartoryscy, fratres etiam ipsius Slucki et affines predictorum conspiratorum, Rutheni, Magnum ducem Sigismundum, patruum olim Casimiri in Troki ex conjuratione simili interfecere. Contra quos conspiratos tota terra tumultuante vix ipsum Casimirum minorennem avus meus incolumem conservavit et contra eorum voluntatem potenter sublimavit, cum omnem genealogiam nostrorum dominorum tunc ipsi Ruthenorum duces voluerunt delere, et soli ambiebant dominationem occupare. Quod iterum nunc Rutheni isto ducaculo suo, per palatinum trocensem exaltato, factitare tentant et audent; propter quod me eis obsistentem prius de medio viventium tollere vellent. Sed fallentur dei adjutorio opinionibus suis perversis. Quibus veris exemplis S. Mtes. vre. commonefacte plurimum fidem et operam meam juvare atque tueri juste deberent sue rei et conservande inclytissime ac hereditarie hujus dominii causa.

Hec ideo supra scripta placuit S. Mti. vre. ad notitiam deducere, ut ea his veris et non fictis Ruthenorum historiis, quarum antehac in longinqua regione feliciter nata erat ignara, sciret se et suam prolem charissimam conservare et mihi fideli omnibus in rebus etiam contra calliditatem et conspirationem hostium patrocinari, ac me et filium meum unicum, quem trado et dedo una mecum in perpetuum servitorem Illmo. dno. Mg. duci Sigismundo Augusto, dno. nostro. Cujus gratie humillime me commendo. Datum in Murata Geranoni feria VI. ante Pentecosten.

XXXVII. Joannes Dantiscus, Orator, Sigismundo, Regi Polonie.

Serma. Mtas. regia et dne. dne. clementissime. Cum mihi hic litere Mtis. vre. Serme. IV. m. pret. essent reddite, altero die subinde, quantum temporis angustia admisit, laconice scripsi pollicitus, cum primis me de omnibus copiosius scripturum, quod tamen in presens prestare nequeo cum propter poste celerem abitionem, tum etiam, quod nuncius is, qui iturus est, aliquid incertitudinis mihi habere videtur, ea itaque, que quantocius in notitiam Mtis. vre. Serme. pervenire cupio, paucis perstringam. Superiori die fui cum dno. Mg. Cancellario apud Mtem. cesaream, cui Mtis. vre. regie et reginalis literas reddidi, exponens quantum potui accuratius hec, que mihi fuerant injuncta. Inveni Mtem. cesaream affectam votis Mtis. vre. S. illique plurimum gratum esse, quod Mtas. vra. S. de expeditione cum dno. Doctore Bork missa fuerit contenta. Ceterum que consensum matrimonii spectarent, consiliariis suis revidenda se commissuram et in omnibus, ubi Mti. vre. Serme. gratificari posset, se non vulgarem operam daturam. Hec fuit summa responsi. Postea Cod. Korn.

a me

MDXXV. a me nihil fuit omissum ad istiusmodi negotiorum expeditionem, de quibus multa forent scribenda. Rem tandem cum consensu illac perduxi, quemadmodum ex illius copia, quam his inclusam mitto, videbitur, alia etiam, que mihi erant demandata, quam habuerint expeditionem ex decretationibus, quas cum primis sum missurus, cognoscentur. Omnia ad forum judiciale remittuntur, promittiturque, quod omne id, quod juris est, fieri debet; ulterius non potui, saltem ne in consensu mihi aliqua, quam timebam, fieret difficultas, clausuleque, que sunt in illo sunt communes et generales, solentque sic dari, nam hic a stilo cancellarie ne latum quidem per unguem disceditur. Alia que hic aguntur, sic habent. Fuit hic orator captivus regis Gallie captivi, qui inter multa alia obtulit Mti. cesaree. regem suum dominam Leonoram, reginam Portugalie, sororem Mtis. cesaree ducturum conjugem et illam summam pecuniarum quantum esset possibile pro redemptione daturum, de provinciis vero dni. Burgundie ablatis et a regno Francie posesssis nihil posse restitui. Ad quod fuit illi responsum: Leonoram jam esse desponsatam domino duci Borbonensi, redemptionem pecuniariam fieri non posse et si ea, que de domino Burgundie possidentur, bonis mediis non restituerentur, id aliquando vi futurum. Sic ille absolutus et non parvum animo consternatus discessit. Sunt etiam hic alii duo oratores, de quibus prius scripsi, preter tertium regis Anglie, qui jam hic agit a biennio. Illi a rege suo cesari maria et montes pollicentur, quibus tamen hic non omnino creditur. Mtas. cesarea certo in Italiam profectionem parat. Nihil aliud quam nervus deest, qui omnibus modis queritur; itaque hic in Toleto non diu sumus immoraturi. Mtas. sua ad alia regna se etiam conferet, utpote Valentiam, Aragoniam et, ut aliqui dicunt, Granatam pro conquirendo viatico. Nos vero in hoc inferiori estu cum eo peregrinabimur, et plus solito pecuniarum exponemus, de quibus mihi adhuc a Mte. vra. Serma. nullus modus datus est; eaque de re non parum animi pendeo a Fuggaris ad meam fidem in mutuum accipiendo. Spero tamen in horas, quemadmodum Mtas. vra. S. mihi scribendum commisit de his rebus resolutionem. Cui me humillime, ut dno. meo clementissimo, commendo. Ex Toleto ad Tagum I Junii.

Appendix.

Nolui etiam Mtem. vram. Sermam. latere, quod ducis Moscorum nuncii hinc rursus propediem expedientur. Impenditur illis quolibet die a cesare pro victu ad numerum XV ducatorum. Nuncii isti nunquam in aliorum oratorum consortium venerunt, domi semper ebrii, ut istius gentis mos est. Cesar pro honore suo, quod huc videntur tam remoti nuncii ad eum venire sic decenter et tantis illos expensis tractat, aliam certo causam non invenio.

Ex instinctu dni. Antonii de Comitibus omnino sperat, quod possit pacem certam inter Mtem. vram. Sermam. et illorum principem conficere; vellet enim illius Mtas., quod sua opera apud omnes pax haberetur, quam tamen hic nondum video. Proficiscitur itaque dnus. Antonius de Comitibus iterum cum illis in Moscoviam et in rem Mtis. vre. Serme. maria et montes mihi pollicetur confiditque omnino, se commodam pacem utrisque partibus confecturum, illi ut exuli Patavino istiusmodi non obsunt legationes. Petiit me, ut illum

illum Mti. vre. Serme. summopere commendarem et operam ejus in hac differentia componenda pollicerer. Mtas. vra. Serma. pro sua incomparabili prudentia omnia sine dubio recte moderabitur. Sed de iis cum primis latius; referetur enim mihi omne id, quo hec expeditio fiet. MDXXV.

Scriptum mihi fuit a dno. Ludovico Aliphio, quod Mediolanum quendam misisset ad viceregem pro omnium rerum status Barensis expeditione. Ab illo mihi huc fuit scriptum, quod de arce Barensi vicerex difficilem se fecisset et deinde collaterale consilium decrevisset, quod pars nostra partem adversam deberet ad sublationem sequestri vocare, unde hic observatorias, quemadmodum prius hic fuit nostris expeditionibus commissum, impetravi et quod ab hoc sequestrum interesse habentes non nostra pars, sed collaterale consilium vocare debeat. Quas literas cum aliis ad dnum. Ludovicum presentibus transmisi, is ut reor Mti. vre. S. et aliarum literarum copias transmittet, ex quibus omnia latius, quam ad hanc temporis angustiam scribi potest, intelliget.

XXXVIII. Joannes Dantiscus, Orator, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne., dne. gratiosissime. Humillimam commendationem. Quinta die mensis preteriti scripsi pauca, quod ad presens etiam facere cogor et propter incertam postam per Antverpiam ac etiam propter illius celeriorem abitionem. Que tamen hic egi et hic acta sunt, brevibus ad Sermam. Mtem. regiam perstrinxi, ex quibus faciem istarum hic rerum intelliget. Scripsit mihi Dtio. vra. Rma. in novissimis suis, quomodo in rebus pruthenicis per dnum. marchionem Georgium et ducem legnicensem tractatus proponerentur, qui merum saperent Luteranismum, quod postea rumor hic comprobavit, qui per literas ex curia Sermi. dni. archiducis Austrie huc est perlatus, videlicet, Mtem. regiam filiam suam primogenitam dno. magistro Prussie in conjugem despondisse illumque ducem Prussie et sibi feudalem fecisse. Cum ego interrogatus a dno. Magno cancellario: si quid ea de re literarum haberem? obstupuissem, quasi attonitus. Subintulit: si hoc rex vester fecit, certe apud omnes autoritatem et opinionem suam amisit. Cod. Korn.

Respondi tamen, non esse possibile, nam futurum esset, quod omnis apud nos status ecclesiasticus foret perditus, sumque hic ob hoc novum quasi monstrum a multis inspectus, spero tamen in prudentiam Sermi. dni. nostri et Dtionis. vre. Rme., hoc tam inauditum prius et fere prodigiosum nunquam esse factum. Quapropter nulla res est in orbe, de qua magis cuperem certior fieri. Tractatum tamen hic est ab oratoribus regis Dacie exulis, qui cum his literis sunt expediti, de matrimoniis inter illius domini liberos et Mtis. regie, quod quam primum cum aliis novis federibus ad nos perferetur. Longior nunc esse nequeo, expectantur iste litere. Commendo me humiliter vre. Rme. Dtioni. Ex Toleto prima Junii.

XXXIX.

XXXIX. Laurentius Campeius, Card. legatus, Sigismundo, Regi Polonie.

MDXXV. Cod. Korn.

Serme. rex et domine mi colendissime. Humillimam commendationem et promptam ad omnia obsequia voluntatem. Que ratio in hanc usque diem in hac provincia me tenuerit, Mti. vre. non est ignotum, bohemicum enim negotium potissimum tractavimus, ut inita inter illius regni cives concordia et ad S. rom. ecclesie sinum reditus mutuaque eorum charitas evalesceret et roboraretur amplius. Qua in re mihi etiam innotuit, quod apud plerosque minime obscurum est, Mtis. vre. auctoritatem et operam multum attulisse magnique momenti fuisse. Quam ob rem, quid postea per nos hic actum sit, opere pretium duxi Mti. vre. significare. Quum illius regni oratores ex omni ordine huc venissent, que primum literis nunciabantur longiore oratione postea per hos confirmata sunt. Exposuerunt enim malis ac seditiosis, qui inter ipsos erant, civibus ejectis, se in unitate fidei et christiane religionis Mti. sue et S. rom. ecclesie obtemperantes concordiam et perpetuam unionem fecisse, pro cujus approbatione et confirmatione se ordinum et statuum suorum nomine ad Mtem. suam venire, eam insuper rogantes, ut predictam unionem et conceptos super ea articulos non modo probaret, sed et probandos ac confirmandos a sede apostolica ejusque legato curaret, juxta alia tractata et cum ipsis compactata, pleraque interim subjungentes, que piam et christianam eorum mentem declararent. Qui quidem oratores me quoque seorsum adeuntes eisdem fere verbis apud me usi sunt, qui a Mte. sua et a me quoque perbenigne suscepti et auditi quandam articulorum formulam Serti. sue obtulerunt, quorum tenor et modus aliquamdiu discussus et exanimatus non omnino improbandus visus est. Itaque facile in ipsa rei substantia et essentia convenimus; compactatis enim inherent eaque petunt, sed in modo aliquantisper dissentire visi sumus. Nos enim majorem in rebus ad fidem pertinentibus expressionem desiderabamus neque per involucra aut ambigua verba religionis causam firmandam censuimus, illud potissimum caventes, ne qua maligne interpretantium animis (cujusmodi ingeniis nostra abundant tempora) relinqueretur ansa, iterum in hac materia dubitandi. Ad que prefati oratores egre descensuri videbantur, verentes, ne in ampliori hoc tramite euntes, mandata quodammodo excessisse viderentur. Quumque eorum abitus non obscuris rationibus citra incommodum protrahi non posset, dimissi a Mte. regia remearunt, Serti. sue promittentes, se in proxima apud eos dieta rei coronidem et extremam manum imponendam curaturos. Quibus item a Mte. sua promissum fuit, quam efflagitant, a sede apostolica confirmationem se eis impetraturum, hinc indeque omnibus ad hunc finem jam instructis et paratis. Quibus rebus ita compositis, quum pleraque multa nec levia me alio revocent, intra proximos hos sex dies hinc proficiscar, Urbem versus, alio quam per Germaniam itinere suscepto, quoniam ea jam rusticanis et popularibus flammis tota pene colluceat et ardeat. Que omnia verbosius forte Mti. vre. significare volui, non tanquam ignota aut nova, sed ut ad sancti hujus operis reliquum absolvendum et perficiendum regiam Mtem. vram. hortarer, ut quod in initio fecit in fine et auctoritatis sue pondus ad id prestet, quod quidem apud homines nomini suo gloriosum futurum est, apud deum autem gratiam promerebitur sempiternam.

Et

Et quoniam toto hoc tempore, quo in hoc regno mihi esse contigit, gravibus multisque difficultatibus regnum hoc premi deprehendi, ac in Slesia ob luteranam impietatem pleraque loca tumultuare, veritus, ne pestis illa huc etiam serpat et ad istas quoque partes penetret, placuit mirum in modum, quod hic agitur de quodam conventu ad Olomuncium habendo, in quo Mtis. vre. presentia desideratur, ut maxime opportuna et commoda, utpote quam populi illi nihil minus rege suo sint reverituri, qui Mtis. etiam vre. auctoritate et consilio suffultus et cum ea conjunctus poterit illic salutare aliquid et egregium rebus suis ac nutanti quoque religioni meditari et providere. De quo quidem conventu Mtas. vra. hinc etiam intelliget, quid ii meditentur. Mihi vero utrisque vestrum optime consultum videretur, si horum cogitationibus et voluntati quodammodo occurrens Mtas. vra. suis ad Sermum. hunc regem literis ad hunc conventum eum invitaret et promoveret, vel motum jam magis impelleret, qui ut commodius et citius celebrari possit, dimissa istic reginali Mte., ad idem Mtem. hanc movere poterit, ut minori comitatu euntes, utilius et citius congredi et convenire valeatis. Quod si Mtas. vra. pro sapientia sua perspexerit, quantum commodi hujusmodi congressus allaturus sit, non dubito, quin omnem hanc rationem lubentissime complectatur. Qua de re pro communi salute, pro vestra dignitate atque pro christiane religionis conservatione ex officio ante meum ex provincia decessum pauca hec preterire non potui, in quibus hec sit omnium summa, ut ea consulat rebus nepotis sui, quas ego video nimium ubique perturbatas esse, quibus vix commodius succurri potest, quam per hujusmodi conventum. Que Mtas. vestra, ut ab homine sui observantissimo et publice quietis cupidissimo profecta suscipiat et boni consulat, atque illud insuper sibi persuadeat, quicquid in me est, aut unquam futurum erit, id omne dignitati et amplitudini nominis sui serviturum, atque hoc animo me ejus obsequiis et mandatis offero et iterum humillime commendo. Quam deus una cum Serma. regina et Illmis. filiis felicissimam diu conservet. Datum Bude X Junii. MDXXV.

XL. Petrus Tomiczki, Eps. Cracoviensis etc. Joanni Dantisco, Oratori regio.

Mgce. dne. amice charissime. Si rarius ad vos scribimus, quam vos forte postularetis, boni consulatis, queso; scitur enim, quod principes nostri nisi in negotiis suis magni momenti tabellarios et postas mittere solent, alii vero tabellarii et nuncii istuc profecturi se nobis non offerunt, scripsimus tamen vobis mox post reditum dni. doctoris Bork et certe spero, literas nostras ad vos ad hoc tempus pervenisse. Cod. Korn.

Sciatis autem, quod regia Mtas. propter negotia ducatus barensis, que in dies majoribus parantur difficultatibus, vult quod istic adhuc maneat, id quod alacri animo facere debetis et certe vobis persuadeatis, quod servitus istic vestra est grata Mti. sue, que vobis per occasionem debita gratia referetur. Non timeatis etiam dilationes aliquas, que locum habere contra vos non poterunt, sed curate, ut ea fide et diligentia, qua cepistis, agatis res et

 negotia,

MDXXV. negotia, que vobis committuntur et que putatis dignitati et utilitati principum nostrorum expedire.

Dne. Joannes. Facte sunt apud nos hoc anno magne mutationes, nam dnus. Albertus, marchio, quondam magister generalis ordinis s. Marie Teutonicorum de Prussia, ex lupo factus est agnus, ex hoste acerrimo humilis et obsequentissimus subditus. Mira res dictu, de qua neque nos neque majores nostri unquam cogitaverunt. Petiit, dari sibi in feudum a Mte. regia, et obtinuit terras illas, civitates et oppida in Prussia, que ordo ipsius possedit ante novissimum bellum, ex quibus juramentum et homagium debitum hic Cracovie publice et honorificentissime prestitit, ubi excusavit priora errata sua declaravitque, quibus auctoribus et impulsoribus bellum gessit adversus Mtem. regiam, promisitque, se deinceps omni fide et observantia Mti. sue et regnis ac dominiis suis semper contra quoscunque hostes serviturum et priora errata sua suis gratis obsequiis compensaturum. Quia vero hec, que cum ipso facta sunt pro bono pacis communis postulanteque necessitate Reipublice regni nostri, multi perperam interpretuntur, dicentes: nos sectam luteranam confirmasse eo, quod permiserimus fratres illos de Prussia abjicere ordinem et professionem suam ac bona et terras ecclesie subjectas in potestatem laicam et secularem dederimus. Mitto tibi epistolam nepotis mei, dni. episcopi premisliensis, quam scripsit dno. Antonio Baroni, nuncio apostolico in regno Ungarie, ex qua intelliges omnes rationes nostras, quibus causam hanc in consilio et deliberationibus nostris perpendimus, et quibus adducti, id tandem fecimus, quod necessitas presentis temporis postulare videbatur, et sciat vra. Dtio. factum nostrum plane ostendere, nos nihil alienum a professione nostra fecisse, sed rebus nostris pacique et quieti, prout alii quoque homines faciunt, consuluisse.

Facta est et alia hic mutatio in ordine nostro ecclesiastico, mortuus enim est die XI mensis Aprilis pater et benefactor meus, Reverendissimus olim dominus episcopus cracoviensis, per cujus obitum vacavit episcopatus posnaniensis, qui mihi ad vitam illius fuit reservatus per sedem apostolicam et Mtem. regiam. Credebam ego, me illum pro nepote meo, dno. premisliensi, impetrare potuisse fecique in hoc omnem operam et diligentiam meam, verum spes mea me longe fefellit. Enimvero Serenissima obtenta sibi, me inscio, expectatione de conferendo primo episcopatu, quicunque vacaret, factaque promissione de illo dno. Joanni Latalski, nullo modo dimoveri potuit a proposito suo, maluitque servare promissa sua, quam permittere, ut episcopatum illum posnaniensem nepos meus obtineret, qui quantum prestet ingenio, doctrina et virtute eidem dno. Latalski, qui jam est declaratus episcopus posnaniensis, aliorum sit judicium. Ego in hac petitione mea honesta gravem repulsam magnumque vulnus accepi, quod tamen fero et feram eo animo, quo debeo; doleo tamen, quod tam parva ratio habita est mee fidei et diuturne servitutis:

Insere nunc Melibee piros pone ordine vitis!

Questus es sepius apud me per literas tuas de mala tui provisione. Ego tibi dixi, cum hinc discederes, ut, cum pecunia deficeret tibi, acciperes illam in mutuum istic a factoribus Fuggarorum aut aliis quibuscunque, quod ipsum nunc quoque dico et suadeo. Verum est, quod reginalis Mtas. dicit, se ordinasse ex Neapoli, quod habiturus sis illinc provisionem

LXX aureorum pro quolibet mense; ubi tamen illa tempori tibi non solveretur, accipias apud Fuggaros aut alios trapesitas, quam tum necessitas tua postulabit. Ego vero efficiam, quod Mtas. regia id solvi faciet, prout et trecentos illos aureos, quos istic recepisti et cirographum tuum dedisti, solvi demandavit. MDXXV.

Orator cesaris, de quo scripsisti, nondum hic appulit, nec scimus de eo quicquam.

Mortuus etiam est Illris. dnus. dux Fridericus Saxonie atque ita nescio, quomodo practica, que de connubio reginule nostre istic habita est, procedere nunc poterit.

Valde bene fecisti, quod Mtem. regiam reddidisti copiosissime de rebus omnibus certiorem, audit enim libenter Mtas. sua literas tuas et delectatur audire externa et exotica negotia, et proinde scribatis semper de rebus omnibus copiosissime Mti. sue, et in causa barensi operam et diligentiam debitam faciatis, qua cumulabitur vobis singularis gratia utriusque Mtis., quibus ea optima causa est plurimum cordi. Ut autem sciatis, quid scriptum sit inprimis Mti. cesaree, Mgco. dno. cancellario et aliis officialibus Mtis. sue cesaree, et item, quod scriptum sit summo pontifici in re pruthenica et induciarum, quas cum Turco inire volumus, mitto vobis copias omnium literarum.

Vestri Gedanenses exauctorato veteri senatu et alio ex vili plebe in locum ejus suffecto, spoliatis ecclesiis, expulsis monachis, sacrisque omnibus profanatis, perstant contumaciter in erroribus suis luteranis, suntque nunc plurimum animati hoc novo tumultu rusticano, qui excitatus est in Germania et qui, nisi tempori cohibeatur, poterit efficere magnam perturbationem in re christiana.

Non dubito, quin amici tui scribant tibi de rebus tuis et proventibus colmenseensibus. Sciunt et de his, que hic apud nos aguntur, quare ego me illis occupare nolo, hoc tamen scias: reginalem Mtem. nominasse te ad hanc meam ecclesiam cracoviensem; licet autem sint adhuc, ut audio, alie priores nominationes, poterit tamen aliquando hec, que tibi concessa est, venire ad effectum, in qua non deerit tibi favor et patrocinium meum.

Negotium hoc habeo in bona memoria et ubi occasio se prebuerit, non negligam consulere fortunis tuis. Bene valeatis et me diligite. Datum Cracovie die XI Junii.

XLI. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Dantisco, Oratori.

Mgce. etc. etc. Cum Dr. Bork investituram cesaree Mtis. et commissionem illius de restituenda nobis possessione ducatus barensis attulisset, intelleximusque ab eo, per vos homagium istic fuisse prestitum, persuasum habuimus, quod jam ea causa ducatus barensis citra ullum aliud negotium finem habere debuisset, quandoquidem investitura non nisi legitimis possessionibus concedi solet et cum qua sequestrum ex diametro pugnare videatur. Nuper autem significationem habuimus a Mgco. Ludovico Aliphio, collega tuo, ipsam possessionem nondum restitutam obtendique literas cesareas mere in contrarium investiture de restituenda possessione, nisi vocato duce Mediolani nihil fieret, cum tamen et nos Cod. Korn.

 vocati

MDXXV vocati non fuerimus, neque causam nostram dicere permissi sumus, quando nobis possessio nostra, in quam legitime fuimus ingressi, erat adempta, ad quam jure optimo restitui ante omnia deberemus, etiam si homagium prestitum et commissio ac investitura impetrata non fuissent.

Itaque gravissimo animo ferentes, ita nos duci et versari modis indignis ab officialibus ces. Mtis., cum qua nobis tanta conjunctio et necessitudo intercedit. Scribimus in hac re ejus Mti. cesaree, ne nobis tam insignem injuriam et contumeliam fieri permittat, sed ut commissionem suam exequi mandet pro dignitate et justitia sua nostroque amore mutuo, quandoquidem nos sufficientes simus, non solum dno. duci Mediolani, sed etiam unicuique citra ullum sequestrum pro jure nostro respondere. Quare agas diligenter apud ejus Mtem. juxta instructiones, que tibi ex Neapoli et a collega tuo mittuntur de ipsa restitutione possessionis.

Ages etiam, ut Mtas. sua cesarea confirmare dignetur capitula et articulos matrimoniales, ut tollatur omnis difficultas et controversia, que erga nos oritur vel oriri potest. Nam et vicerex neapolitanus, non obstantibus literis inhibitionis circa exequutionem testamenti per cesaream Mtem. concessis, scripsit collaterali consilio neapolitano, mandans, ut procedatur ad exequutionem testamenti, et proinde ages, ut inhibeatur denuo per Mtem. cesaream et illa prior inhibitio, que concessa est, in vigore suo conservetur.

Insinuabis etiam Mti. sue cesaree et certiorem illam reddes, dextro tamen modo et cautissime, quod judices, ad quos causse nostre demandantur, suspecti sunt, presertim principalis, vicerex, qui, habita expeditione per cesaream Mtem. nobis concessa, triginta quinque diebus et ultra distulerunt exequutionem voluntatis ces. Mtis. ea de causa, ut novas commissiones et mandata ex Hispania nobis adversa haberent, prout habuerunt. Et proinde curandum est tibi, ut deinceps ita negotia nostra in regno neapolitano committantur, ut eorum melior et efficacior fiat exequutio.

Etiam facti sumus certiores, quod si maxime denuo mandaret nobis ces. Mtas. possessionem restitui, non cessurum arce barensi castellanum Ferdinandum de Alaren, quod ejus ces. Mti. jusjurandum prestitisset, nec liceret illi, nisi ab illa speciatim jussu resignare ipsam arcem. Quare dabis operam, ut illius Mtas. mandet illi specialibus literis manu sua subscriptas, excedere ipsa arce, et ut illum aliquo alio officio seu magistratu providere dignaretur, nos vero gratam personam illius Mti. eidem arci preficiendam curabimus, neque de ea re quicquam est ejus Mti. ambigendum.

Quantum conjicere possumus, eorsum tendunt he dilationes et difficultates, ut nos adigant ad bona ipsa deferenda et contentacionem qualemcunque accipiendam, verum nos nullo pacto sinemus tam insignem nobis injuriam fieri justitiamque nostram, etiamsi quevis extrema subeunda essent, prosequi non desistemus et vehementer dolemus ea adversus nos a ces. Mtis. officialibus committi, que ne in infimum quemvis subditum essent committenda. Speramus tamen, quod illius Mtas. meliorem quandoque nostri et conjunctionis ac necessitudinis nostre rationem sit habitura neque sinet, nos tam indignis modis duci et versari.

Etiam certiores facti sumus, designatum istuc ad cesaream Mtem. legatum a summo pontifice

fice Rmum. cardinalem de Salviati cum eoque oratorem Sermi. dni. regis Ungarie, Rdum. dnum. Stephanum Brodericum iturum et proinde scripsimus et ipsi summo pontifici legatoque et oratori Ungarie, ut hanc causam nostram barensem commendatam haberent. Quando itaque istic constituentur, utaris consilio et patrocinio ipsorum et presertim oratoris Ungarie, cum quo confidenter omnia loqui poteris non secus, quam cum intimo consiliario et secretario nostro, ita illius virtutem et fidem in nos perspectam habemus. Pro fide tua et gratia nostra facturus. Datum Cracovie XII Junii. MDXXV.

XLII. Sigismundus, Rex Polonie, Mauritio, Epo. Varmiensi.

Rde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Accepimus literas vre. Ptis., quibus queritur de non restitutis sibi per oratores nostros bonis ac oppidis suis Braunsbergk et Tolkmith, que non erat quidem animus noster, cum de pace hac tractabamus, in potestatem nostram accipere; verum postea exegerunt a nobis consiliarii nostri, ut ita faceremus nonnullis equis rationibus et cum ecclesie Ptis. vre. tum isti Reipublice conducibilibus. Et proinde hanc dispositionem nostram Ptas. vra. egro animo in presens ferre nolit; nam in ea re nihil committimus, quod a catholico principe alienum videretur. Quod autem petit Ptas. vra., ut prefecturam in Braunsbergk nobili Georgio Proyke traderemus, ad id, cum ejus meritis, tum vra. Pte. ita poscente non gravatim annuimus. Que bene valeat. Dat. Cracovie fer. V. in Octava corporis Christi. Ex cod. mss bibl. Korn

XLIII. Sigismundus, Rex Polonie, Solimano, Turcorum Cesari.

Serenissime ac excellentissime imperator, frater, amice et vicine charissime. Cupientes pacem et bonam amicitiam cum vra. Mte. conservare, decrevimus oratorem et consiliarium nostrum ad Mtem. vram. Sermam. mittere, ut et sanitatem illius inviseremus et nonnulla ad pacem et amicitiam inter nos spectantia illi significaremus. Rogamus itaque Mtem. vram., ut pro ipso oratore nostro literas suas salvi conductus et securitatis nobis per hunc nuncium mittere velit citra moram, ut illum opportune ad Mtem. vram. expedire possemus et ille secure istuc ad eandem Mtem. vram. perveniret. Quo faciet rem nobis gratissimam et utriusque nostrum bono statui et amicitie conducibilem. Valeat tandem Mtas. vra. felicissime. Cod. Korn.

XLIV. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie.

Serenissime princeps. Mittimus oratorem nostrum, Mgcum. Stanislaum de Sprowa, castellanum zarnoviensem et capitaneum opocznensem ad imperatorem Turcorum per regnum Cod. Korn.

Mtis

MDXXV. Mtis. vre. Ungarie, quem mittere quidem per Moldaviam decreveramus, sed veriti sumus eum illi itineri et fidei credere. Proinde rogamus plurimum Mtem. vram. providere literasque suas per manus hujus cubicularii nostri dari faciat ipsi oratori nostro de securo per regnum et dominia sua transitu, ne qua mora vel impedimenta illius pariant utrique nostrum majores difficultates apud illum imperatorem aliqua sinistra suspicione, cum jam alioqui post significatam illi jam pridem missionem ipsius oratoris satis superque tardaverimus illum expedire. Faciet Mtas. vra. rem summe necessariam et salutarem. Que felicissime valeat.

XLV. Sigismundus, Rex Polonie, Archiepiscopo Strigoniensi.

Cod. Korn. Rme. in Christo pater etc. Expectavimus satis longum tempus, cupientes certiores fieri, quidnam Sermus. dnus. rex Ludovicus, nepos noster charissimus, in causa ineundarum cum imperatore Turcorum induciarum deliberaret et constitueret; sed cum ab ejus Mte. nihil certi hactenus intelligere potuerimus, constituimus jam tandem oratorem nostrum ad eundem imperatorem Turcorum mittere, cui fuit quidem iter longe brevius et commodius per Moldaviam, sed non satis fidebamus vojevode illi, securiusque est visum nobis, ut idem orator noster per Ungariam proficisceretur. Rogamus igitur Ptem. vram. velit ab eodem Sermo. nepote nostro eidem oratori nostro literas pro libero ac securo per regnum Ungarie transitum obtinere easque in manus hujus tabellarii nostri dare, nostro oratori reddendas. Qui si et itineris ducem ab illius Mte. Rma. Dtio. vra. obtinere poterit, faciet nobis in hoc rem longe gratissimam, quam illi vicissim omni studio et gratificatione nostra referemus et cupimus eam bene ac feliciter valere. Datum.

XLVI. Sigismundus, Rex Polonie, Solimano, Turcorum Cesari.

Cod. Korn. Serme. et potentissime cesar, dne. amice et vicine noster charissime. Veniens ad nos iste nuncius Mtis. vre. et salutavit nos illius nomine et benevolentiam ejus erga nos non mediocrem declaravit et presertim eam, quod Mtas. vra. mandaverit omnibus subditis et officialibus suis finitimis, ut liber esset transitus liberaque commercia utrinque subditorum nostrorum, que res fuit et est nobis multo gratissima. Retinuimus autem huc eundem nuncium Mtis. vre. ea causa, quod una cum illo magnum oratorem nostrum mittere voluimus et mittimus, qui tam cito ad iter adeo longum expediri nequivit, tamen cum expeditus sit, brevi apud Mtem. vram. constituetur.

XLVII.

XLVII. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Imperatorem Turcorum, data Stanislao de Sprowa, Castellano Zarnoviensi et Capitaneo Opocznensi.

Serme. ac potentissime cesar. Sermus. princeps, dnus. Sigismundus, Polonie rex et Mg. dux Lithuanie, dnus. meus gratiosissimus, mittere me dignatus est ad visendam sanitatem Mtis. vre. In primis plurimam salutem dicit ex animo optans, ut Mtas. vra. et diutissime valeat et illi omnia pro voto ac desiderio succedant tanquam amico et vicino suo. MDXXV. Cod. Korn.

Offerende litere dehinc creditive, quibus lectis dicendum:

Serme. cesar. Sciens Mtas. domini mei et in memoria habens, que fuerit illi amicitia et conjunctio tam Sermo. olim parente Mtis. vre. quam etiam predecessoribus suis cum majoribus Mtis. vre., mittere me dignata est ad Mtem. vram. causa renovande et reintegrande ejusdem amicitie et conjunctionis cum Mte. vra. et inter regna, dominia ac subditos communes Mtum. vrarum.

Misisset vero dudum illius Mtas. ad gratulandum provectioni ad sedem paternam vre. Sertis., nisi bello longinquo a regno suo tunc occupata fuisset et nisi etiam intellexisset, Mtem. vram. suis quoque bellis illo tempore fuisse implicitam, sed nunc per me gratulatur et provectioni vre. Mtis. et successibus illius, quos faustos ac felices esse desiderat.

Ut autem ipsa amicitia et conjunctio inter Mtes. vras. ad effectum et firmitudinem deduceretur, committere mihi dignata est illius Mtas. agere tractare et concludere cum vra. Serte. eam amicitiam et conjunctionem, que esset certa stabilis et sincera tam inter Mtes. vras., quam etiam inter regna, dominia et subditos eorum communes, unde cresceret inter ipsas eadem amicitia et utilitas earum ac subditorum communium utrinque augeretur.

Et ut nuncii, mercatores et subditi quicunque Mtum. vrarum. possint ultro citroque inter vras. Mtes. et earum regna et dominia libere commeare, manere et redire negotiarique in omnibus suis mercimoniis et negotiis honestis ac decentibus ita, quemadmodum tempore olim predecessorum Mtum. vrarum. fieri consuevit.

Et quia, (ut scis), nullam adhuc significationem habemus ex Ungaria, utrum easdem inducias cum imperatore Turcorum inire volent dni. Ungari nec ne, et libenter nos illas Sermo. nepoti nostro, dno. Ludovico, Ungarie et Bohemie regi, conciliaremus, intelligentes eas illi esse necessarias, decrevimus id, quicquid ab illius Mte. habebimus, post te mittere teque denuo instruere, quomodo rem tractare debebis.

Quod si non mittemus ipsam instructionem tibi prius, quam ad curiam cesaris pervenies, volumus, ut hoc modo de re ungarica loquaris et agas.

Serme.

MDXXV. Serme. cesar. Quia Sermus. dnus. Ludovicus, rex Ungarie et Bohemie, est nepos Mtis. dni. mei et is in sua etate juvenili existens, nescio quomodo, devenerit ad differentiam cum Mte. vra., dolet ex animo dnus. meus, hanc esse dissensionem animorum inter illum et Mtem. vram.

Et cum ipse dnus. meus esse vult cum Mte. vra. in bona et solida amicitia, cupit, ut pariter inter illam et ipsum dnum. regem Ungarie pax et concordia bonaque amicitia fieret et per me firmaretur, siquidem ita regnicolis illius regni Ungarie visum fuerit, quorum mentes nondum haberet illius Mtas. in hac re exploratas.

Placeat itaque Mti. vre. ut una cum dno. meo Sermus. quoque dominus Ludovicus, rex Ungarie etc. eam amicitiam et benivolentiam cum Mte. vra. ineat et habeat ita, ut olim inter predecessores Mtis. vre. et reges Ungarie fieri consuevit.

Quod si Ungaris aliter videretur neque grati essent benivolentie Mtis. vre., nihilominus, ut inter Mtem. vram. et Sermum. dnum. meum, regem Polonie Mg. ducem Lithuanie communiaque regna, dominia et subditos Mtum. vrarum. bona pax et amicitia illesa permaneat.

Privatim agenda cum Bassis.

Primum salutatis Bassis nomine regio dicendum illis, ad quid te istic miserimus, ut videlicet pacem et concordiam tractares inter nos et illum cesarem talem, qualis erat inter predecessores utriusque nostrum et similiter ut de ineunda amicitia ac pace inter ipsum cesarem et Sermum. dnum. regem Ungarie tractares, in quantum ita Ungaris visum fuerit, si interim tibi alia instructio a nobis non venerit.

Si requisitus fueris, quanto tempore inducias inire vellemus cum ipso cesare, respondebis, nos unquam optasse neque optare aliquam differentiam esse inter nos et ipsum cesarem et proinde vellemus inducias cum illo sex annorum, ut intra illud tempus posset solidior et diuturnior pax et amicitia inter nos concludi et firmari. Et proinde ages, ut ipse inducie sex annorum inter nos fiant et conficiantur.

Si autem recusabunt tot annorum inducias, dices: breve spatium induciarum malam spem prebere utrinque firme et sincere amicitie et res tanti momenti tractari et confici non possent commode per tanta viarum et locorum intervalla tempore angusto et proinde perstabis quantum poteris in sex annorum induciis. Qua in re si illi pertinaces fuerint, descendes ad quinque annos, si ad id non consentient, nominabis quatuor et postremo, si aliter fieri non poterit, stabis in tribus annis ita quemadmodum ante solitum est fieri.

Si quesitum fuerit, quare cuperemus inducias fieri inter illum cesarem et Sermum. dnum. Ludovicum, regem Ungarie, non habito illius et Ungarorum animo explorato, dices: tum cum expediebaris, conventum actum in Ungaria, noluisseque nos illius conclusionem expectare cum absolutione tui, ne cesar interim longius discederet aut aliquid aliud cause suspicaretur.

Si etiam quererent, quare postularemus inducias ipsi domino regi Ungarie, cum ipse non postulet essetque in hostilitate cum cesare, respondebis ita, ut coram cesare loqueris, nos pro

pro eo, quod Sermus. rex Ludovicus nepos est noster et nos volumus cum cesare solidam habere amicitiam, cupere etiam nos, ut pariter nepos noster nobiscum esset cum illo in bona pace et amicitia constitutus, qui si hujus officii et cure nostre aut subditi ejus ingrati essent, ut nihilominus inter nos et cesarem pax et conjunctio inducieque permanerent. MDXXV.

Si quererent Basse, an verum esset, quod vojevoda Moldavie cesari significaverat, nos voluisse Kiliam et Biologrod expugnare, dices: nobis nunquam fuisse animum aliquem inire controversiam et inimicitiam cum ipso cesare neque ea esse vera, que idem vojevoda Moldavie intimaret persuasumque habere nos, quod cesar talibus ejus significationibus permotus miserat his annis preteritis gentes suas ad dominia nostra, que nobis damnum ingens fecerunt, et proinde ut cesar deinceps non adhiberet fidem talibus intimationibus ipsius vojevode Moldavie, sed si quid illi ejusmodi significaret, posthac mitteret ad nos sciscitatum, utrum ita esset nec ne.

Si quererent de bellis principum Christianorum et capto rege Gallie, dices: verum quidem esse de differentia et conflictu istorum magnorum principum et regem ipsum Gallie captum, verum omnes alios principes christianos et nos pariter interposuisse operam nostram ad illos concordandos esseque nobis certam spem bone pacis et concordie omnium brevi conficiende vel jam hactenus confecte.

Dicendum etiam erit vel cum cesare vel cum bassis, ut illic videbitur, quod Tartari bialogrodenses, qui sunt subditi cesaris, partim soli, partim ascitis sibi Tartaris perekopensibus turbare solent pacem et inducias, que fieri consueverint inter cesares Turcorum et reges Polonie, grassantes in mercatores ultro citroque commeantes et ad fines regni aut ducatus Lithuanie excurrentes et plurima damna perpetrantes, et proinde ut cesar illos a talibus facinoribus contineret, quod etiam erit in articulis induciarum exprimendum.

Inducie firmande sunt juramento cesaris, quemadmodum antehac semper est fieri solitum.

Item ut ipse inducie fiant ad sex annos, ut predictum est, inter nos regnumque nostrum Polonie, Mg. ducatum Lithuanie aliaque omnia dominia et subditos nostros ac inter cesarem ejusque regna, dominia et subditos quoscunque.

Et ut nullum damnum nobis regnoque et ducatui Lithuanie aliisque dominiis et subditis nostris a gentibus quibuscunque cesaris et Tartaris bialogrodensibus aliisque omnibus ipsius cesaris subditis inferantur, ut et pax firma et amicitia solida fiat et observetur utrinque.

Ut nuncii et oratores tam cesaris quam nostri ultro citroque inter nos commeare possent similiter et mercatores ex utraque parte, ut libere ire, redire et commercia et negotia sua libere exercere valeant, theloneis et vectigalibus consuetis persolutis.

Ad eundem modum tractande sunt inducie pro Sermo. rege et regno Ungarie si interim aliam a nobis instructionem non habebis cum conditione in quantum Ungari consentient, alias, illis non consentientibus, inter nos et cesarem fiant inducie modis supra scriptis.

Cetera industrie et virtuti tue committuntur.

XLVIII. Joannes de Lasko Archiepiscopus Gnesnensis, Sigismundo, Regi Polonie.

De legatione ad Papam et expeditione Doctoris Miszkowski.

MDXXV. Ex cod. mss. bibl. Korn.

Quando direxeram Romam Venerabilem dnum. Georgium Miszkowski, juris utriusque doctorem, cancellarium meum, habui quidem materias privatis Ecclesie mee et amicorum et servitorum meorum negotiis opportunas, attamen commiseram agere primum aliquid publicum.

Itaque cancellarius dicebat testimonium obedientie Mtis. vre. regie, quia vellet mittere electos ex prelatis regni, sicut sua Sctas. optat, siquidem Sctas. sua istud habere volet, concilio non celebrato, quod Mtas. vra. suadebat celebrandum etc. potius quam ante id prelati privati ex regnis christianis convenirent etc.

Item sicut Mtas. vra. summo pontifici consuluit sic ut literas presente archiepo. eidem pontifici scribi mandavit, sic archieps. pro suo in sedem apostolicam debito ex necessitate invalescentium heresium supplicat, quod in sacrosanctum concilium decernere dignaretur.

Item ante egressum de regno Polonie ejusdem cancellarii, quoniam contigit, me pontifici ex necessitate Luteranismi scripsisse pro concilio celebrando et Sctas. sua mihi respondebat quia non satis cesari confideret, tamen diligenter voluit facere, ut primum consequeretur a Mte. cesarea confidentiam, tunc demum suas sollicitudines paternas adhibere vellet pro removendis ab ecclesia istis erroribus etc. Idcirco ego iterum iterumque pontifici jam non literis, sed ore tenus per nuncium proprium, eundem scilicet cancellarium, non solum suadebam, sed orabam, ut concilium esset celebratum, si sua Sctas. salvare vellet ecclesiam universalem a summis periculis, nunc vel maxime ob Luteranismi propagationem imminentibus, consuluique post illam mihi notificatam cesaris diffidentiam, in quibus locis credidissem securum fore, ut concilium esset celebratum, quod petii indici ob ea tempora maliciis hominum impedita, ac ut aliquis reformatio esset universaliter etc. Igitur pontifex in hac parte pro concilio et cesaris meliori animo mihi respondit aliter, quia cum cesare perpetue amicitie conditiones condit.

Item circa concilii proposita avisatam faciebam Sctem. suam per eundem cancellarium, ut cum nec per concilium, neque aliter preparari possit defensio contra Infideles, mirum non esset habitura Sctas. sua, si Mtas. vra. regia saluti suorum et nepotis regnorum consulens, treugas et concordias cum Infidelibus iniret et quia Turcarum cesar tanquam optaret istud a Mte. vra. Igitur cum istius esset animi cesar Turcarum, non esset impossibile, quod Mtas. vra. includeret Papam, Italiam, Romam etc. in treugas. Quia autem absque scitu Sctis. sue forsan non esset tutum Mti. vre., ut aut faceret, aut ego ipse suggererem, volui per eundem cancellarium meum ex sua Scte. intellexisse, quo animo esset. Igitur Sctas. sua respondit pro treugis sic ut est scriptum.

Item quoniam metuebam, ne Summus pontifex contra me et alios prelatos, consiliis istius regni interesse solitos, sinistrum haberet animum pro novitate in magistro Prussie facta, commiseram dicendum,

dicendum, non tamen motu proprio, sed si interrogatus esset: quod fuerit magister Prussie a magistratu et professionibus suis religiosis destitutus; ac si ego et prelati accusaremur, nullam cancellarius meus de hac re faceret aut excusationem aut declarationem, licet non ignorabat, quo fuerit processum, sed diceret, ut istud Sctas. sua ab regia Mte. vra. exquireret. Igitur et privatim et publice actum erat secum, dataque ei fuit expeditio, sicut oratoribus Respublicas representantibus dari consuevit, consistorialter, prout continetur in cedulionibus singulis. MDXXV.

Collocutio familiaris Summi Pontificis et aliorum cum Doctore Miszkowski de concordia Prussiaca.

Circa primam mensis Maji venit rumor de concordia facta inter Mtem. vram. et dnum. Albertum, marchionem brandeburgensem, qui initium habuit ex fratre suo, qui est in curia Summi pontificis. Ex rumore fuit papa turbatus et curia tota. Inquirebatur inter curiales polonos: num aliquis haberet rem certam ex partibus de facta concordia predicta. Et cum per singulos responderetur, quod non, tandem Rndus. dnus Matheus Bibbertus, eps. veronensis, sue Sctis. datarius, vocavit ad se cancellarium meum, et interrogavit eum de facto concordie his verbis.

„Estne verum, quod dicitur publice et scribitur a viris fide dignis Summo pontifici, „quia Rex vester Polonie ex prelato regulari dno. Alberto, magistro Prussie, fecerit „et creaverit auctoritate propria ducem secularem et ex bonis ecclesie et ordinis „fecerit ducatum, et ad eundem ducatum dnum. magistrum investierit, sibique hoc „modo homagialem facere debuerit, cui Duci aut filiam suam vel affinem quandam „in uxorem dare constituerit? Mirum est, si tantus rex, qui virtutis et sapientie „opinionem inclytam semper de se habuit, et ex predecessoribus suis alioquin christianissimus extitit, vel ob id heresi luterane omnium nefandissime subscribere et „consentire deberet.“

Similibus fere verbis, diversis tamen temporibus, interrogatus est per Rmos. dnos. Cardinales Sanctor. quatuor, de valle romana etc., qui prout et datarius in magna sunt gratia pontificis moderni. Ad quorum interrogata cancellarius meus respondit hoc modo.

„Rmi. dni. Ego nihil penitus scio, preter rumorem publicum de his, que Rme. Dtiones. „vre. a me scrutari dignantur. Est bene verum, quod rex noster Sermus. cum „senatu regni sui et Illmis. dnis. Alberto, magistro Prussie, Georgio. fratre ejus, „marchione brandeburgensi, et Friderico, duce legnicensi, aliisque oratoribus regum „et principum agit hisce temporibus Cracovie ad tractandam pacem perpetuam, vel „saltem prorogationem induciarum cum dno. magistro. Quid autem in illa congregatione inclyta conclusum sit, mihi hucusque non constat, neque alicui ex curialibus polonis. Hoc unum velim sibi persuadeant Rme. Dtiones. vre. de rege nostro Sermo., quia ejus Majestas nihil facere consuevit in tractatibus concordiarum „quarumcunque, nisi quod sit dignum principe christiano, usquequaque et id quidem „pro bono pacis, nedum regnorum et dominiorum suorum, verumetiam totius reipublice „christiane. Neque fidem adhibere dignentur vanis istis et incertis rumoribus ut

 ab

MDXXV. „*ab emulis et inimicis Mtis. sue exortis, presertim contra eum regem, qui ab ineunte „etate fidem catholicam et hanc sedem sacrosanctam apprime coluit semper, et hucus- „que colere, venerari, et armis insuper protegere non desinit.*“

„*Neque dubitare debent Rme. Dtiones. vre. de concordia, si que facta est, quin sit „sancta, legalis, et major omnium expectatione. Super qua, ut est constans opinio „mea, rex noster Sermus. more suo solito Sctem. dni. nostri facere dignabitur avisatam. „Cujus etiam Scti. Rme. Dtiones. vre., pro singulari prudentia qua pollent, persua- „dere dignentur, ut potius avisamenta regie Mtis. expectare, quam rumoribus et „literis quorumcunque sua Sanctitas in hac parte fidem adhibere dignaretur.*“

Postea dum haberet audientiam apud papam cancellarius meus in rebus per me sue Scti. intimatis, inter conferendum, cepit etiam Sctas. sua mirari vehementer de articulis concordie predicte. Potissimum vero cupiebat ab eo informari primo, qualiter vra. Mtas. de prelato regulari, obstricto tribus votis religionis, potuit sua auctoritate creare ducem secularem, secundo, qualiter eidem, tribus votis religionis obstricto; posset persuadere contrahere matrimonium cum quadam affine sua, nam de filia carnali nihil tale Sctas. sua speraret futurum, quandoquidem preter impedimentum voti obstaret etiam consanguinitatis impedimentum perpetuum. Reliqua, dicebat sua Sctas., in dicta concordia contenta, procederent suo marte et possent esse tolerabilia, dummodo super duobus dubiis predictis sue Scti. daretur bona resolutio.

De quibus per Sctem. suam interrogatus, breviter se expedivit cancellarius meus et respondit sue Scti. hoc modo.

„*Beatissime pater. Juxta hec, que jam Sctas. vra. ex me clementer audire dignata „est, nihil amplius habeo in commissis a Rndo. dno. meo archiepiscopo ad referen- „dum vre. Scti. in facto hujus concordie pruthenice, sed neque resolutiones dubio- „rum quorumcunque mihi sua Ptas. suggerere, committereve dignata est, que una „cum consiliis et causis moventibus sepuelte sunt in scrinio pectoris regie Mtis. et „senatorum regni, quorum secreta me latent penitus. Quare Sctas. vra. pro sua pru- „dentia et bonitate immensa veniam equo animo mihi concedere dignetur, si ego, ut „par esset, quesitis Sctis. vre. hac vice respondere et satisfacere non valeo. Re- „spondet autem et resolvet de dubiis predictis sufficienter Sctem. vram. Mtas. regia, „si eam desuper per suas literas Sctas. vra. requirere et avisatam facere dignabitur. „Ex cujus Mtis. sue responsis et resolutionibus plane cognoscere dignabitur, omnia „in predicta concordia sancte, juste et legitime facta et conclusa fuisse.*“

His exauditis, subticuit modicum pontifex, tanquam aliquid meditaretur et postea subridens: „regia „Mtas“, inquit, „in concordia ista pruthenica, forte secuta est gesta Maximiliani „cesaris, qui que imperio et dominiis suis utilia fore cognoverat, fecit et conclusit „primum, et postea consensum et auctoritatem apostolicam expost facto postulavit. „Rogabitis nostro nomine dnum. archiepiscopum, ut sua Ptas., antequam de hac „materia scribamus aliquid sue Mti., describat nobis consilia et causas, quibus mota „est regia Mtas. et senatus regni ad hujusmodi concordiam faciendam, id enim „magis convenit sue Pti., tanquam illius regni prelato primario et hujus sedis legato perpetuo,

„perpetuo, ad cujus Ptis. legationem, adhibito consilio consistorii publici, dabimus „vobis responsum in scriptis." MDXXV.

Similiter dum cancellarius meus osculatus esset pedes sue Sctis. in valedictione in vinea extra Romam, et acciperet responsum in scriptis de manibus solius pontificis super omnibus, que meo nomine per eum dicta fuere, vicibus repetitis sua Sctas. eum monere dignata est, ut me de consiliis et causis moventibus dicte concordie sue Scti. intimandis diligentius sue Sctis. nomine moneret et requireret.

Responsum a Papa Clemente VII Doctori Miszkowski, Cancellario ac Nuncio Archiepiscopi Gnesnensis, datum.

Ad ea, que Scti. sue per doctorem Georgium, nuncium Rndi. dni. archiepiscopi gnesnensis, de regno Polonie proposita sunt, sic per Sctem. suam consistorialiter responsum est.

Placere Scti. sue optimum animum illius Sermi. regis, qui semper studiosus pacis et salutis Christianorum paratum se offerat, mittere eleclos ex prelatis regni sui ad romanam curiam, qui pro reformandis rebus ecclesiasticis a Scte. sua fuerant petiti, et nihilominus suadeat indici concilium universale, tanquam magis necessarium ad pacanda tempora tam turbulenta Christianitatis, cognoscere enim Sctem. suam in omnibus rebus veterem illam, et nunquam satis laudatam tanti regis pietatem erga deum ac prestantem virtutem. Itaque de concilio caperet libenter Sctas. sua conslia regis, si id possibile videretur, et de eo alias fuit etiam tractatum cum ipsomet cesare, cognitaque impossibilitas illius celebrandi propter innumerabilia impedimenta et calamitates temporum ac provinciarum, nam neque in tantis dissensionibus et periculis prelati Gallie ad concilium venire possent, aut vellent, neque prelati Hispanie sine Gallorum consensu, si terra iter facere vellent, nam mari neque dignum neque tutum esset, Germania vero quomodo se habeat, omnibus notum est. Qui Germani etiam protestati sunt, se nolle concilia nisi in Germania. Ita si fieret extra Germaniam, magis etiam exacerbarentur; in ea vero, quod concilium et quam sincerum fieri possit, plane cernitur.

Quodsi etiam omnes ex omnibus locis prelati et principum oratores convenire possent, graviter pertimescendum esset id, quod profecto accideret, ne suis domesticis factionibus impediti propter inimicitias et odia nationum inter se potius ad dilacerandam quam ad consuendam tunicam Christi accederent, et concilium, quod esset pro pace et concordia quesitum, in graviores discordias et pejora mala erumperet.

Deinde armis ubique vigentibus in tanto tumultu et confusione rerum omnium quis esset aut rex aut princeps aut prelatus, qui, res suas domi turbatas relinquens, ad concilium tuto et quieto animo posset accedere, quod precipue accideret Germanis, quorum nemo posset sine manifesto excidio rerum suarum a domo esse absens?

Propter hec Sctmus. dnus. noster, cupidissimus pacis et quietis Christianorum ac desiderans, cum Dei auxilio multis abusibus religionis christiane providere, electissimos dignissimosque aliquot prelatos ex omnibus provinciis constituerat evocare, non particulares reformationes meditans,

MDXXV. *ditans, sed eas, per quas universa Christianitas Deo fieret acceptior et gratior. A quo etiam sancto et salubri consilio propter causas supradictas fuit retardatus, cum nec ex Gallia nec ex Hispania potuerint venire, et tamen Sctas. sua in eadem sententia perstat, si res fierent sedatiores, suum de vocandis prelatis consilium exequendi. In quo habet gratiam isti regi invictissimo, qui se offerat paratum mittere, opportunoque tempore admonebit Sertem. suam, factura reformationes, si deus annuerit, tales et tam utiles, ut eas Sertas. istius regis imprimis sit probatura et commendatura.*

De bono atque optimo non sinistro animo Sermi. cesaris erga Sctmum. dnum. nostrum et sedem apostolicam nihil commonetur Sctas. sua, est enim bene conscia optimi animi ipsius cesaris et mutue inter eos benivolentie ac voluntatis, que semper fuit et permansit inviolata ac firma. Deinde etiam confidit dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli presidio, qui sedem apostolicam a se constitutam protegere non desinunt, ac, ut melius pateat omnibus, que sit bonitas, que pietas, et religio maximi cesaris, qualis ejusdem in Sctem. suam et sanctam sedem apostolicam voluntas, jussit mitti archiepiscopo exemplum literarum ipsius cesaris, ex quibus apparet, vigere inter eos patris et filii amorem et charitatem.

De rebus pruthenicis, que allata sunt Scti. sue, nova et mirabilia visa sunt, propter opinionem virtutis et sapientie, quam de illo inclyto rege semper habuit maximam, cujus etiam consilium nosse, et causas, que illum moverunt, intelligere optat ab archiepiscopo et mandat. Cum multum miretur, quid in illo magistro Prussie Sctas. sua fidei et spei collocare possit, de quo manifesto apparet, illum nec Deo fidem servare et etiam locis terrisque, quas possidet, multas species impietatis, rapine, crudelitatis in loca, deo sacrata, et ecclesiasticas presertim personas exhibuisse, aut exhiberi passum esse, ut plurimorum jam nunciis et querelis ad sedem apostolicam est perlatum.

Quod ad treugas et concordiam cum Turcis et cum ipso rege pertinet, Sctem. suam optare, ut ea conservet et obtineat veterem suam gloriam regis christianissimi et prudentissimi, velle tamen salutem illorum regnorum, quomodocumque veniat, dum sit cum dignitate, sine prejudicio Christi et vicinorum, Sctem. suam in bonam partem accepturam, presertim scientem, nihil regem illum facturum, quod se dignum non sit. De se vero et de Italia ac Urbe Roma non esse nunc tempus tractare conditiones in inscriptionibus, esse tamen gratam Scti. sue curam et cogitationem ipsius Rndi. dni. Gnesnensis pro rebus Sctis. sue et totius Christianitatis susceptam.

Ad cujus Ptem. etiam literas suas dirigit, ut curam capiat providendi, ne huic impie et perniciosissime luterane heresi licitum sit confundere omnia, et a summi dei legibus ac principum suorum obedientia omnes avertere, in quo maxima est necessaria auctoritas et sapientia istius invictissimi regis, et probitas ac prudentia sue Paternitatis, quod utrorumque virtuti et pietati erga summum deum Sctas. sua plurimum confidit.

XLIX. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Dantisco, Oratori.

Mgce. sincere nobis dilecte. Post reditum secretarii nostri Dr. Bork significaveramus tibi, ut istic aliquamdiu adhuc persisteres, donec te, quando redire deberes, certiorem fecissemus, nunc vero, quia nove nobis difficultates in negotio barensi sunt ingeste, ut aliis literis tibi scripsimus, eo magis nos necessitas adegit, ut istic perdures et negotia nostra ea fide et diligentia, qua cepisti, ageas cum cesarea Mte. prout de iis et aliis omnibus rebus ex tuis copiosis literis intelleximus. Desinerent aliquando aliter de nobis quam est suspicari et nostram integritatem erga quemque fidem suggillari. MDXXV. Cod. Korn.

Afferunt quidem nobis a te frequenter litere, sed nescimus, qua causa valde sero redduntur: utcunque est, quia nobis copiose scribis de omnibus, sunt nobis ipse tue litere apprime grate et proinde, ut eam scribendi diligentiam non intermittas, te hortamur.

Cum inducie cum magistro Prussie expirarent ageretque cum summus pontifex, tum Sermus. dnus. rex Ungarie apud nos de induciis prorogandis, ad quas subditi nostri consentire nequaquam voluerunt, judicantes eas bello fore nocibiliores, proindeque nos ad prosequendam rem nostram armis instrueremus, venit ad nos id sentiens ipse magister cum Illri. marchione Georgio et Friderico, duce legnicense, transegitque nobiscum coram totam controversiam, prestito nobis debito suo ex datis illi per nos in feudum terris, quas prius ante bellum novissimum possedit. De religione vero nihil inter nos est actum, tum quia interesse nostra non videbatur, tum quia etiam ordinis institutores non fuerimus, tum vero, quod jam in tota ditione ordinis prorsus de tota religione catholica sit actum ac deploratum proindeque abusi sumus ea conditione depravati temporis in rem pacis, cum res aliter transigi nullo pacto potuit.

Inivimus etiam inducias cum imperatore Turcarum iis rationibus adducti, quas summo pontifici nuper scripsimus, quarum literarum copiam tibi mittimus, ut si qui esset, qui istic hos actus nostros tam in re pruthenica quam etiam in ipsis induciis susceptis suggillare vellet, haberes, quo innocentiam nostram tueri possis. Nam quod ad rem pruthenicam attinet, nos ordinis curatores non sumus, sed hereditarium jus nostrum duntaxat semper exigimus. Religio catholica nobis semper cordi fuit, pro qua nequaquam dubitamus vel sanguinem nostrum profundere, tantum abest, ut illi nostra opera vel consensu esset quicquam per hanc transactionem detractum. Cum Turco etiam, quando alii rem habere decreverint, nos postremi non erimus; verum nos solos in id discrimen citra ullius auxilium exponere nolumus, quandoquidem tantis hostibus, quibus undique septi sumus, uni satis esse non possumus et presertim cum videamus, istos summates principes in dies longius non solum ab expeditione generali, sed etiam ab omni concordia et pace abesse.

L. Petrus

L. Petrus Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Antonio Pulleoni, Baroni Burgi, Nuncio apostolico in Hungaria.

MDXXV. Cod. R. Mgce. dne. amice charissime ac honorande. Etsi per tantum temporis intervallum nullas ad Mgciam. vram. dederim literas, quod quidem maximis occupationibus distentus partim propter nunciorum raritatem (qui si forte huc frequentes commeant, mihi tamen se non offerunt) facere pretermisi, tamen fixa permanebat in animo meo fecundissima vre. Mgcie. memoria simul et mandatorum, quorum negotium explicandum mihi hinc discedens mandaverat, quoniam autem eadem mandata exequenda occasio hactenus mihi defuerat, justa excusatio mihi se obtulisse videtur, quod hactenus a scribendo ad Mgciam. vram. mihi temperaverim, cum aliud argumentum scribendi non facile occurrebat. Nunc quia in attentandis negotiis nihil intentatum reliquerim, quomodo successit, Mgcia. vra. paucis accipiat. Primum in negotio Rmi. dni. cardinalis S. Sixti, quo sibi nomine pensionis aliquid solveretur, nullum (quod ajunt) lapidem non movi. Egi apud Mtem. regiam, conabar flectere dnum. epum. plocensem, qui etiam hic modo presens aderat, nihil tamen efficere potui eo, quod ipse dnus. epus. rem in capitulum rejiciebat, asserens, quod capitulum ipsum enixissime repugnet, ne ecclesia ipsa alicui insuete pensioni subjiciatur, atque ita idem dnus. episcopus nullo certo responso super ea re dato haud ita diu hinc discessit. Quod vero ad illud attinet, pro quo etiam Mgcia. vra. presens hic egit, ut videlicet es alienum apud mensarios Rome contractum dissolveretur, atque ita consanguineus ejusdem Mgcie. vre. a cautione liberaretur, res ita se habet. Adolescens ille Andreas de Tanczin (quod scit Mgcia. vra.) nunc in expeditione erat, quare eo absente nihil in ea re agi potuit; nuper rediit, subsecute sunt actiones maxime cum ordine Theutonicorum et magistro de Prussia. Interim supervenit Roma quidam cum monitorio, qui etiam cum ceteris pro eodem debito cavit. Idem ipse, cum negotium exequutus esset monitoriumque per templorum fores affixisset, a feroci et nobili adolescente contumeliosius habitus est, qua de re apud principem actum est et questum deduceturque res in judicium. Adolescens interim abest, quare in eodem negotio quid certi ad Mgciam. vram. scribere debeam habeo adhuc nihil et difficile quidem est conjectura assequi, quid sperandum est in hac temporum perplexitate, quibus contra ecclesiam et ejus jurisdictionem ac censuras ultra quam cuique credibile est consurgitur, tamen postquam res in judicium introducetur, curabo omni studio omnibusque viribus meis, ut fiat justitia et debitum illud exolvatur.

De oratoribus, quos Sctmus. dnus. noster jam dudum mitti ad se postulavit, deliberabat Regia Mtas. et cum consiliariis de ea re contulit. Prestolatur, quonam pacto alii principes in hoc casu se gerent. Qua de re cum certior facta fuerit sua Mtas., imitabitur non invita ceteros principes christianos, et oratores suos libenti animo Romam mittet et sanctam illam sedem, prout jam ab initio factitabat, venerabitur. Quam ad rem atque etiam ad alias, de quibus supra attigi, mea opera, fides, diligentia et, si que est, autoritas, nequaquam deerit, de qua, tum etiam de ceteris cum primum occasio dabitur, nulla mora interposita, Mgciam. vram. faciam aliis literis certiorem.

Quomodo

Quomodo negotium pruthenicum transactum fuerit, scio a nepote meo, dno. episcopo premisliensi, copiose ad Mgciam. vram. perscriptum, ideo existimabam, non opere pretium esse eandem cantilenam frustra repetere. Illud rogo et oro, me solita sua benivolentia Mgcia vra. prosequi et negotia mea, que hactenus Rome confecta non sunt, diligenter commendare velit. Valeat felicissime Mgcia. vra. meque habeat sibi charum et commendatum. Dat. Cracovie. MDXXV.

LI. Sigismundus, Rex Polonie, Clementi VII., Pontifici maximo.

Sanctissime etc. Credimus non latere vram. Sctem., ut non pridem cesarea Mtas. nobis possessionem ducatus nostri barensis reddi fecerit et investituram suam nobis insuper concesserit et homagium ratione ejusdem ducatus a nobis susceperit, verum et more et difficultates tot nobis ingeruntur, ut prorsus, quod jure nobis debetur, consequi non possumus. Proinde supplicamus omni studio et devotione vre. Scti.: dignetur suo patrocinio causam hanc nostram justissimam adjuvare agereque per legatos et literas suas apud ces. Mtem. cum etiam apud alios, ubi opportunum est, ut tandem nobis ipsa restituatur possessio, ne ita deinceps indignis modis ducamur ac justitia nostra labefactetur. Quod paternum officium et solitam in nos benignitatem vre. Scti. perpetuis obsequiis nostris demereri curabimus. Quam dnus. deus servare dignetur diutissime incolumem et semper felicem. Cui nos etiam atque etiam ex corde commendamus. Dat. Cracovie. Cod. R.

LII. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali de Salviatis.

Intelleximus vram. Dtionem. Rmam. esse legatum ad cesarem per Sctmum. dnum. nostrum designatam, quod nobis summopere placuit, eum mitti in tantas rerum undas et tumultus, qui autoritate et virtute sua speratur facile pacari posse. Rogamus autem illam plurimum, ut cum erit in aula ipsius ces. Mtis. commendatam habere dignetur, uti alias res omnes nostras habere consuevit, causam nostram ducatus Barensis, cujus possessione licet indicta causa spoliati fuerimus etc. ex vero contendunt etc. Et proinde agere dignetur vra. Rma. Dtio., ut nobis tandem ipsa possessio restituatur, neque juri nostro tanta injuria nostreque existimationi tanta indignitas et contumelia inferatur, quod nos nullo pacto equo animo tolerare jusque nostrum neutiquam deserere poterimus. Qua in re quidquid opere pro nobis etc. Cod. R.

LIII.

LIII. Sigismundus, Rex Polonie, Stephano Broderico, Oratori.

MDXXV. Cod. R. Rde. devote nobis dilecte. Intelleximus, te cum Rmo. dno. cardinali de Salviatis, legato apostolico ad cesaream Mtem. designato, proficisci, quod nobis summopere placuit, ut cognitam habentes tuam fidem et propensionem, quam erga nos geris, te illic rerum nostrarum habeamus curatorem. Rogamus autem te, ut, cum in aula ces. Mtis. fueris, habeas commendatam causam nostram ducatus barensis, cujus possessione licet indicta causa spoliati fuerimus, ad quam legitime successeramus. Licet etiam deinde investituram cesaream et commissionem illius Mtis. de restituenda nobis ipsa possessione obtinuerimus et homagium debitum illius Mti. fecerimus, tamen hactenus possessionem ipsam assequi non possumus, ingerentibus nobis moras et difficultates officialibus illius Mtis. indignas et indecentes, quibus nos justitia nostra et bonis illis exuere contendunt. Proinde operam tuam adhibeas, ut nobis tandem possessio ipsa restituatur, et si quid aliud orator vel procuratores nostri agendum putabunt, agere non graveris prout ipsi te instruent, quo tua erga nos merita et nostrum vicissim erga te favorem uberrime cumulabis. Scripsimus etiam Sctmo. dno. nostro, ut et Rmo. dno. cardinali de Salviatis, legato, et tibi committere dignaretur, patrocinari suo nomine apud ces. Mtem. cause nostre barensi, quod ejus Sctem. facturam non dubitamus. Scribimus pariter oratori nostro, quem apud ipsam ces. Mtem. habemus, ut consilio et patrocinio tuo uteretur istic in omnibus. Scribimus item illi, quibus rationibus transegerimus differentiam nostram cum magistro Prussie et inducias cum Turco iniverimus. Postulamus a te, ut una cum illo, quum illic eris et ubi de his aliquid ageretur, excuses et tuearis partes nostras, nam tu ipse scis, quo nos et Sermum. dnum. nepotem nostrum, dnum. regem Ludovicum, ista spes generalis expeditionis adduxerit et quantas nos hic citra ullius auxilium calamitates sustineamus. Cetera committimus virtuti et industrie tue, quam jam pridem exploratam habemus. Datum.

LIV. Sigismundus, Rex Polonie, Clementi, Pape Septimo.

Cod. Korn. Sanctissime etc. Non ignorat vra. Sctas., quantis difficultatibus et discriminibus expositum sit continue regnum et dominia mea, quibus tot moles non solum Tartarorum, Moscorum et Valachorum, sed etiam Turcorum assidue incumbunt. Meminisse etiam potest vra. Sctas. mihi et Sermo. dno. Ludovico, regi etc. cum predecessores vre. Sctis. tum ipsa quoque spem prebebat de reducendis ad concordiam christianis principibus et generali expeditione paranda, qua hactenus inherentes pacem et inducias cum Turco recusantes ambo tam ego, quam Sermus. nepos meus ingentem jacturam his proximis annis subivimus, unde et universa res christiana non parum inclinata videatur; quare subditi et regnicole mei considerantes, non sopiri modo bella intestina Christianorum, verum etiam illa in dies magis

magis ac magis augeri et exasperari ac vram. quidem Sctem. pro officio optimi et pientissimi pastoris nihil cure et laboris pretermittere in sedandis his intestinis et nimium intempestivis turbis et seditionibus, sed nihil proficere, nequaquam pati voluerunt, me ea spe generalis expeditionis diutius pendere et tantas tempestates, quibus hic undequaque obruimur, citra ullius auxilium sustinere, et presertim cum factus essem certior, ducem Moscovie societatem cum Turco adversus me tractare. Quapropter intelligentes ipsi subditi mei presentissimum regno et dominiis meis discrimen imminere, dum Turcus, Tartarus et dux Moscovie simul illa impeterent, adegerunt me ad inducias cum ipso Turco ineundas, intra quas aliquandiu respisare et tot aliis hostibus, quorum unus maximo cuique regno satis est, commodius resistere possent. Quam rem vre. Scti. significandam duxi; cui pro summa ejus in me et regnum meum benignitate nihil rerum mearum non communicandum putem, supplicoque illi, ut, si quid in hac re fiat preter ejus animi sententiam boni consulere dignetur, quandoquidem me et necessitas ipsa et subditorum meorum continue expostulationes, quinimmo et tanta eorum principum de nobis et re christiana incuria, qui inter se ipsos sine fine digladiantur, eo impulerunt. Tamen, cum ad agendum aliquid in commune cum eo communi hoste ventum fuerit, persuasissimum habeat vra. Sctas., me cum omnibus gentibus et viribus meis futurum non postremum. Me vre. Scti. etc. MDXXV.

LV. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali S. Quatuor, Protectori Regni Polonie.

Cricius.

Composuimus jam pridem differentiam nostram cum magistro Prussie non adeo ex animo nostro, quam ex re christiana, que nulla nunc alia re magis quam communi pace indiget; significare autem Sctmo. dno. nostro distulimus, quod adhuc non plane omnia essent transacta, nunc tamen confectis omnibus tam hic quam etiam in Prussia, que ad perpetuam pacem pertinent, scribimus de his ipsi Sctmo. dno. nostro, scribimus et de induciis cum Turco ineundis, ne quid illius Sctem. rerum nostrarum lateret, quam tantopere cum rerum nostrarum sigillatim tum vero communis Christianorum pacis pientissimum patrem et curatorem esse compertum habemus. Rogamus vram. Dtionem. Rmam., curare dignetur, ut litere nostre accipiantur ab ejus Scte. in eam partem, prout nos integerrimo et devotissimo in illam animo scripsimus, persuadeatque illius Scti.: nos, uti hactenus fuimus, etiam in posterum omnibus jussis et votis ejus Sctis. obsequentissimos deditissimosque illius sancte sedi semper futuros, a quo studio nostro si quid Scti. sue diffidere aliquando videretur, cogitaret, non omnia voluntate vel judicio nostro, sed partim necessitate partim etiam horum temporum malignitate fieri, quibus omnia sursum ac deorsum miscentur et confunduntur. Cod. Korn.

 LVI.

LVI. Sigismundus, Rex Polonie, Ludov. Aliphio, Oratori.

MDXXV. Cod. Korn. Mgce. sincere nobis dilecte. Sperabamus nos nullas deinceps habituros difficultates in negotiis nostris barensibus obtenta investitura et homagio prestito. Verum acceptis ex literis tuis technis, quibus nos istic officiales ces. Mtis. ducere et versare contendunt, fecimus e vestigio id quod opportunum videbatur. Scripsimus ces. Mti. diligenter ejusque Mtis. officialibus tam apud curiam, quam etiam in Italia existentibus; scripsimus et summo pontifici pro patrocinio, et Rmo. dno. cardinali Sanctorum IV, protectori. Scripsimus item legato ad cesarem designato, Rmo. dno. cardinali de Salviatis ac Rdo. Stephano Broderico, oratori Ungarie, cum illo profecturo, ut apud illius Mtem. existentes non desint consilio et patrocinio suo. Tu igitur omnia diligenter significato college tuo Joanni Dantisco, que cum jurisperitis istic opportuna censueritis et que petenda et expedienda videbuntur. Speramus, quod ces. Mtas. habitura sit tandem aliquando majorem rationem necessitudinis et officiorum nostrorum quam istorum, qui inter nos dissidium volunt. Intelligimus plane, quod his difficultatibus nos a justitia nostra quasi pertesos repellere vellent; verum nos nequaquam illam deseremus, etiamsi extrema queque sint tentanda. Datum.

LVII. Petrus Tomicius, Epus. Vicecancellarius, Ludov. Aliphio, Secretario Regine.

Cod. Korn. Mgce. dne., amice charissime. Habuimus a Dtione. vra. literas, quibus scribit, ducatum barensem non modo adhuc non restitutum, verum majoribus difficultatibus quam antea involutum esse, et in dies adhuc majoribus involvi, que res Sermis. principibus et dominis nostris non potest esse non molesta. Mittuntur in eo negotio litere ad eos, ad quos potissimum mitti debent eeque in manus Dtionis. vre. reddentur, nec dubitamus, quin Dtio. vra. singulari sua prudentia et in principes fide omnem suam operam impendet, quo negotium celerius expediatur. Existimo etiam, Sctmum. dnum. nostrum per eam legationem, quam ad cesaream Mtem. missurus est, idem negotium diligenter commendaturum.

Post discessum hinc Dtionis. vre. magne rerum mutationes hic sunt consequute, sed una precipua, quod Albertus, marchio dux in Prussia, post tot bella et cedes, post tot hostilitates et inimicitias tandem cum Sermo. dno. nostro rege nuper in gratiam rediit; nam sue Mti. caput submisit, homagium atque juramentum fidei prestitit. Regia item Mtas., animadversa ejus in se fide et propensione, eam partem terre Prussie universam, pro qua per tot annos, ne dicam secula, digladiabatur, in feudum liberalissime concessit ita, ut se deinceps non magistrum, sed ducem in Prussia scribat et nominet. Et deinde a quibusdam malevolis nostris nata est suspicio, immo calumnia, quasi nos luterane secte (cui idem dux in Prussia quadam ex parte deditus esse dicitur) faveremus, quod tamen manifestissime falsum esse constat, vel ex eo, quia Sermus. dnus. noster nullum cum eo de

de religione tractatum unquam habuit duntaxat pro eo, pro quo tot gravissima bella hactenus gesta sunt, videlicet pro homagio prestando, quod tandem cum primum ab eo obtinuimus, nostra nihil referre arbitramur, cui secte potissimum idem dux in Prussia addictus esse velit. Nec nostrum est, aliquem ad religionem cogere, qui alioqui circum quasi umbra quadam impiorum et infidelium vallati sumus. Ideo perscripsi Dtioni. vre., ut si forte aliquid tale quippiam dici audiverit, pro sua prudentia et in patriam nostram amore justissime confutare et diluere sciat. Valeat et sit felix vra. Dtio. et me diligat. Datum etc. MDXXV.

LVIII. Petrus Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Cardinali Campeio, Legato apostolico in Hungaria.

Rme. in Christo pater et dne., dne. clementissime. Post servitutis et observantie mee humilem commendationem. Accepi literas a Rma. Dtione. vra. officii, humanitatis ac summe in me benivolentie plenissimas; itaque quum legationis munus apud Sermum. dnum. Ungarie et Bohemie regem obiens, mee dignitatis et commodi rationem se habere eisdem literis humanissime simul et benignissime testetur Rma. Dtio. vra., habeo eidem amplissimas et nunquam intermorituras gratias. Velit deus immortalis, eam occasionem mihi olim offerri, qua Rma. Dtio. vra. intelligere posset, quam grato animo tum in me ejus benignitatem exceperim. Profecto nulla tam dura provincia mihi demum dari posset, quam non libenter aut infracto animo obirem vicissim in procuranda et augenda dignitate et commodis ejusdem Rme. Dtionis. vre., quod quidem etiam quam verbis agere mallem, modo, ut scripsi, Deus occasionem offere dignaretur. Cod. Korn.

Quantum ad rem pruthenicam attinet, non modo inducie protracte sunt, sed et pax et amicitia perpetua stabilita et confecta est, offerente se occasione, quam hec regia Mtas., dnus. meus gratiosissimus, non invita arripuit eo, quod a dissidiis inter Christianos natura abhorret et ut hoc domestico ac pene civili bello imminenti liberata commodius ac expeditius contra fidei et sancte sedis hostes, si ita sors tulerit, bellum gerere possit. Quo autem modo et quibus conditionibus res acta sit, ex Sermi. istius regis tum etiam ex hoc nostro oratore, qui istuc mittitur, abunde intelligere poterit Rma. Dtio. vra. Ego, quantum mihi divinitus concessum fuerit, quicquid ad pacem inter Christianos procurandam et ad ss. sedis romane autoritatem et Majestatem augendam pertinebit, nihil pretermittam. Vestram interim Rmam. Dtionem. felicissime valere cupio eidemque me diligentissime commendo. Datum.

LIX.

LIX. P. Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Carolo, Duci Monsterburgensi, Capitaneo Regni Bohemie.

MDXXV. Cod. Korn. Illme. princeps et dne., dne. amice honorandissime. Non mirum est, spargi famam per Picardos et Luteranos de mutata religione Sermi. dni. regis nostri, ut magnis autoritatibus errorem suum fulcirent, sic illis et Christus et apostoli et evangeliste Luterani sunt, quos sibi solis vindicant; verum nulla alia res iis fabulis occasionem dedit quam omagium Illris. dni. magistri Prussie Mti. sue prestitum et illius in ducem creatio, cum quo nihil unquam nobis de religione negotii fuit, nostrum duntaxat jus ab illo exigebamus. Eo quum illum redegimus, ut debitum suum nobis prestaret, de aliis non erat cure neque facultatis nostre, terras aliquas in feudum ipsi duci dedimus, quando comperimus ordinem suam professionem transgressum et terras illas in Mtem. regiam ut hereditarium dominum recidisse. De quibus si hoc modo non composuissemus, opus fuisset ad arma venire, que multum reipublice christiane incommodassent. Utinam ita pii et religiosi essent omnes christiani principes omnesque nationes, ut est Sermus. rex et regnum nostrum, non laboraret respublica christiana. Itaque vra. Illma. Dtio. non adhibeat aures iis vanissimis commentis improborum et aliis, ne credant, persuadeat, servat enim Mtas. sua et servatura est cum universis subditis suis eam fidem et religionem, quam a majoribus suis per manus accepit omni integritate et constantia. Felicissime valeat vra. Illma. Dtio. cujus bone gratie me commendo. Datum.

LX. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Duci Prussie.

Cod. Korn. Illme princeps et dne. nepos charissime. Accepimus literas vre. Illtis., quibus declarans uti se status et membra ordinis Teutonicorum illi subjecerint, utque distributis pro victu et necessitate ipsorum bonis et possessionibus eorum sint ejus proventus nimium attenuati et diminuti, petit a nobis impense, ut de providendo et augendo ipsius statu curam suscipiamus utque oppidum Braunspergk illi certis conditionibus tenendum concederemus et duo milia florenorum, que pro festo S. Michaelis futuro illi a nobis juxta pacta numerari debent, ad festum divi Jacobi preteritum persolverentur et postremo, ut aliquid monete intra hinc et festum natalis domini excudere posset. Charissime nepos noster. Nos commendamus plurimum eam virtutem et equanimitatem, qua usa est vra. Illtas. in providendis iis membris ordinis, que se illi subjecerunt, quandoquidem ea conditione illa regenda ab initio susceperat et multi ex illis sortes patrimoniorum suorum istuc contulerunt et licet tam hoc modo quam etiam bello proventus ejus sint imminuti, tamen ita ferendum sit, ut fides et justitia utque temporum conditio exposcit. Nos vero et pro debito necessitudinis

dinis nostre et etiam pro ea fide et propensione animi et obsequii illius, quem erga nos pre se fert, volumus libentissime ejus status augendi per omnem occasionem benignam habere curam et rationem, verum quod ad oppidum Braunspergk attinet, licet illud in presens ob certas causas in potestatem nostram acceperimus, tamen quia neque usurpare neque alienare quicquam ecclesiasticum dignum putamus christiano principe, integrum nobis non est, oppidum ipsum Illti. vre. conferre, verum duo milia florenorum faciemus in manus Michaelis Spiss numerari, a quo illa, quando volet, accipere poterit. MDXXV.

De cudenda vero moneta commisimus tractare consiliariis nostris terrarum Prussie, ut videlicet talis cuderetur, que ab omnibus sine detrimento capi et communis istic esse possit, proindeque Illtas. vra. paululum expectare velit, donec iste modus cusionis bone et communis monete statuatur. Et feliciter valeat vra. Illtas.

LXI. Ensis et Pileus a Papa Clementi VII., Sigismundo, Regi Polonie, missus.

Quando dominus Consalvus de Sangro, camerarius pape, obtulit Sigismundo, Regi, ensem et pileum, tradens ea in manus sue Mtis. in ecclesia cathedrali Cracovie in solenni festo in maximo senatorum et populi concursu, intra missam post decantatum: Credo in deum patrem etc. die ascensionis domini, verba sequentia dixit: Cod. Korn.

Volens itaque Sctmus. dominus noster Clemens VII. approbatas sanctorum patrum consuetudines observare, statuit Mtem. vram. principem catholicam sancteque sedis, a deo utrumque gladium habentis, devotissimum filium hoc suo preclaro munere insignire nec non et pileo in signum muniminis et defensionis adversos inimicos fidei et S. R. E. protegere.

Firmetur igitur manus vre. Mtis. contra hostes s. sedis et Christi nominis et exaltetur dextera illius, eos velut ipsius assiduus intrepidusque propugnator de terra delendo. Et armetur caput Mtis. vre. spiritus sancti per columbam figurati protectione adversus eos, in quos dei justitia atque judicium pro romana sancta ecclesia et apostolica sede preparantur. Quod Mti. tue prestare dignetur idem filius, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia secula seculorum Amen.

LXII. Responsum a Sigismundo, Rege Datum Consalvo de Sangro, Camerario Pape. Die Pentecostes.

Sacra Mtas. regia, uti jam antea vobis dici fecerat, immensas agit et habet gratias Scti. dni. nostri pro muneribus, que illius Sctas. per vos Mti. sue mittere dignata est, que Mtas. Cod. Korn.

sua

MDXXV. **sua gratissimo animo accepit et illa inter alias res, quas habet charissimas et pretiosissimas habitura est semper existimationis non posterioris.**

Eum vero paternum affectum et benignitatem in se illius Sctis. vicissim illi et ejus sancte sedi sua perpetua fide et observantia referre et demereri curabit.

Commendabitis autem diligenter illius Scti. Mtem. suam, Sermam. dominam reginam, Illmum. filium principem ac reliquos liberos Mtum. suarum totamque domum et familiam, regnum, dominia, gentes et omnes facultates Mtis. sue, quas pro re christiana et sancta sede apostolica Mtas. sua effundere semper est parata et presertim cognita habens hanc Sctis. dni. nostri erga se benignitatem et affectum, quem ut illius Sctas. perpetuo retinere et ejus Mtem. ac negotia ipsius sua gratia complecti velit, illam Mtas. sua omni studio et devotione rogat et precatur.

LXIII. Andreas Cricius, Epus. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario [1].

Cod. Korn. B. Rme. in Christo pater et dne., dne. gratiosissime. Mitto Dtioni. vre. bina brevia pontificis lectu dignissima, mitto et alias binas literas, quarum alteras, quia dnus. Joannes Karnkowski in fasciculo suo in absentia ejusdem Rme. Dtionis. vre. mihi adscripserat, aperui, putans in illis aliquid ad Mtem. regiam attinere. Dnus. palatinus mittit reliqua. Solet Mtas. ipsa regia et dnus. palatinus me de multis percontari, que ad expeditiones rerum attinent, putantes mihi aliquid ejusmodi negotiorum commissum; esset itaque necessarium, ut aliquis ex notariis hic semper absente Rma. Dtione. vra. maneret, prout dnus. Krasowski manere solet, qui de rebus incidentibus posset Mtem. regiam certiorem reddere; nam et nunc cogitur Mtas. sua cum expeditione Rachemberg, nuncium, a Dtione. vra. Rma. expectare, cujus mansio quam commoda sit hic gregi ejusdem Dtionis. vre. Rme., queve hic conciliabula fiant, malo, ut ab aliis intelligat.

Mtas. regia omnem favorem et correctionem offert, modo quis debito modo ad se deferret.

Abhorret illi animus a conventu illo et omnino puto, non profecturam, censet enim et quidem recte, nihil per se effici posse adversus animos regnicolarum et presertim cum eorsum res tendat, ut fluctuanti private auctoritati consuleretur pretextu regio; preterea, quod insciis et inconsultis illis regnicolis res in suspicionem aliquam et tumultum majorem incidere posset, pluresque alias rationes adducit Mtas. sua, ut non congrediatur.

Mi Rme. dne. Mtas. reginalis ad quatuor ferme horas hesterno die mecum de meo ulcere est loquuta, me modis omnibus declinante et illum versiculum subinde repetente: „infandum, regina, jubes renovare dolorem.“ In nos ipsos omnem conjiciens culpam, se excusabat. Ego, legum pauperis non ignarus, ut pugnis contusis adoret, fassus sum culpam, multa

[1]) P. Tomicius hoc tempore a Cracovia ac ab aula regia ad synodum provincialem Piotrkoviam secesserat.

adjiciens,

adjiciens, que illi partim risum, partim etiam ruborem excitarunt. Habet nunc letiora ex Italia, de quibus ex literis suis Rma. Dtio. vra. intelliget, cujus gratie me humiliter commendo. Datum Cracovie IV. Julii. MDXXV.

LXIV. Bona, Regina Polonie, Joanni Dantisco, Oratori.

Mgce. et egregie sincere nobis dilecte. Prima hujus habuimus literas Sinceritatis tue datas Toleti V. Maji, que nobis valde placuerunt et non minus alie, quas scripsit Sermo. dno. regi, conjugi nostro charissimo, super omnibus abunde satis, que apud illam cesaream curiam aguntur et easdem nos libenter legimus. Literas autem, quas scripsit Reverendo patri dno. epo. cracoviensi et suo Stanislao Bork usque Piotrkoviam, ubi synodum agunt, transmitti nostris inclusas fecimus et propter eorum absentiam nostrumque celerem nuntium non mirabitur minime super illis responsum non habere. Cod. bibl. Ossolinianae.

Scripsimus nos et regia Mtas., Reverendus quoque pater dnus. eps. cracoviensis Scerti. tue plures literas ante mensem preteritum, quas per bancum Velserorum et nonnullas alias per manus Reverendissimi dni. cardinalis Sctorum. quatuor, quas ille ex Urbe ad curiam cesaream in manus Rmi. dni. cardinalis Salviacensis, oratoris apostolici, mittere debuit. Expectamus et libenter scire vellemus, an tua Sinceritas omnes illas habuit literas, nam in illis descripseramus impedimentum in negotio nostro barensi, nescimus quo pacto illatum. Suspensus enim est effectus investiture nostre per totum mensem Majum, dicente Illri. dno. vicerege Neapolitano, se ultimo id habuisse in commissis a S. cesarea Mte. cum aliis, quod ad executionem illius investiture nostre non procederet, nisi vocato prius et audito duce Mediolani et propterea nos Scerti. tue eas, quas dicimus, ultimas literas nostras ad cesaream Mtem. subito ac diligenter expediveramus, quarum etiam exemplaria intro cluseramus.

Nunc tamen habuimus novissimas literas a mgco. Ludovico Aliphio, secretario et oratore nostro, datas Neapoli XVIII mensis Junii, quibus nobis significavit, relaxatam jam sibi fore omnium bonorum possessionem preter castellum barensem, quod ipse castellanus declaravit se dimittere non debere, nisi trinis cesaris literis compellatur, et propterea ipse Ludovicus scribit nobis, expedivisse celerem postam ad tuam Scertem. cum plenissimis informationibus super his et aliis multis, ad que nos ibidem referimus illudque mirari non sufficimus, quod Scertas. tua in his ultimis nobis significavit literis, a mense Septembri nullas ab ipso Ludovico habuisse scripturas, cum ipse scribat se eidem plures misisse, et nos credimus ita fore, sed et nobis idem contigit, quod nunc a dominis Velseris literis nostris requirimus.

Utcunque est, nunc tria a tua Scerte. diligenter curanda sunt: primum ut et castellum barense in toto relaxetur et castellano illi triplicate vel duplicate cesaree subito mittantur litere, prout hoc nos idem ultimis literis tue Scerti. significavimus. Secundum, ut illa capitula

MDXXV. capitula matrimonii nostri totaliter firmentur cum opportuna declaratione, quod illa confirmatio perinde valeat, ac si tempore contracti matrimonii confirmata fuissent, attento, quod res sortita est effectum et quod istius intentionis et desiderii semper fuit olim defuncte cesaree Mtis., prout constat ex literis suis, et nos ac regia Mtas. illo effectu defraudari non debuimus et tunc inhibitionem illam, quo ad burgensatica prout et tua Scertas. sensit, non multum opus esse crederemus, quia secundum confirmationem et interpretationem cesaree Mtis. in articulis matrimonii descriptam jam judicaretur, qnod iterum atque iterum curet Scertas. tua cum summa diligentia. Tertium, ut hec omnia et quibus opus esse viderit exequatur, quam primum poterit antequam ibi venerit ad cesaream Mtem. Illris. dnus. vicerex Neapolitanus, quem audimus conducere navigio Christianissimum regem ad cesaream Mtem., et propterea cogitet Scertas. tua, si hec impedimenta eo absente habuimus, suspicamur majora cum presens fuerit; nam pro certo accepimus: Illrem. dnum. ducem Mediolani non propria intentione nec voluntate nobiscum concurrere, sed aliunde motum et provocatum fore, quandoquidem ipse scit et intelligit: nos de jure et equitate impedire non posse, nisi de facto pro aliorum arbitrio sapietur pars, et propterea Scertas. tua summum refugium ad Rmum. dnum. cardinalem Salviacensem, oratorem apostolicum, tanquam consanguineum et protectorem nostrum singularissimum, habeat, cui scimus recommendata fore negotia hec nostra per Summum pontificem et alios Rmos. dnos. dnos. cardinales. Habeat insuper intelligentiam cum Rev. dno. preposito, oratore Sermi. dni. regis Ungarie ac Bohemie, et cum aliis, quos noverit partis nostre fore. Habeat insuper Scertas. tua in curia aliquos suos subaratos, qui possent et scirent eandem informare de his, que ab adversariis molirentur in nostrum prejudicium vel detrimentum.

Et licet nos multis documentis experiamur, Illrem. dnum. viceregem Neapolitanum esse contrarium rebus nostris barensibus, verum tum dissimulando hec omnia, si jam istuc venit, vel quando veniet, accedat ad eum Scertas. tua et ipsum nomine nostro salutet, dicens, se id a nobis habere in commissis et mandatis, et quod congratulamur in fortunis suis et id genus, et quod nos illum credimus amicum et fautorem rebus nostris. Verum tum nil ei pandat maxime in negotio horum testamentariorum, quia eum scimus sentire cum illis, et si vel quando ipse vicerex deberet redire Neapolim, tunc Scertas. tua dissimulans omnia rogabit cesaream Mtem., ut negotium ducatus nostri et omnium nostrorum eidem ita commendaretur, tanquam nos illum vellemus habere fautorem et protectorem nostrum. Similiter et alios dominos rogabit nostro nomine et quomodo ibi non permitteretur nos gravari et nobis et nostris injuriari. Si vero non redibit Neapolim, cesaream Mtem. non accedas super hoc, nec alios oportebit. Tua tandem Sinceritas faciet suum officium ita ut supra, ne ipse intelligeret, nos illum cavere, vel observare aut suspectum habere; et quando rediret Neapolim, stante recommendatione cesarea et aliorum dominorum, abstinuerit se ab his, que essent contrario nobis. Bene valeat. Datum Cracovie V Julii.

LXV.

LXV. Bona, Regina Polonie, Steph. Broderico, Oratori Ungarie.

Rde. pater etc. Scimus nos Ptem. tuam negotiis nostris barensibus, utpote et justissimis et equissimis esse ex corde affectum, eo maxime, quod id ab utraque Mte. sua in commissis habeat, ut nomine illarum Mtum. hoc idem apud cesarem efficaciter promoveret. Nunc cupimus et si par sit rogamus: assistat oratori nostro, mgco. Joanni Dantisco, et in quibus suum auxilium postulaverit, ita illud impendere velit, quemadmodum rebus nostris prodesse noverit; nos enim prefato oratori nostro ad tuam Ptem. singulare jussimus habere refugium; nam illam scimus ibidem non parvi valere et reputari. Nos, quando poterimus Pti. tue omni nostra gratitudine id rependere curabimus, quam optime valere cupimus. Dat. Cracovie V Julii. MDXXV. Cod. Korn.

LXVI. Cornelius Duplicius Scepperus, Joanni Dantisco.

Salutem. Ego ad te ex Asturum portu Loredo transcripsi de rebus meis easque literas Hieronymo Viromando, juveni docto et probo, qui a secretis est nobilis et generosi dni. Wynchfyldt, regie Mtis. Anglie oratoris, puto Bilibaldi Cantabrorum datas esse, ut ad te transferret. Is si hoc ipsum fecit bene quidem fecit, ut hominem ingenuum decet, sin minus, sane non habes, quod de me conqueri possis. Ego enim is sum, quem nosti tui nominis te ipso studiosior preco, tametsi neque preconis indigens atque ego fortassis virtutem tuam non possim perinde predicare atque promereatur. Sed nolo tecum adulari partim quod eo ingenio nunquam natus fui, partim quod tu Cornelium amicum non haberes, si adulatorem haberes. De fortunis meis non est, quod multum ad te perscribam. Navigavi, uti nosti, Neptuno atque Eolo repugnantibus, Cornelius autem Neptunum non admodum timet, Eolum autem, inferiorum virium Satrapam, qui fit, ut vereri admodum debeam? vis dicam? Ter frustra comprehensa deos effugerat aura ter levibus ventis volucrique simillime somno, ut Maro tuus ait; veni tamen in Cornubiam, primum Fowicum, deinde Pleumodiam, ubi leniit mihi dolorem nausee maxime conversatio mutua honorabilis et prestantis profecto viri dni. Jacobi Horswolti, hominis, quem tibi predicare nolo, quandoquidem illum longe melius me dignoscere potuisti. Id dico atque iterum dico, quoniam juratus tibi sum singula queque rerum mearum ad te perscripturum, in homine illo multa quidem invenisse me, que admirari possem, sed nihil perinde mihi placuisse, quam quod te unice et amaret et veneraretur. Scis tu quam non sim corrodens in his rebus, quas tua tibi virtus elargita est, fortuna sane adimere non potest. Idque effecit, ut consuetudinem hominis probi et alias laudandi atque admirandi gratiorem habuerim. Quid est, quod multis tecum agam. Conveni, contuli de rebus multis, cognovi. Nihil enim refert, etiam si non satisfeci officio meo., cum viris bonis respondere difficile sit, satisfacere impossibile. Multa hic audivi de te, que non potuerunt non grata esse. Sed primum locum vendicavit quid pri- Ex cod. mss. bibl. Korn.

 num

MDXXV. *mum dixerit Jacobus, cum finem ego audiendi laudes tuas non facerem, ille vero multos in laudando surdos efficere posset. Qui vero surdum efficeret illum bene auritum — nolo enim .... dicere Cornelium? Hec volui ad te scribere, ut scires, multos te ubique amicos consequutos esse, deinde ut cognosceres, prefatum dnum. Jacobum meritum esse, uti literis tuis orbi commendaretur, denique, ne existimes, me tui oblitum esse, aut eorum numerum explere, quos docti* δυσγλωσσοὺς, *vulgus sagaces, Cornelius nebulones vocat. Tu vicissim debes opinioni, aut si fidem malis vocari, respondere, et cum ubique id nomen consequutus sis, ut literarum et prudentie arcem tibi elargiantur, efficere, ut in judicando lapsi esse non videantur. Facies autem id ipsum commode, si literarum tuarum usufructum eidem non invideas, profecto mihi abunde satisfeceris, quem cum fratris loco habeas, egre ferre non debes, tibi id ipsum significare velle, ut cum omnes de te non desinant bene predicare, unus tu desinas aliorum officiis aut satisfacere aut respondere. Quod ad Illmum. regem meum spectat, faciam ut is officium tuum agnoscat; neque vero existimare te decet, inhonestum aut inutile futurum obsequium meum, cum fortune minorem quam virtutis rationem habuisse te deceat. Bene vale. Ex Pleumodia pridie Nonas Julias.*

LXVII. Cricius Tomicio per schedulam.

Cod. R. Rme. mi domine. Mtas. reginalis impetrata dudum expectatione ad burgrabiatum palatinidiravensi nunc vacantem, mee petitionis causa, que non admodum ex animo fuit, dno. Chelmski contulit, cum admiratione omnium et pudore illius boni juvenis, ita compatiens ejus Mtas. mee adverse sorti, et amisse apud vulgum hominum, cujus favor ex fortuna dependet, obtrudere etiam videtur ultro suam in partes nostras beneficentiam. Mi Rme. dne., supplico humiliter, indulgere dignetur, ut si diutius istic manebit, ego interim ad episcopatum meum concedere possim, sunt enim multa necessaria, que me illic vocant, est preterea durum spectare hic quotidianas victorie et palpatorum ovationes, que non adeo mihi quam servulis et amiculis meis miserrimum prebent spectaculum.

LXVIII. Cricius Tomicio, avunculo suo.

Cod. R. Rme. in Christo pater et dne. dne. gratiosissime. Responsum est jam oratori Sermi. dni. Ludovici, facturam Mtem. regiam id quod postulat pro festo nativitatis Marie, si domi aliquod impedimentum non intervenerit, verum quantum Mtas. sua pre se fert, non faciet; videt enim privatе rei causa id expeti et timet, ne res ita facta, ut creditur, insciis regnicolis ex parte procerum huic, qui regit, adversa magis ulcus exasperaret, neve sinistra aliqua suspicione et timore patraretur aliquid tanti mali, ut demum mederi non possit et tota gratia et opinio de nobis utraque in parte magna concideret.

Adventante huc domino epo. posnaniensi multi se ab obviam itione continuerunt et presertim

aulici

aulici Mtis. reginalis, putantes, me id notare debere cum nihil minus cogitarem, quamvis et hinc cujusque affectus spectari potest, utpote domini Kmite, marchalci curie, qui ingenue fassus, quod nondum dolorem ex casu meo conceptum deposuisset, id captationis officii non fecerit, verum ipse dnus. epus. veniens publice et privatim cum multis preconiis efferret vre. Rme. Dtionis. in se officium et obsequium, ut que illi non adeo astantis quam capellani vice fuerit, cedere nos hic etiam omnes fortune et victorie genua submittere pennasque, ut illius utar proverbio, colligere cepimus atque utinam regina magnitudine forsan animi nostri irritata, placata demum hac humilitate nostra sevire desinat. Verum timeo, quod improbitas nullo flectitur obsequio. MDXXV.

Mitto vre. Rme. Dtioni literas nostri dni. judicis posnaniensis, licet ille vetuerit, ex quibus intelliget, quanti simus illic etiam apud fratres quosdam, et quid adhuc periculi immineat.[1]) Que litere me non adeo permoverunt, si relatio dni. palatini sandomiriensis coram Mte. regia de instituto communitatis more ungarico[2]) non accessisset sique non notassem, principem quasi ad eam connivere, si denique a Mte. reginali non accepissem quedam futurum periculum designantia. Supplico itaque Rme. Dtioni. vre., cogitare tandem dignetur, jam non adeo de me necessario et servitore suo, qui jam alio me compono, quam de sua ipsius autoritate, gratia et existimatione conservanda. Video enim esse nihil tutum, nihil, cui sit fidendum. Has vero literas dni. judicis, quandoquidem ex debito et fide sunt, benigne consulere dignetur et presertim cum eas minime vanas probare possunt litere anno superiore similiter scripte et dno. scholastico per me ex episcopatu meo misse. Sed de his sapienti pauca satis. Vra. Rma. Dtio. dignetur reditum suum maturare, nam Mtas. regia videtur gravate ferre, quod cum pleraque interveniant, que scire et habere ex officina illius oporteat, nemo sit relictus, qui id prestare possit. Me. vre. Rme. Dtioni. humiliter commendo. Cracovie IX Julii.

LXIX. A. Cricius Tomicio.

Rme. in Christo pater etc. Dominus Carnkowski nondum rediit neque dum post conventum s. Joannis quicquam significavit, verum nudius tertius allate sunt terne litere eadem continentes domini Michaelis Spisz: coactam videlicet illam Mtem. regiam inter communitatem venire inibique dominum archiepiscopum, idque absentem, officio sigillario privatum et ad illud secularem quendam ejus inimicum insolito provectum, dominum item palatinum regni exauctoratum et in ejus locum magistrum Stephanum illum popularem suffectum; dominum item Thurzonem a thesaurariatu depositum, Sarkanum vero vix saluti fuga consuluisse, et alia multa perpetrata mala. Rachembergk adhuc hic detinetur per dominum palatinum cracoviensem. Cod. Korn.

[1]) Ut Tomicio cancellariatus adimatur instantia plebis.
[2]) De deponendis dominis de magistratibus.

Ego

MDXXV. Ego indolens tantis blasphemiis, que in omnibus compotationibus fiebant, etiam inter purpuratos facta primum declamatione in consilio supplicavi demum Mti. regie, ut curiam suam ante omnia coërceret, ut pote que exemplar est omnibus aliis tam subditis, quam externis. Juvit me in ea re egregie dnus. palatinus sandomiriensis. Commisit tandem Mtas. sua indignato animo dno. marschalco, ut ediceret omnibus de religione silentium sub pena irremissibili carceris et exilii a curia. Quam commissionem dnus. marschalcus pro sua virtute alacri animo et verbis opportunis est exequutus, omnibus in unum convocatis, speroque continentiores jam futuros aulicos, si illis per nos ipsos habene non relaxabuntur.

Rusticorum furor in Germania non solum non remittitur, sed augetur etiam in dies dantibus miserrime penas tam episcopis quam secularibus principibus sue in tanta dei contumelia incurie et conniventie. Sed de iis et aliis dicet dnus. Isdbienski latius. Me. Rme. Dtioni. vre. humiliter commendo. Cracovie XV Julii.

LXX. Cricius Tomicio.

Cod. Korn Rme. in Christo pater etc. Post discessum Mtis. regie ad venationes, ego etiam huc ad meum Tusculum, ad curiam scilicet S. Floriani commigravi animumque meum partim hortulis, partim etiam literulis meis relaxabo. Venit huc hodie frater Cothvicii nostri ex Gnesna, qui refert quod in prediis et domibus prepositure corrosa sint omnia adeo, ut nec hostia, scamnave aut fenestra ulla sit relicta.

Noster Ponczoszka doctorculus nudius tertius cum e domo mea mecum cenatus exiret, acriter est contusus et etiam vulneratus. Unde id processerit, potest vra. Dtio. Rma. ex suo capellano dno. baccalario conjecturam capere, si meritus sit ejusmodi tractationem necne, qui sua commotione et maledicentia majorem voluptatem prebere videtur, quam injuriam aut ignominiam etsi maxime meritus esset, an decuit hominem nihil tale suspicantem et a me exeuntem ante domum meam jam ipsa nocte verberari, subornare contectis vultibus more latronum vre. Rme. Dtionis. judicium esto. Spero dno. Nicolao nostro pro illius virtute id non placiturum.[1])

Mi Rme. dne. Vereor apprime, ne sit Mti. regie illo quo vocatur eundum, quod iter et omnia frustra erunt, si is qui regere debeat, nihil minus quam id sciat et velit et cum ea consilia non causa regum aut Reipublice, sed causa retinende auctoritatis eorum, qui invitis omnibus hominibus omnia dirigunt pretextu publici boni prebeantur, ad que homines multo plus quam expediat, et vident et sapiunt.

Ex Germania literas iterum habuerunt mercatores quidam, quibus mira monstra describuntur, seditio rusticorum adeo opprimi non potest, ut etiam in dies magis invalescere videatur, qui jam ultra ducentas arces et monasteria funditus evertisse cum pane et caseo feruntur,

[1]) Sebastianus Opaleniczki, custos posnaniensis, et Petrus Konarski, custos cracoviensis, doctorem verberari per servos eorum subornaverant.

quod

quod milites cum omni tormentorum genere in tam exiguo tempore prestare non potuissent. Quicunque illis vel spiritualis vel nobilis ad manus incidit omnes occidunt; civitates vero hanc spiritualium et nobilitatis ruinam, quos utrosque ex laboribus plebejorum virorum vivere et luxuriari ferunt, per digitos leti inspectant. Commendo me humiliter. Ex curia S. Floriani. MDXXV.

LXXI. A. Cricius Tomicio, avunculo.

Rme. mi dne. etc. Parebo jussis Rme. Dtionis. vre.,, quod pedem hinc non movebo, donec ipsa feliciter redierit utcunque jam sarcinulas colligere ceperam. Nam licet predia episcopatus mei me alere non possint ante fruges collectas, plus tamen mihi alimenti suppeditare possent, quam hic unicum et dudum exhaustum. Cod. Korn.

Ceterum pudet admodum versari in aula, quemadmodum alios mei ordinis versari video cum probro et dedecore, quasi adversantem sequi fortunam et debitum suum officium negligentem, faciam tamen ut jubet vra. Dtio. Rma.

Post discessum regium in venationes, ego in suburbanum meum secessi, ubi animum nescio quare in dies pejus affectum, quantum possum, reficio. Disputo mecum, me id non habuisse, quod amisisse videor; superat tamen id, quod experior me conceptam omnium existimationem et favorem amisisse; scit enim Rma. Dtio. vra., quod eo, quo fortuna illic et favor hominum se inclinat. De autoritate et existimatione ejusdem Rme. Dtionis. vre. nihil dico, que sola per se nixa est satis, verum tamen et deus ipse in sanctis suis gloriosus est.

Mi Rme. dne. Mira hic aguntur convivia, mire ostentationes etiam preter Here sententiam, ut que nec divinis contra omnium opinionem adesse voluerit, multis argumentis declarans, se mihi condolere in his etiam, quibus non est opus.

Misit mihi dnus. palat. cracoviensis res novas ex Italia et ex Germania recens ex Niepolomice allatas, quarum copiam mittere volui Rme. Dtioni. vre.

Allata sunt etiam multa ex Ungaria, sed noluit eorum copiam facere, non libenter enim sua Mgcia. de his loquitur videns nostrates vorantibus auribus illa audire. In summa tamen est id, quod ante scripsi de exauctoratis officialibus et ablatis etiam dno. archiepo. cum sigillo decimis et, ut alii referunt, toto archiepiscopatu ita plerumque nimia auctoritas in nervum erumpit, cumque non satis fit, quod satis est, et id amitti et tanquam ab ingratis fato auferri solet. Hanc fortunam illi, si recte Dtio. vra. Rma. meminit, semper ominabar.

Scripte sunt plereque litere per baronem Burgi et Brodericum cifris. Ad Broderici literas ego feci copiam dno. palatino, sed Baronis cifra est apud Rmam. Dtionem. vram. Que res, ut olfacio, molesta est ipsi dno. palatino. Me humiliter commendo. A. S. Floriano Crac. XIX Julii.

LXXII. Brodericus, Ptus. Quinqueecclesiensis, Sigismundo, Regi Polonie.

MDXXV. Cod. Korn. Serme. princeps et dne. dne. mihi clementissime. Post mei et servitiorum meorum in gratiam vre. Mtis. humillimam commendationem. Accepi nudius tertius literas vre. Mtis. XII Junii ad me datas et cum his simul literas ad Sctmum. dnum. nostrum, ad Rmum. dnum. Sctorum. IIII et quosdam alios, in quibus scribit mihi vra. Mtas. de negotio ducatus barensis et de mea in Hispanias profectione.

Negotium ducatus barensis accepi jam esse in eo statu, ut non sit pro hoc magnopere laborandum, admissum esse in possessionem ducatus servitorem vre. Mtis. Que si vera sunt, pro ut mihi pro verissima sunt relata, non dubito, vram. Mtem. jam de hoc factam certiorem. Ego tamen sub hoc dubio non omisi tam apud Sctmum. dnum. nostrum, quam alibi facere omnia ea, que hic fieri per me poterant, queve mihi a Mte. vra. et a Serma. et gratiosissima dna. mea, sacratissima Mte. reginali fuerunt commissa, et quoniam ipse non sum ad cesarem iturus, egi apud Sctmum. dnum. nostrum; ut causam hanc Rmo. dno. cardinali Salviato, legato, diligentissime committeret, qui juxta instructionem oratoris vre. Mtis. apud cesarem existens agere deberet.

Consilium enim mee ad cesarem profectionis fuit mutatum, cujus mutationis vix scirem ego ipse dicere certam causam. Hoc scio, pontificem, ut ad vram. Mtem. scripseram, fuisse in ipso mei huc adventus principio hujus mee profectionis cupidissimum. Nunc vero non ita, neque aliam causam affert, nisi literas et mandata Sermi. et gratiosissimi dni. mei regis serius quam oportebat venisse. Si me illuc ire contigisset, nihil mihi optatius certe fuisset, quam in aliis, que mihi commissa fuissent, servire, pro pace autem et concordia illorum principum, pro liberatione Christianissimi regis (nam et hoc mihi per clementissimum regem meum fuerat commissum) totis viribus elaborassem. Et ego ita certe existimo, sapientissime et clementissime rex, non futuram fuisse hanc vel meam vel alterius et prudentioris et majoris me vrarum. Mtum. servitoris illuc profectionem a statu presentium rerum atque ab illorum principum nunc inter se tractatibus alienam. Non enim dubito vrarum. Mtum. autoritatem, qui soli cum vris. subditis sustinetis pondus diei et estus multum, potuisse illos movere et plus quam omnium reliquorum principum autoritatem. Sed ego hec me prudentioribus relinquo judicanda. Ego is sum, cui quicquid per vras. Mtes. oneris, quod humeri ferre possint, injungetur, libens feram etiam si longe ultra Hispanias mihi esset in servitiis vrarum. Mtum. eundum. Et quidem de his ac de negotio barensi hactenus. Venio ad alia.

Cum pontifex literas de federe per vram. Mtem. cum Turca inito et de pace cum Illmo. magistro Prussie facta perlegisset et cum ego paucis verbis utriusque rei causas, quas et antea a me audiverat, ei exposuissem, multa mecum et cum Rmo. dno. cardinali Cesio, qui pro Rmo. dno. cardinale Sctorum. IIII, nunc absente, aderat, est loquutus. Quorum omnium illa est summa: sese vram. Mtem. de federe cum Turca inito habere excusatam, neque miraturum, si rex etiam Ungarie vre. Mtis. exemplum sequutus idem faciet. Nam et de hoc

hoc dominum etiam meum clementissimum idem tractare pontifex non est nescius. Totam hanc rem, quomodocunque evadat, non vris. Mtibus., que a tot annis hostes christiane reipublice sole sustinueretis, sed principibus christianis, qui nullo modo ad pacem induci possent, esse imputandam censet. MDXXV.

De negotio vero prutenico repetivit illa eadem, que superioribus diebus dixerat et que ego ad vram. Mtem. perscripseram ... Quibus de rebus pontifex et ipse scribit ad vram. Mtem., que litere adhuc expediri non potuerunt, mittentur per primam mittendi occasionem. Sed quicquid pontifex ex sacri fortasse collegii inductione, nam cum eis est rem communicaturus, scripserit, illam esse sciat vra. Mtas. pontificis mentem, quam perscripsi et nullam aliam. Utinam clementissimus dnus. meus factum vre. Mtis. in federe cum Turca ineundo sequeretur. Quod si non fiat, timeo, ne omnino actum sit de nobis. Qua de re neque presens destiti assidue apud eos, ubi id faciendum videbatur, loqui et clamare, neque hinc scribere. Deus det sue Mti. et dnis. meis sue Mtis. consiliariis talem mentem, ne illud nobilissimum ac potentissimum regnum sub spe nescio quarum expeditionum amittant.

Novi nihil est, nisi quod de rege Francie in Hispaniam adventu nihil adhuc habemus neque scimus, quid speremus aut quid desperemus. Nuper, quod vre. Mti. scripseram, in maximam spem pacis erecti eramus, que non est quidem sublata sed certe non parvum diminuta.

Venerunt nova de Constantinopoli, que vra. Mtas. intellexisse potuit, milites pretorianos, quos „Janczaros“ vocant, seditione facta, quod augeri sibi stipem annuam postulabant, plures domos et inter ceteras Imbraim basse et nonnullorum aliorum diripuisse atque in predam vertisse, adortos deinde locum, in quo thesaurus imperatoris servatur, eum locum expugnare non potuisse, imperatorem egre tandem seditione oppressa coactum id facere, quod milites postulaverant. Hec pro re vera et certa huc scripta fuerant. Me et servitia mea in gratiam vre. Mtis. rursus supplex commendo. Rome IV Julii.

Supervenerunt litere ex Hispania, regem Christianissimum XVII mensis Junii proxime preteriti ad portum Barcinone appulisse.

Interpretatio Schede Broderici.

Si Mtas. vra. habet aliquam bonam occasionem faciende pacis cum Turco, fortasse non erit malum, non pendere a spe istius pacis inter Christianos, que parva est, immo nulla, neque credo, aliquid sequuturum. In causa est, quod rex Anglie magnam partem Gallie petit, a quo non poterit separari. Cesar licet iis diebus exorti fuerint quidam contrarii rumores, qui jam rursus non creduntur esse veri, de quibusdam alienationibus mentium inter cesarem et Angliam, est meliori spe pacis, que omnia credo esse vana.

Si Mtas. vra. faciet pacem et si non vult extremum excidium nepotis sui et regnorum ejus, includendus videtur ipsa quoque et regna illius in hanc pacem.

LXXIII. Responsum a Ludovico, Rege Ungarie datum Joanni Karnkowski, Secretario et Nuncio Regis Sigismundi.

MDXXV. Cod. bibl. Ossolinianae. Ad capita legationis mee, quam habui nomine Sermi. dni. mei, Polonie etc. regis, apud Mtem. Ungarie etc. regis, est mihi per ipsum Sermum. dnum. regem, ore autem Rmi. dni. Strigoniensis in hanc sententiam responsum idque die XVI Julii, die jam in vesperum declinante.

Et primum quidem, quod est ad scripta sive literas summi pontificis de mittendis in Urbem oratoribus etc. qui fuit mihi primus articulus, visum est isti quoque Mti. non mittendos illuc oratores, cum neque sint illic aliorum regum aut principum oratores, quando res quidem fidei, per recentem istam sed exundantem et in dies magis invalescentem heresim labefactata, itidemque et reformatio cleri, cujus sunt mores plus nimio depravati, per duorum regum oratores non possit instaurari, immo nec aliquid fieri ex animi sententia aut dignitate fidei sedis apostolice, aliis principibus dissentientibus, cum tota Germania hac labe sit infecta eique pertinaciter inhereat etc.

Itaque probat hec Mtas. sententiam illius Mtis., quod papam admonuerit de indicendo generali concilio, addens, velle se hoc ipsum facere et committere suo oratori, quem habet in Urbe, ut pontificem admoneat super hac ipsa re, immo et illius Scti. vult in eundem modum scribere, nec prius mittendos censet communes oratores in Urbem, quam illic fuerint aliorum principum oratores.

Quod est ad regem Gallie captum etc. etc. fecit jam hec Mtas. in aliqua parte officium, dederat enim negotium suo oratori in Urbem eunti, ut inter eundum Romam, deflecteret in Piczygatam inviseretque Mtem. illam eique condoleret de hoc infelici casu, preterea offerret et polliceretur utriusque Mtis. istius operam super liberando illo et concordia paceque inter Mtem. imperialem et hunc ipsum regem bonis mediis componenda.

Rescripsit jam autem dnus. Brodericus, hujus Mtis. apud sed. apost. orator, quod functus fuerit officio et quam officiosa hec pietas illi Mti. gratissima fuerit. Egit maximas gratias in presentia et est referre pollicita futurumque sese in Mtibus non tantum fratrem et amicum, verum et servitorem.

Proinde censet hec Mtas., ut Sermus. quoque dnus. meus faciat hoc ipsum per suum oratorem etc. mittatque ad cesaream Mtem. ad tractandum inter illam et prefatum dnum. Galliarum regem de bello tandem aliquando bonis mediis componendo deque pace et concordia facienda etc. quum et ista quoque Mtas. dederit in mandatis oratori suo domino Broderico, ut rebus in Urbe confectis eat recta ad cesaream Mtem. in Hispaniam ejus rei gratia, quo misit jam etiam pontifex dnum. cardinalem de Salviatis, legatum etc. Speratque Mtas. hec rem istam honestis conditionibus terminandum etiamque affinitate, quandoquidem ille rex captivus sit jam in Hispaniam traductus.

Quantum est ad inducias cum Turco etc. respondit, non sibi videri ex re sua et regnorum, ut federa sanctiat vel inducias cum hoste illo ineat, cum satis fuerit compertum, quod jam alias

tenentibus

tenentibus induciis sit regnum hoc perpessum non parvam jacturam, quod illo potissimum tempore sit terra depopulata, arces intercepte et quedam dirute, nominatim vero, quod arx illa nobilissima et opportuna Nandoralba sit tempore induciarum occupata. Hortaturque Mtas. hec illam, ut memor federum memorque pactorum ab ineundis induciis aut sanciendo federe cum hoste illo fedifrago sese contineat, quum brevi speranda fuerit pax et unio inter principes christianos et potissimum inter prima precipuaque capita inter se decertantia, videlicet inter Mtem. imperialem et Sermum. dnum. Galliarum regem. Quod si fuerit, poterit hec Mtas., superis bene propitiis, non tantum propulsare, verum et inferri bellum. MDXXV.

Quantum vero est ad articulum de dominis comitibus Scepusiensibus, vult hec Mtas. ob amorem Sermi. dni. Polonie regis patris, ut mos illi est dicere, omni eos gratia, favore atque singulari benivolentia complecti, potissimum vero, quod necessitudine illius Mtem. et deinde et sese contingunt, nec patietur eos opprimi etc. dummodo domini ipsi comites tales sese prebuerint, quales oportet probos videlicet et fideles subditos servitoresque obsequentes.

Preterea de bonis ducis Laurentii vacantibus curabit debitam illis ministrari justitiam secundum dictamen juris et consuetudinis in regno observate, ad quod faciendum cogit suam Mtem. jusjurandum.

Quod est ad injurias Scepusienses etc. Quoniam non minus etiam queruntur hujus Mtis. subditi adversum Scepusienses, asserentes, gravari sese ab illis magnis injuriis cum in rebus aliis iisque multis et variis, tum vero in occupatione finium etc. cuperetque Mtas. ista, ut utriusque subditi vivant pacate et sublata sit omnis dissensionis occasio, cum non sit minor illi cura de Sermi. dni. regis mei subditis, quam suis etc. censet rem aliter componi non posse et istam utrinque subortam dissidentiam pacari quam inter parentes etc. Quare censeret designandam certam diem et dandum negotium certis nobilibus in regni utriusque confiniis habitantibus, ut conveniant aliquando una et rem inter presentes et ipsi transigant et fine bono, servata utrinque equitate, componant idque tam de limitibus quam aliis quibuscunque injuriis.

Id autem quia in presentia non potest commode fieri tam propter messem quam vindemiam idque genus, censet rem istam in tempus aliud rejiciendam, videlicet post festum S. Michaelis et inter festum divi Martini etc. perscribetque Mtas. Sermi. domini mei et determinabit, quo die, ubi locorum et per quos, quotve quantosve rem istam velit agitari. Hec autem Mtas. voluerit sese in omnibus accommodare votis illius.

Quod item est ad Cassovienses, qui non patiuntur subditos domini Polonie etc. regis de Scepusio ire ultra civitatem suam et progredi in penitiora regni mercandi gratia etc. responsum est, habere et Cassovienses vetustiora privilegia, quibus cautum est, ne Poloni et quicunque alii pretergrediantur Cassoviam etc. Quod Mtas. hec dicit, se non posse infringere cum neque liceat etc.

Adjecit. Mtas., inquit, Sermi. dni. Polonie regis hanc etiam controversiam, examinatis utrorumque privilegiis, definiat et decernat, quid pars utraque juris habeat. Cum enim sua Mtas. sit et ubique gentium predicetur justissima, defert hec Mtas. hujus cause cognitio-

 nem

MDXXV. nem et definitionem ipsimet, ut commodo tempore et potissimum dum Mtes. iste simul convenerint, arbitretur et decernat, quod jus dictare videbitur.

Quod est de Bohemis, quibus non tantum fuerant magistratus abrogati, sed citati etiam erant super crimine lese Mtis., ut essent restituti et preterea esset illis cautum, honorique eorum literis hujus Mtis. satis provisum etc.

Hoc ego negotium, dno. Rmo. Strigoniense ita censente, egi in privato potissimum propter reginam, que fuit illis infesta. Audivit regia Mtas. nihil invitis auribus et prebebat spem mihi bonam, Mtem. dni. mei simulque et dnos. Bohemos voti istius futuros compotes. Egi cum reginali Mte., que et ipsa visa est accommodare sese votis Sermi. dni. regis mei etc.

Ad ultimum tamen, cum jam abiturus quererem, quid hec Mtas. ad hunc de Bohemis articulum responderet, dixit: se voluisse facere satis votis Sermi. dni. regis mei jam in presentia, sed quia intervenerunt quedam, necesse habuit in tempus aliud differe, nominatim autem in conventu regum, petens, ut sua id Mtas. non gravatim accipiat, satis enim fuerit votis sue Mtis. etc.

Non pretermittendum et illud, quod die XV. Julii Mtas. ista me ad se accersito inque reginalis Mtis. cubiculum introducto, exclusis arbitris omnibus nemineque adhibito preter reginalem Mtem. et dnum. Burnemissa, est solenniter protestata, quod ea omnia, que facta sunt in Hatffan demumque et Bude in exauctoratione dignitariorum etc. facta sunt, ea non tantum non consentiente verum et invita, quum sint ad indignitatem suam et ad derogationem sue auctoritatis etc. Ut autem evitaret majus periculum, utpote frementis populi tumultum, qui et statum regni et regem ipsum ducturus esset in discrimen, est coacta sua Mtas. conscendere illorum pervicacie et parere tempori atque necessitati etc. Hoc autem Bude in privato inque reginalis Mtis. cubiculo, quod etiam alias in Hatffan die V. Julii fecit coram me et dno. Barone, sedis apostolice nuntio etc.

Sed nec illud pretermittendum fuerit, quod diebus novissimis post jam datam mihi relationem prebitamque abeundi facultatem, die videlicet VIII Julii, sacra Mtas. vocando me ad se inque secretum abducto, nemine preter solam reginalem Mtem. adhibito, recensitis iis, quibus agitatur turbis, commemoratisque multis indignationibus, que adiit et periculis, que nisi fuerit sana ratione maturoque consilio obviatum imminent tam regnis istis quam statui suo et vite etc.

Post longiusculam declarationem ac testationem sue fidei, sui studii amorisque et observantie domini mei, cujus nunquam fecit mentionem sine honorificentissima prefatione, non jam patruum, sed parentem indentidem appellando, petivit suppliciter, nec ipse tantum princeps verum et reginalis quoque Mtas., ut idem ipse Sermus. dnus. meus eorum regnis, immo et ipsimet statui et vite eorum consulat et adsit autoritate sua etc. etc.

Quod si facere distulerit, actum fuerit de regnis istis, actum et de vita eorum i. e regis et regine, fortasseque et de regno Polonie, firmando enim vacillantem statum horum regnorum suamque principi auctoritatem restituendo, regno suo Polonie filioque recte consulet etc.

Id autem non aliter videtur futurum, quam ut sua Mtas. ad locum certum tempusque conveniat cum hac Mte. et id genus multa. Cum autem scire vellem, ubi aut quando id vellet, nihil diffinire voluit, totum illud in arbitrium sacre Mtis. dni. mei rejiciens, hoc

tamen

tamen addidit, quod, quam primum fieri possit opusque esset acceleratione, si se et regna sua vult salva etc. MDXXV.

Post autem sequenti die Rmus. dnus. Strigoniensis, qui me convenit, cum jam discessurus essem, rem dixit explicatius; nominatim autem, ut sit conventus ille regum in Olomuncz et circa vel statim post festum S. Michaelis, cum propter alia tum vero propter dnos. regni Bohemie et Moravie, ut illic et illa sint fine bono composita, que ad illius regni pacationem pertinent etc.

Interea vero temporis, quo hec in Olomuncz agerentur, daremus, inquit dnus. ipse Strigoniensis, operam de indicendo conventu generali regni nostri nobilitati sive regnicolis alicubi in propinquo inque civitate aliqua Moravie aut Austrie contermina aut vicina, ut sacra Mtas. dni. mei, conventu illo regum in Olomuncz defuncta, ad illam item dietam regnicolarum accurrat simul cum Mte. hac in Thyrnawa sive, quod hec Mtas. plus cuperet, Posonii celebrandum, ubi presens in re presenti ageret, quid facto esset opus ad sedandas discordias inter regnicolas ad dirimenda odia, quibus certant ad invicem et ad alia, que regnorum istorum simulque regis ac regine status equidem dubius et vacillans postulat, felici exitu componenda.

Inter alia censet idem dnus. Strigoniensis ab his minime excludendam reginalem Mtem. Ungarie, cujus ingenii acrimoniam, vivacitatem et dexteritatem potentemque animum et vere heroicum multum commendat etc. Adjiciens finaliter et obtestans Mtem. dni. mei, ut jam jamque intenta sit et prospiciat Mtas. sua nepoti et filio suo, ne ad ultimum status suus, immo potius totius familie Mtis. dni. mei pessum eat et periclitetur cum magno dedecore et indignitate domus regie etc. quandoquidem, inquit, ego ulterius nec valeo, nec scio prospicere. Idque testatum esse volo per te Mti. regis tui, quem et ipse non minus colo, veneror et observo ac aliquis ex quibusque subditis et addictissimis servitoribus Mtis. illius. Quia sine dubio periculum in mora et nisi tempestive occursum fuerit, status nepotis sui est in precipitio, itaque, sicut dixi, Mtas. regis tui jamjam prospiciat etc.

Commendans se ad ultimum ad omne servitutis officium, rebus, persone, facultatibus, etiam vite non parcendo pro Mtis. regie imperio et necessitate, ubi ita facto opus fuerit.

Cum dno. Rmo. legato quid egerim et cum aliis, licet memoria in promptu est singulorum, refero me tamen ad literas meas, quas ad Mtem. dni. mei, nisi et abunde satis singula perscripsi, quid, quando et quomodo egerim, que nunc supervacaneum, immo nec necessarium recensere judico. Bude XXIII Julii.

LXXIV. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. et colendissime mi domine. Mittit dnus. palatinus cracovien. vre. Rme. Dtioni. totam tragediam ungaricam, in qua hoc unum est melius fama sparsa, quod sigillum acceptum una cum archiepiscopatu a dno. strigoniensi collatum est non seculari, sed dno. episcopo agriensi. Cod. Korn.

MDXXV. agriensi. Actum enim illic fuisset de tota autoritate spiritualium. Dominus Brodericus scribit mihi per cifras, se intellexisse, dnum. episcopum strigoniensem sigillum resignaturum oratque me, ut cum vra. Rma. Dtione. illi adessem, prout ex ejus scheda versa intelliget. Verum cum iste casus inopinatus evenit, difficillimum erit, illum juvare, licet dnus. agriensis sit omnino inhabilis et lingua et calamo, tamen apud plebem est acceptus et est pertinax, voletque potius alicui suo favere, quam his, quos dnus. strigoniensis promovere instituerat, quibus et sibi ipsi hac cunctatione pessime consuluit. Utcunque est, quando Rma. Dtio. vra. revertetur, tentandi erunt modi, de ponendo ad ipsum officium aliquo nobis propenso, quod spero etiam dnus. strigoniensis curaturum et emersurum etiam aliquo modo ex his suis adversitatibus sua versutia.

Mtas. regia nullo modo censet sibi cum illa Mte. conveniendum istis motibus in fervore existentibus, sed nec nuncium insignem mittere velit, licet omnes suadeamus, dominum Szidlowicium mittendum.

Mitto vre. Rme. Dtioni. literas ex Urbe, quas, quia se mee referebant, illas aperui et res novas Mti. regie perlegi. Litere provisionis prepositurarum nondum venerunt, nec quicquam de illis scribitur. Significatum est mihi, Andrzeiek cursorem non dedisse nostras literas Rome iis, quibus scripto fuerunt, nisi post suum discessum, instructum de industria, ne quid difficultatis esset in expediendo episcopatu, quod comprobat ipsius nebulonis contemptus, qui hactenus aliquoties vocatus ad me venire noluit, ita hic jam existimor etiam a talibus despectione dignus. Expectabo, ut prius scripsi, reditum vre. Dtionis. Rme. et jam ad factores meos in episcopatum significavi.

Comperi, agi quedam secreto in favorem dni. Carnkowski pro episcopatu cujaviensi, cujus reditus hic per dnum. Rambiewski expectatur, eam ob rem et item pro dno. Olesniczki de speratis, nescio quibus, vacantiis etiam auspicio eorum, qui reconciliati nobis maxime blandiuntur, suntque certissima quedam ejus rei indicia. Ego quid amplius dicam aut faciam, nescio, nisi tacitus mecum meam sortem deploro nihilque non eventurum puto in aliis, cum in iis, que in manibus fuerunt, preter spem evenit. Me vre. Rme. Dtionis. gratie humiliter commendo. Cracovie die S. Jacobi.

LXXV. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. Korn. Rme. in Christo pater et dne. dne. gratiosissime. Qualis legatio huc supervenerit ex Ungaria post discessum Dtionis. vre. Rme. cognoscet ex literis regiis. Mihi neutiquam probatur, ut cum aliis communicari deberet, novit enim, quam aliorum futilia aliorum chimerica sint ingenia, unde et res emanaret subito et aliqui etiam non solum miras nenias immiscerent more solito, sed etiam ad hoc iter, quod nescio quo pacto jam vitari possit, sese ingererent suamque platonicam disciplinam ad motus sedandos et Rempublicam bene constituendam explicarent, vel potius magis implicarent. Ego cum legatio referretur non aderam heri

heri de industria, verum quantum accepi a dno. palatino, qui mox ipse ad domum meam venit hec relaturus: Mtem. regiam hoc ad ejus sententiam addidisse, cum rem communicandam istic suaderet, in quantum Rme. Dtioni. vre. ita videretur, unde conjicio illam idem vereri, quod ego minime dubito futurum. Hec tamen judicii sint Rme. Dtionis. vre. MDXXV.

Filius dni. palatini extinctus est die Veneris preterito forte ventris profluvio, vel potius medicinis. Ita sunt humane felicitates! Eum eventum minus anxie fert sua Dtio. quam aliquis putaret.

Allata sunt quedam nova prodigia, que facta sunt recens in Germania adversus Luteranos et nova adversus illos doctorum opuscula, que nondum vidi.

Premonitus sum a concionatore illo S. Marie, serpere hanc labem indies magis in hac urbe. Id rogo Dtionem. vram. Rmam. non levipendat, sed curet, ut venienti morbo occurratur. Novit principem, quam non agat quicquam sponte quam item agat omnia, que consiliarii tanti momenti censeant, et proinde cura et stimulis opus est; res enim eo procedit, ut jam dissimulari citra discrimen non possit. Me Rme. vre. Dtioni. humiliter commendo. Cracovie XXVII Julii.

LXXVI. Andreas Cricius, Epus. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. mi dne. Scribere mihi dignata est vra. Dtio. Rma. rem nostram deploratam,[1] idem ego ex illo magno amico nostro[2] hesterna die intellexi, quin etiam succensam illam reginam, quasi nos eam,[3] non ipsa nos impediret, quasique adversus illam vi conaremur, exprobrans conditiones justissimas et decentes a se nobis propositas easque rejectas. Proindeque non suam, sed nostram esse culpam. Esse quidem Rmam. Dtionem. vram. dignitate, gratia, eloquentia summum favereque se[4] illi maximas quasque sedes, attamen propter officium[5] melius fuisse, ut omnes prepositure regni illi collocate fuissent ad officium, quam hujusmodi episcopatus[6] incompatibiles. Et alia multa mihi retulit, illam questam, ex quibus quam averso sit a nobis animo facile conjicio. Addidit ipse amicus, sibi quoddam cognitum de futuris,[7] sed se fide obstrictum non audere proloqui, submonuit me tamen, ut caveremus, ne eodem modo in reliquis omnibus[8] preoccupemur, visusque est mihi amicus ipse titubantius quodammodo mecum agere quemadmodum in adversis fieri solet. Ego mi Rme. dne. vulnus hoc fortune excipiam et feram eo animo, quo potero. Verum jam de futuris magis sum sollicitus. Est quidem res Dtionis. vre. Rme. extra aleam, sed nos miseri necessarii obnoxii erimus inimicorum libidini, qui suam in nobis, Cod. Korn.

1) episcopatum posnaniensem negatum,
2) Ludov. Aliphius, secretarius regine,
3) in distributione sacerdotiorum,
4) regina,
5) cancellarie ad vitam restituende,
6 posnaniensis et cracoviensis,
7) de adimendo officio vicecancellariatus,
8) vacatione episcopatuum,

quum

MDXXV. quum in illa [9]) non poterunt, voluptatem vel rabiem potius explere curabunt. Quare supplico humiliter Rme. Dtioni. vre. prospicere velit tempore honori suo [10]) et rebus nostris inclinantibus neque adeo sue de principe [11]) aut rerum successibus secure existimationi et fiducie confidere, novit enim non esse viri sapientis dicere: non putaram. Offerebat mihi prius nostra illa [12]) sacerdotia adversarii,[13]) nunc ne illa quidem, ut puto, prestabit, re suo Marte ex sententia potita. Ex pessimis rebus, si utique illa contingerent, lenimen utique esset quoddam saltem per illa necessariis commodandi et amicis gratificandi, et ut illos spes frustraretur, qui adversariis applaudentes illa inhiant. Hoc a Rma. vra. Dtione. etiam atque etiam humiliter atque cum lacrimis peto rogoque, ut que scripsi clementer suscipere et concerpere, ne quis videat, dignetur.

LXXVII. Cricius Tomicio.

Cod. Korn. Rme. mi dne. Mtas. regia non reditura est (ex Niepolomice) ut constituerat hodie, sed forte preliabuntur illic ad diem Martis vel Mercurii.

Dominus Scolasticus publicari jam fecit hoc biduo indulgentias, quarum processum mitto.

De fuga regis Gallie quodammodo res confirmatur etsi Carolus mercator scribat ex Vienna, illum Mediolani esse et a viginti milium exercitu cesariano custodiri, que sunt mere gerre germane.

Rustici in Germania mira patrant, allate sunt heri mercatoribus litere, Ulmam civitatem et aliam quandam ab illis interceptam et inibi marchionem quendam seu comitem per eos in meniis suspensum.

Mtas. reginalis misit mihi nudius quartus cervinam venationis sue, cui hoc remisi extemporarium epigramma.

Tam bona regina es, bene tam venabula tractas,
Ut dubitem Juno an sis ne Diana magis.
Verum sic utinam mihi sis bona Juno precanti
Ut bona nunc facta es sponte Diana mihi.

Commendo me humiliter Rme. Dtioni. vre. Cracovie Sabbato.

Sensus Carminis.

Petrus Tomiczki, Epus. Posnanien. nactus episcopatum cracoviensem, posnaniensem dimisit, Cricius eum ipsum posnaniensem episcopatum petebat nec impetravit, etenim Bona, regina, cujus tunc nutu ac renutu sursum ac deorsum omnia agebantur, hunc ipsum posnaniensem episcopatum contulit Joanni Latalski, secretario regio, homini vano, futili ac bibacissimo, vulgo „Kufel" dicto, accepta ab eo, ut passim ferebatur, pecunia, XII milibus flor., propter

[9]) in Tomicio,
[10]) ne officium cancellarii adimeretur,
[11]) rege,
[12]) regina,
[13]) Latalicii.

quam

quam nihili hominem pretulit Cricio, viro docto, probo, sobrio et sapientissimo et Simoniam horrente. Post male hunc datum episcopatum cito rex et regina contulerunt se in Niepolomice ad venationes, quo etiam Cricius regem non comitatus est. Captis autem cervis regina misit Cricio carnes cervinas, animum Cricii egrum ex repulsa demulcens. In hoc precedens carmen et subsequentia carmina nata fuere. MDXXV.

LXXVIII. Andreas Cricius, Bone, Regine.

Sacra Mtas. domina mea clementissima. Scriperam Mti. vre. victum nuper a Baccho [1]) Phebum, [2]) id in convivio intelligi volui, sed cum Minerva [3]) vere in hac re Minervam agat, Phebus miser nescio quid illi respondet. Cod. Korn.

Fabula nulla docet Bromio favisse Minervam,
Fabula me miserum sic nova Phebus erit.
Non bene conveniunt Pallas madidusque Lieus,
Ingenii vires illa dat iste rapit;
Et quamvis Bromii fingant majora poetis
Conveniunt magne non tamen ista dee.
Charus erat quondam Phebus Museque Minerve,
Ille dabat numeros et dabat illa modos.
At rursus tanto confisus numine Phebus
Cantabat domine carmina digna sue.
Magna quidem, fateor, vis est meritoque Minerve
Gloria sed Phebum vincere parva suum.
Deditus ille fuit semper semperque manebit
Sive levet Phebum seu premat illa suum.

LXXIX. Andreas Cricius, Bone, Regine.

Sacra Mtas. domina clementissima. Ago immensas gratias Mti. vre, quod dedignata non sit nugis meis tam benigne respondere et versiculis lepidissimis Apollinem a Junone seu potius a Pallade sua extimulari, ut laudes ejus promat sicque se apud Jovem commendatum iri speret. De Junone aut Pallade viderint superi, mihi sit satis una dea Bona, que celestes omnes deas antecellat. Sed occinere potius. Cod. Korn.

1) Latalski. 2) Cricius. 3) Regina.

 Quid

MDXXV. Quid te diva vocem Junonem, Pallada, Cyprim
Sylvicolamne deam? sit satis esse Bonam.
Regina est Juno tantum tritonia docta
Venatrix agilis cynthia pulchra Venus
Singula dote sua prestat Bona, dignior ergo,
Nam quod habent omnes, hoc habet una Bona.

Quod putat Mtas. vra. non egere suo inter se numina patrocinio, quod una sit mens omnibus unaque voluntas, ita respondeo.

Ne regina putes, quod meas sit una deorum
Sepe solent miro bella movere modo.
Ne memorem pugnas veterum ne Pergama, quantum
Dissidio foverint numina numinibus.
Certavit nuper cum Baccho infaustus Apollo
O mirum et cecidit numine Palladio.
Nulla fides ergo superis, Bona sola faveto,
Sic mihi tu, Juno, sic mihi Pallas eris.

Supplico Mti. vre. has meas ineptias boni consulere dignetur. Gratia Mtis. vre. excitat has Musas nostras, jam alioqui invisas, cum repeto miseris contraria fata poetis. Me Sacre Mti. vre. humillime commendo.

LXXX. Lepus in Venatione per reginam Bonam captus de fato suo.

Cod. Korn. Interitum laudesne meum doleasne viator,
Nȩscio, nam dubia non ratione caret.
Non lepus alter erat pre me velocior ullus
Nunc tamen apprensi colla cruenta vides;
Elabi poteram spatio cursuque fugaci,
Sed nova venatrix est remorata pedes.
Que postquam superabat equo priorque premebat
Sollicitans celeres in mea fata canes.
Non potui prestare miser, quin lumine verso
Mirarer speciem, numen et ora dee
Sidereosque oculos vultusque et eburnea colla
Ipsaque pestanis emula labra rosis.
Interea canis ore petor, comprendor et una
Causa voluptatis fit mihi causa necis

Infelix

Infelix moriendo fui felixque vivendo, MDXXV.
Nec scio que potior sors fuit illa mihi.
Capiendus eram, hic felix, qui captus ab ista,
A qua se cupiat Jupiter ipse capi.

LXXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Ungarie etc.

Serme. princeps etc. Cum rediisset ad nos venerabilis Joannes Karnkowski, prepositus cracoviensis, orator noster, quem nuper istic apud Mtem. vram. habuimus, retulit nobis: Mti. vre. cure esse, ut in terra Scepusiensi inter subditos tam Mtis. vre. quam nostros super injuriis ac etiam de finibus et limitibus per legatos ad id muneris utrinque mittendos determinaretur et componeretur. Que quidem res, quia nobis plurimum cordi est, propterea quia etiam super eisdem negotiis crebris subditorum nostrorum pulsamur querelis, constituimus quatuor officiales et legatos nostros illuc mittere; tempus autem ad id agendum commodissimum arbitrati sumus diem proximum XI milium virginum. Quare rogamus plurimum Mtem. vram.: velit ad eundem diem et tempus legatos suos etiam illic mittere, ut ita rebus omnibus et controversiis compositis ac sopitis utriusque nostrum subditi optato otio et pace frui possent. Dominus deus diu servet vram. Mtem. sanam et felicem, cujus amori nos commendamus. Cod. Korn.

LXXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo V. Rom. Imperatori.

Serme. et excellentissime princeps. Declaravit Mtas. vra. cesarea satis superque favorem suum non vulgarem amoremque fraternum erga nos, quod ducatum barensem nobis restitui mandavit, pro quo eidem Mti. vre. prestamus quam maximas habemus gratias, verum quia arx barensis, unde magna et pene tota vis ditionis illius dependet, nondum in potestatem nostram devenit, quo beneficium hoc Mtis. vre. in nos sit solidum atque perfectum, rogamus illam plurimum: imperare dignetur, ut et arx ipsa nobis restituatur. Nihil enim alienum optamus, duntaxat, quod nobis jure competit id petimus. Alia mandavimus oratori nostro Mti. vre. referenda, quam identidem rogamus, ut illi benignas et clementes aures prebere dignetur. Dominus deus servet incolumem et semper felicem nobis et orbi christiano Mtem. vram. quam diutissime, cui nos et res nostras ex animo commendamus. Cod. Korn.

LXXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Mercurino de Gattinaria, Cancellario Caroli V.

MDXXV. Cod. Korn. Illme. et Mgci. etc. In plurimis rebus et negotiis nostris, que apud cesaream Celsitudinem habuimus, non medicore studium et in nos benivolentiam Illtis. tue semper agnovimus, tum precipue in restitutione ducatus barensis prout hoc ipsum ex literis oratoris nostri Joannis Dantisci plene didicimus. Pro quibus rebus summas habemus gratias tue Illti., cui etiam id per omnem occasionem omni genere gratitudinis compensare volumus. Rogamus illam plurimum: velit ceptum in nos officium prosequi et autoritate sua apud cesaream Mtem. nos adjuvare, quo arx quoque barensis, sine qua possessio ipsa ducatus manca est, nobis restituatur, curareque ut hoc cesaree Mtis. in nos beneficium sit solidum et perfectum ita ut universa illa ditio in potestatem nostram deveniat. Efficere etiam velit tua Illtas. ut Mtas. cesarea, si quando nos Illris. dnus. Franciscus, dux Mediolani, pro ducatu barensi in jus vocaverit, committere dignetur, quo uno eodemque judicio fiat nobis justitia in ducatu mediolanensi et civitate cremonensi, quandoquidem nos plus juris habemus ad ducatum mediolanensem et Cremonam quam habeat dux Franciscus ad ducatum barensem equumque esse videtur, ut cum Mtas. sua cesarea vult ministrare justitiam in uno, ut illam faciat et in altero. Prout de iis et aliis negotiis informabit tuam Illtem. orator noster Mgcus. Joannes Dantiscus, cui rogamus adesse velit tua Illtas. ope et consilio suo. Nos vero referemus illi hanc operam omni benivolentia et gratificatione nostra, et optamus tuam Illtem. bene et feliciter valere.

LXXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Dantisco, Oratori.

Cod. Korn. Mgce. sincere nobis dilecte. Recte facis, quod crebro literas ad nos mittis et de multis ac variis rebus et negotiis cum nostris tum externis atque alienis nos facis certiores, quare scias, hanc tuam diligentiam nobis non vulgariter esse commendatam, pro qua tu etiam gratie nostre fructum olim experiere.

Hortamur autem te, non intermittas istic apud cesaream Mtem. res nostras prosequi, maxime quod ducatum barensem attinet, cujus pacificam possessionem nos nondum assequuti sumus, nam, ut scis, arx barensis nondum nobis restituta est. Itaque prout etiam alioqui literis aliis tibi mandavimus, insta, urge et perfice apud eandem cesaream Mtem., ut nobis etiam arx ipsa restituatur, nihil enim iniquum postulamus, contendimus pro eo duntaxat, quod nostrum proprium est nihil alienum desiderantes. Des igitur operam, adhibitis etiam precibus, ne Mtas. sua patiatur nos ulterius in possessionibus nostris detrimentum pati, quin eas nobis pacifice imperet resignari et dimitti.

Significatum

Significatum est nobis preterea, quomodo Illris. dnus. Franciscus Sfortia pro ducatu barensi ad judicium ces. Mtis. nos aut vocaverit aut omnino brevi vocaturus est. Quam rem nos eo equiori animo ferimus, quod non dubitamus jus nostrum, quod ad eundem ducatum nobis competat, cum cesaree Mti., tum omnibus, quorum interest, clarius et lucidius inde fieri posse. Sed cum Illris. dnus. Sfortia dux pro ducatu barensi, ad quem nullum jus habet, nos impetat, nos vero ad ducatum mediolanensem plenum ac perfectum jus habeamus, nihilominus tamen pro ducatu barensi respondere non abnuimus, modo rogamus cesaream Mtem., quam et tu verbis nostris roges, ut cum primum de ducatu barensi nobis lis movebitur, sua Mtas. unico atque eodem judicio unoque actionis contextu causam etiam ducatus mediolanensis atque ita et civitatis Cremone, ad quam etiam jus habemus, dijudicare determinare et definire jubeat, id nos paribus, vel etiam majoribus officiis et meritis sue Mti. rependere semper presto erimus. MDXXV.

Significasti nobis posterioribus literis a te ad nos scriptis, quomodo Antonius de Comitibus iterum a cesarea Mte. ad ducem Moscorum legatus mitti deberet, pacem videlicet inter nos et eundem ducem compositurus. Nos equidem mallemus Mtem. suam cesaream a mittendis ad ipsum ducem legatis prorsus abstinere, presertim quod ad negotium pacificationis attinet, propterea quod experientia didicimus, barbarum et plus solito sibi fidens ingenium talibus legationibus non modo non mitescere, sed etiam efferacius et insolentius reddi. Proinde si furere ceperit et in auras sevire non tanti existimamus, quemadmodum forte homines suspicantur. Expertus est enim ipse aliquot preliis, quod sibi conatus ejus non successerunt. Sed nos cesaree Mtis. voluntati contraire neque volumus neque nobis id licet; illud tamen satis mirari nequivimus, suam Mtem. a nobis minime rogatam tot legatos ad Moscoviam mittere, a qua si id peteremus vix obtinere speramus. Sed utcunque est, tu cura desque operam, quantum tibi licuerit, ut negotium nostrum cum eodem Moscorum duce ex tot legationibus quam minimum difficultatis habeat et quibuscum mandatis idem legatus istinc profecturus est, quidque illi injungetur et que cesaree Mtis. intentio fuerit, quam plenissime poteris, nos literis tuis per primum nuncium facias certiorem.

Proximo preterito mense Junio abunde, ut opinamur, tibi descripsimus, quomodo res Prussie transegerimus, sed fortassis litere nostre adhuc ad te perlate non erant tunc, cum tu ad nos literas novissimas dabas, tamen interea temporis existimamus tibi jam redditas esse, que si, ut opinamur, tibi reddite sunt, poteris ex eis intelligere, nos in hoc toto negotio, quod cum magistro Prussie gessimus, nihil a boni principis et christiani regis officio ulla in parte deflexisse, nec in ea concordia de religione ne tantillum quidem cum illo egisse, multo minus a connubio filie nostre, de quo ne somniavimus quidem unquam, quare quoties ex re fuerit, habebis, quod curiosis istis et suspiciosis responderes, nos enim elegimus potius eam pacem, que pro ratione temporis contingere potuit et visa est solidior quam omnino necessitate et furore bellico terras et hereditatem nostram et regni nostri repetendo omnia vastare et destruere, considerando, alioquin jam pridem in Prussia non de ordine solum, sed de tota religione actum esse.

Hic fama est, cesaream Mtem. cum Christianissimo rege in gratiam rediisse ac pro majori amicitie et conjunctionis sue mutue firmitudine matrimonia quedam conclusisse. Que si

ita

MDXXV. ita se habent, nobis per primam postam quam diligentissime perscribas; si etiam Christianissimus rex adhuc istuc est, adeas illum nomine nostro et fausta omnia ac felicia illi precere, rogesque, ut si fas est et illi faciendum videbitur, ut res nostras ces. Mti. commendet, quo et arx barensis nobis restituatur, et ut dux Franciscus nos pro ducatu barensi impetierit, ut uno et eodem judicio etiam pro ducatu mediolanensi et civitate Cremona nobis Mtas. sua cesarea faciat justitiam fieri. Que omnia tu verbis ad rem accommodatis propones et ages pro fide et industria tua. Non succurrebat in presens nomen et titulus domini comitis de Nassau, quare tu literas nostras que sine titulo sunt ad illum inscribi titulo illius consueto facias.

LXXXV. Stephanus Brodericus, Orator, Sigismundo, Polonie Regi.

Cod. Korn. Sacra regia Majestas etc. Post mei et servitiorum meorum in gratiam vre. Mtis. humillimam commendationem. Nunc nihil est quod scribam, nisi velim eadem repetere, que proxime scripsi. Nondum aliquid certi ex Hispania venit. Res germanice quietiores sunt; principem Ferdinandum intelligimus ire cum copiis suis ad liberandum ab obsidione cardinalem salczburgensem, obsessum a subditis suis. Ego fidelem meam servitutem in gratiam Mtis. vre. supplex commendo, quam deus conservare dignetur diu et incolumem et victoriosam. Rome IV. Augusti.

LXXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Mauritio, Epo. Varmiensi.

Cod. R. Rev. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Cum intellexissemus jam pridem turbas et seditiones intestinas pullulare in civitate nostra Gedanensi potissimum contagione luterana, egimus sedulo cum per nuncios et literas nostras, tum vero publicis edictis adversus Luteranismum, ut ipsam civitatem ab his tumultibus ac erroribus continere potuissemus, verum cum plebs illa, neglectis admonitionibus et contemptis edictis nostris, in dies magis in ipsum errorem et seditionem prolaberetur plurimaque contra deum et beatissimam virginem matrem ejus ac omnes sanctos indignissima committerentur, in divinissimum sacramentum blasphemaretur, ciboria, altaria, imagines, picture in ecclesiis essent confracta et contumeliose ejecta, calices, patene, cruces et alia clenodia de ecclesiis accepta et asportata, monachi et moniales spoliati et de monasteriis ejecti, nove secte et nova religio invecta, oratores et consiliarii nostri, et presertim Rev. dnus. epus. vladislaviensis contemptus et per seditionem indignissime habitus, proconsules, consules et alii officiales civitatis licentiosissime depositi et opprobriis affecti aliique in locum ipsorum indebite suffecti, burgrabius contra auctoritatem nostram exauctoratus et nove de illo constitutiones in derogationem

rogationem potestatis nostre facte, judicia nostra regia violata, furca et rota in foro extructa, contra privilegia et libertates civitatis orphanis et viduis census prohibiti, ut novi consules, qui in dominos census obligatos habent, solvere illos non tenerentur, insigniores cives nullo tempore securi essent, ecclesie parrochiales jurispatronatus nostri externis sacerdotibus sine scientia et consensu nostro collate fuissent et alia universa facinora perpetrari, visum fuit consiliariis nostris, qui preterita Quadragesima tam ex regno quam etiam ex terris Prussie hic apud nos fuerunt, ut ipsos cives gedanenses de his omnibus per literas nostras admoneremus. Scripsimus itaque illis benignissimis verbis, que de illis ad nos essent prolata, que propemodum fidem excedere videbantur, mandaviumsque illis, ut, si ea vera essent, primum omnium religionem sanctam catholicam ad eam observationem et ordinem, quem a majoribus suis per manus accepissent, et cum quo nobis subditi facti essent, in omnibus, que mutata, destructa, ablata et violata essent, restituerent, sacramentum eucharistie servari in ecclesiis, et monachos ac monachas ad monasteria, que majores nostri fundaverunt, et plebanos ad suas ecclesias, que nostri juris patronatus sunt, redire libere permittant, intrusosque quam primum ejicerent, quandoquidem, durante hoc errorum fundamento, nihil boni sperari possit in reliquis, deinde magistratum omnem indigne et indecenter depositum restituerent, constitutionesque, quas propria voluntate et seditiose confecerunt, abrogarent rotasque et patibula, indignissima carnificine insignia, e foro ejicerent seque in omnibus tam divinis quam humanis rebus et negotiis suis ad priscum et laudabilem morem et instituta, quibus aucta est civitas eorum, reducerent. Nam si ipsi id inter se facere non curarent, quod nos debitum ac officium christiani regis pretermittere non possemus, et proinde, ut ad omnia nobis per eundem tabellarium nostrum responderent. Quibus literis nostris ipsi cives hactenus nihil respondentes et, ut accepimus, multifariam de his rebus secum deliberantes, miserunt tandem ad nos eos nuntios, qui potissimi hujus totius tragedie auspices et antesignani perhibentur. Qui venientes huc multa dixerunt et scriptas apologias nobis dederunt, quibus pretextu quidem verborum omnem obedientiam, fidem et subjectionem testati, sensu tamen et re ipsa omnia pene confessi rationes adducebant, quibus ea commissa sua tueri et culpam diluere nituntur, prout vra. Ptas. ex ipsis eorum apologiis latius cognoscet, quarum tota summa est de concordia quadam inter ipsos mutua inita deque constitutionibus et ordinatione nova facta tam in religione, quam etiam in rebus civilibus juxta verbum dei, hoc denique palam testati, se ipsas constitutiones et ordinationem ad aras usque ad sanguinem et vitam deserere nolle. Nos scientes hec omnia tumultu populari et per oppressionem potiorum civium confecta esse, perpendentes ex una parte, ut res non nova sit heresis, semperque non solum ecclesie, sed etiam rebus publicis perniciosissima, ut non alie solum divine et humane leges, sed etiam nostra publica instituta doceant plane, quo pacto se reges et principes christiani in talibus eventibus gerere debeant, ut hactenus ubique arcetur et exploditur hec seditiosa disciplina et ubi ea pestis irrepsit, omnia divina et humana sub pretextu verbi dei confundat, et ipsi Gedanenses, contemptis edictis nostris, penam confiscationis bonorum omnium manifestissime inciderint, et ut nos in eo casu gerere conveniret, et presertim cum aliorum multorum oculi ad eam unam transactionem sint intenti MDXXV.

tenti

MDXXV. tenti ex eaque posse et utilitatem non vulgarem et honorem nobis incomparabilem provenire, si hoc malum ex illa civitate tolleretur, perniciosissimum vero exemplum si secus fieret et res leviter dimitteretur ad reliquas civitates Prussie et forte etiam ad intimiora permanaret, ex altera item parte considerantes, quanti momenti sit civitas ipsa, considerantes eorum obstinatam sententiam persistendi in eo errore, qui multorum animis infusus, difficillime eradicari posse videatur atque ita nobiscum rem expendentes, et utraque ex parte gravem et difficilem judicantes, presertim que vim et coactionem postulare videtur, si audacia seditiose plebis coerceri et malum inolitum eradicari, ut maxime opus est, deberet, retinendos ipsos nuncios et rem ad vram. Paternitatem et potiores alios consiliarios nostros deferendam necessarium duximus. Hortamurque illam, ut nobis quantocius suam sententiam perscribat, quo pacto nos in eo casu gerere et conservare debere censeat, nam hinc multa et bona futura dependent. Bene valeat Ptas. vra. Dat. Cracovie fer. II intra octavam assumptionis S. Marie.

LXXXVII. Joannes Zamboczki, Joanni Dantisco, Oratori etc.

Ex cod. mss. bibl. Korn.

Salutem. Si vales, bene est, nos hic, prout cuique fatale est, valemus. Magnum chaos est inter nos et vos, itaque minime mirum est, quod litere, quas ad te scribo aut pereunt, aut non perferuntur aut supprimuntur. Memini ego, me tibi aliquot epistolas misisse, prout et nunc mitto atque ita ut reliquum fasciculum a patre tuo ad me missum vicissimque a te — ut poste ex tam diverso orbe — satis crebro litere cum ad regem, tum ad ceteros mittuntur, ad me vero ne jota quidem preter quasdam, quas ego XXI Maji accepi, in quibus ex massa auri hispanici inclusa erat, pro quo, ut habui tibi jam aliis literis (si modo perlate sunt) gratias et presentibus habeo; utut tamen est, sive scribis, et littere mihi non redduntur, sive majoribus occupatus cessas, sive negligis, nihil refert, ego te nihilominus tamen amo, te suspicio, de te, crede mihi, dies noctesque cogito. Illud tamen me non modice perturbavit, quod hodie primum intellexi, tua consuetudine et familiaritate diutius mihi carendum esse, audio enim, te perpetuum oratorem istuc apud cesarem designatum esse atque de sumptibus necessariis tibi honorifice promissum. Si meorum duntaxat commodorum rationem haberem, mallem tecum hic vel unam frugi cenulam habere, sed cum tue laudi et dignitati faveo, eo equiori animo fero tui desiderium, quod sciam, eam conditionem, que tibi vel invito contigit, tibi et tuis decori et perpetuo ornamento futuram modo vita suppeditat. Nescio, quo fato vel infortunio sit, ut quotiescunque a rege litere ad te mittuntur, non prius mihi constat quam ea ipsa hora, cum jam tabellarius dimittitur atque ita multa scribendi tempus non conceditur, ut vel modo contigit, quod si mihi paucis ante horis scire licuisset, literas videlicet ad te mitti, nescio, si tibi gratificatus fuissem, certe Iliade nostrarum rerum te explevissem, nunc quia urgor ab his, qui literas mittendas curaturi sunt, cogor omnia relinquere, tuo forsitan commodo; verendum nam erat, ne tibi forsitan importuno obstrependo te occiderem. Illud scias, Sermum.

dnum.

dnum. regem nostrum atque ita et dynastas nostros ad retinendam et vindicandam veterem religionem eamque stabiliendam animum adjecisse, prohibetur severissimo edicto, ne Luteri libri legantur et profanis de fide ne hiscere liceat in alterutram partem, h. e. neque jam vituperare nec laudare, idque eo accuratius fit, quod Silesia tota jam pridem, Prussia vero et presertim Gedanum tuum doctrinam evangelii, ut ipsi dicunt, et nos errorem et sacrilegium, immo cymerias tenebras, profitetur et sequitur. Venerunt nuper hoc decenti comitatu Gedanenses tui. Princeps legationis eorum idemque proconsul magister Georgius Cimerman quidam, item Koenigk, ex fabro ferrario senator factus, conati sunt rerum a se gestarum rationem regi reddere, ejusque rei ore ejusdem magistri Georgii prefationem publice amplissimis verbis, sermone germanico, scripturas intermiscentes, fecerunt: Sed prius ea res in conclave rejecta est atque ita secreto duntaxat cum iis agitur. A me ista omnia celantur. Nescio quid rei est, admirabilis tela texitur, quam ego conjectura duntaxat perspicio. Minitatur acriter Gedanensibus, nisi resipiscant. Quid futurum sit, Deus novit. Dux Prussie per Silesiam volitat. Collegium varmiense magna contentione Braunsberg et Tolkmit a rege repetit; nam quamvis dnus. dux Prussie secundum pactum eisdem oppidis cesserit, tenentur tamen pro rege, eo quod ea episcopus ipse per injuriam suam perdiderat et de Prussia ad prius tantum.... **MDXXV.**

A Turcis et Tartaris nulla nobis nunc sollicitudo est, Turcus templum Jani hanc estatem totam occlusit, misit nunc Jbraym Bassam, cujus opera et autoritate, quamvis adolescentuli, precipue utitur ad orientes provincias, ut videlicet Egiptum Syriamque in novam ordinationem dirigeret, et priusquam idem Bassa redierit novum bellum illaturus, pacem habemus. Ita mihi nuncius ejus, qui apud regem ad contrahendam amicitiam missus erat, retulit.

Tartari inter se dissident. Quorum dissensione nihil nobis optabilius esse potest. Nepos ex fratre pepulit patruum e regno, rursus patruus vires colligit. Nepos ipse, Oslan Soltan nomine, is videlicet, qui superiori anno incursioni in nos facte prefuit, misit huc ad nos his diebus oratores suos, asserens se victorem. Scilicet cum ego coram objecissem, cum victor existat, ne Chersonesum, quam ipsi fossam vocant, declinat, et per solitudines cum juventis et mulieribus vagatur, illico obmutuit, et revera ita res se habet. Stativa in ulteriori ripa Borystenis e regione Jovane fixit, ille vero, qui victus dicitur, quemque triennio ante imperator Turcorum in paternum regnum miserat, in sua sede manet, atque ita in illa rerum varietate nos quiescimus.

Sed jam de externis non vacat scribere, urgeor enim; istud tamen volanti calamo adscribam. Nuper dnus. Jaroslaus de Lasko, palatinus siradiensis, fuit hic Cracovie et prefecturam marienburgensem a rege obtinuit, tandem regem venatum in Niepolomice cum regina proficiscente et ipse secutus est. Ibi — ut fieri solet — in nocturno symposio apud Severinum Boner, qui patruo in omnibus officiis successit, cum dno. Andrea Posnaniensi ad quandam contentionem devenit et crescente jurgio alter alterum ad duellum provocavit. Res acta est hic Cracovie in judicio magna contentione, sed deffinitio ejus in conventum piotrkoviensem, qui forsitan circiter Calendis Decembris haberi debet, rejecta est.

Ego tametsi decumanis fluctibus quatiar — de quo multa scribenda essent, — adhuc immotus maneo tamen ut rupes Marpesia, exercentibus me his, quos fortuna, cum ei jocari libuit, ex humili provexit et forte ex Gurgustio, a quibus ego tamen me amari existimabam, at ipsi invidebant,

MDXXV *videbant, quamvis nihil in me est, unde mihi invidere debeant, scilicet mala mens malus animus etc.*

Literas quas factori tuo miseras, curavi ad Colmensee tuam perferendas, corrodentur libri tui a blattis priusquam redibis.

Principes Moravie sunt hic: Dnus. Joannes de Bernstenji, qui hodie apud regem publice peroravit, Demosthenem tonantem diceres, dnus. item Dobyess Czernohorski, ea proceritate et forma, ut Achillem et Hectorem diceres. Vale, vale, vale. Nunquam tecum loquendo satiar, at tamen cessandum est. Dat. Cracovie XXV. Augusti.

LXXXVIII. Joannes Dantiscus, Orator, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. Korn. Rme. in Christo pater etc. Accepi hic literas Dtionis. vre. Rme. cum aliis regie et reginalis Mtis. literis Cracovie XIII[a] Junii datas X[a] mensis preteriti, que mihi adeo fuerunt grate, quod pre nimia animi letitia eas ex gaudio lacrimis prorumpentibus perlegi sepius, presertim cum me in hoc exilio consolatur et boni animi esse jubet, gratam asserens hic servitutem meam nostris esse principibus et me dilationes quascunque non timere debere, cum fide et solita mea diligentia res mihi commissas tractem, debitam me gratiam promeriturum, unde cum aliud non possim, Dtioni. vre. Rme., quas tenuitas mea potest, immortales habeo gratias. Deus opt. max. rursus omnia vota et cepta Dtionis. vre. Rme. prosperet et secundet illamque perpetuo gaudio afficiat.

Scribit mihi Dtio. vra. Rma., quod boni debeam consulere, quod rarius ad me dentur litere. Illas certe nunquam mihi tam ardenter efflagitabam, quam ipsis Sermorum. principum nostrorum negotiis, que interdum scientiam, quomodo res apud nos haberent, postulare videbantur, nam multa huc ex curia archiducis Austrie et aliunde scribebantur, que rebus nostris impedimenta ferebant. Hinc est, quod expeditio status barensis hactenus in moram est protracta. Omnia hic suspicionis sunt plena. Qualis quisque est, tales omnes retur esse alios. Hic profecto ambiguis passibus..... (fides erat) etsi hic est nusquam infirmior.

De negotio pruthenico coram ces. Mte. ac aliis ubi videbatur expedire, id egi, quod existimationi et dignitati regie conveniebat eoque libentius, quo hec res semper mihi cordi fuit, maxime idem egi in iis, que inducias cum Turcis confectas spectant, quas ego, ut fierent, semper ex animo precatus sum. Hic revera nullam adhuc in rem nostram spem video.

Quod hec mutatio de episcopatu posnaniensi apud nos sit facta me maximopere male habuit, nunquam ego id de Serma. mihi persuasissem et cum non habetur alia meritorum ratio, mihi etiam non parum spei ademit, que tamen in deum inprimis et demum in Dtionem. vram. Rmam. tota est reposita, fortassis ad meliora hec mora tendit, sed plerumque fit, quoties voluit fortuna jocari, dat interdum indignis, ut digniores ab iis dinoscantur.

Sepius sum questus Dtioni. vre. Rme., ut scribit, neque abs re, de provisione, que mihi nescio

scio quibus modis fit, quod semper ere aliena sum obnoxius, difficulter sine Mtis. regie hic haberi potest commissione. Superioribus diebus, si forte fortuna huc Wolff Haller, Fuggarorum factor, non applicuisset, cum quo antiqua mihi est consuetudo, quomodo me hic usque ad pecunias per dnum. Ludovicum, collegam meum, ex Neapoli missas sustinuissem, nullum sciebam modum. Ab eodem Haller trecentos ducatos V^a^ Maji accepi in mutuum, quemadmodum prius Dtioni. vre. Rme. scripsi, de iis statim centum evanuerunt, cum mulam pro L ducatos et vestes estivales pro totidem emissem, cum reliquis ducentis egre usque ad tertium diem Julii me continui, in quo mihi ex parte dni. Ludovici hic alii trecenti sunt numerati. Faciam quodcunque velim, tamen id cum honore Mtis. regie in hoc, quo fungor, munere efficere non possum, ut singulis computatis quolibet mense centum ducati non expendantur, sicut hoc deo duce calculi mei aliquando plane testabuntur. De iis trecentis, quos a dno. Ludovico accepi, usque in hanc diem vix mihi centum restant, cum quibus tamen usque ad finem istius mensis persistere possum, quod si interea nihil mihi mittetur, ire iterum in lacrimas, iterum tentare precando trapesitas cogar, donec dnus. Ludovicus mei miseretur cum LXX ducatis, quos reginalis Mtas. pro menstruo stipendio deputavit. Pro oratore, ut incepi, ad utriusque Mtis. decorem agere hic non possum, pro agente et factore cum una mula et tribus vel et quatuor servis emptis ab aliquo tabernario prandiis possem, cum autem Mtas. regia vult, ut etiam scribit Dtio. vra. Rma., quod hic sim non reliquis inferior orator, sicut sue regie dignitati et hic apud exteros excelse existimationi bene convenit et ut mihi debitus sue Mtis. nomine honor et locus concedatur, quodque habeam, cum ad curiam eundum est, comites et aliquos episcopos atque alios cesaris aulicos, qui me conducant, ut hic moris est, et antecedant vel sequantur, necessarium est, quod locum et mensam iis illecebris, ut tales capiantur, habeam accommodatam, quod hac menstrua impensa fieri nequit. Aliud est esse in urbe aut in Italia oratorem, aliud in aula cesaris et in Hispania, id enim jam ter sum expertus et nunquam minus singulis computatis, immo plus interdum centum ducat. per mensem a me expositum est, quemadmodum hoc rationibus ex thesauro Mtis. regie manifestum fieri potest. Velim nihilominus, si hoc cum decore Mtis. regie assequi daretur, quod decem sufficerent. Habuit olim Illma. dna. dux, mater reginalis Mtis., agentem seu factorem in aula cesaris Barchinone, cum ego etiam illic essem, Gotifredum Caraczolum, cui quolibet mense LXXX ducat. impendebat, qui nisi unam habuit mulam et tres aut quatuor servos; num ego hic pro tanti regis oratore cum sex aut septem equis ac decem famulis et nunquam sine hospitibus, qui etiam non vocati veniunt, LXX ducatis possum subsistere? Velim tamen certe, ut scripsi, quod possem citra Mtis. regie indignitatem, vel quod aliquis hic pro me ageret qui posset, et ego Dtioni. vre. Rme. ut consuevi, in cancellaria servire sorte mea contentus. Est bene verum, quod cum dnus. Dr. Bork mecum ageret in Valleoleti — hec civitas unica est in Hispania, in qua leviori impensa quam in aliis omnibus vivitur — tantum pro victu quotidiano non exponebatur, tamen quum ad accessoria itum est et ad ea, que spectant equos, famulos, utensilia, domus et plurima alia, que recensere longum esset neque sine molestia a Dtione. vra. Rma. legi possent, ad priorem numerum, hoc est centum ducat. semper fuit perventum. Post illius abitionem frequen-

 tabant

MDXXV. tabant me et mensam meam vel ii, qui antiquam consuetudinem et familiaritatem mecum renovabant vel alii, qui novas amicitias mecum inire studebant. Et, ut scripsi, hoc pro regio decore convenire mihi videbatur, ne solus in plateis, cum negotia agerem regia, ut securius aliquis obequitarem, quod ne infimus quidem orator, ne dicam agens, hic facit, quin habeat aliquos sue farine, qui in mulis cum committentur. Nemo est preterea de omnibus meis servis, ut scripsi dno. Dri. Bork etiam de iis, quos ex domo mecum adduxi, qui hic Polonis stipendiis mecum militare velint; quisque fere menstruos ducatos a me exposcit, quandoquidem omnia hic sunt cariora, quam apud nos, et que ad victum spectant in duplo cariora sunt, quam in Valleoleti et Madrilis fuerunt. Quod regestra mea aliquando testabuntur. Testabitur id etiam nuncius Pantaleon, qui mecum fuit usque in tertium mensem a dno. Ludovico ad me missus, cum ex Baro, ut spero, omnium rerum secum ferens expeditionem ad reginalem Mtem. perveniet. In estate preterita et in iis infernalibus, non caloribus, sed ardoribus in tribus diebus a dispensatore meo semper decem ducati exponebantur; ad presens vero ordinem feci in hoc autumno, in quo major rerum copia esse solet aliquibus equis venditis, quos in ea spe servaveram, credens quod in dies cum primis literis revocari debuissem, lucratusque sum unum diem; per dies enim quatuor decem ducati sufficiunt. Quod si diu durabit, nescitur. Postquam veniet rex Francie, redibit cesar, et soror regis cum legato et tot oratoribus applicabit et cum se huc omnium istorum regnorum primores conferrent, omnia in majus pretium excrescent; nempe sunt homines qui res suas estimare sciunt. Nihilominus dabitur omnibus modis a me opera, quod in istis futuris pompis inter reliquos oratores Sermi. regis mei dignitatem et estimationem, quemadmodum convenit, tueri possim etiamsi cum meo maximo damno in posterum fieri deberet. Habeoque eam firmam in Dtionem. vram. Rmam. fiduciam, ut mihi pollicetur, si recepero id a Fuggaris, quod necessitas et honor Mtis. regie postulabit, intercessuram ad eandem Mtem. Dtionem. vram. Rmam., quo necessarium meum debitum et justo ordine contractum dissolveretur. Et sicut effecit Dtio. vra. Rma., quod chirographus meus paulo ante a Georgio Hegel est redemptus, sic etiam, queso, dignetur efficere, quod item alter super alios trecentos ducatos etc. quinta die Maji redimatur, quo fidem hic servare possem. Scripsi prius Dtioni. vre. Rme.. quod centum ducatos, quos a Dre. Bork in mutuum accepi, converti in argentum, unde cum nuper ex literis Mtis. regie Cracovie XIII^{a} Marcii datis intellexissem, mihi diutius hic esse immorandum, ut aliis etiam oratoribus par viderer, accepi alios centum ab ipso amico meo singulari Wolff Haller, quos illi antequam ex aula cesaris divertam solvere promisi. Pro iis etiam argentum emi. Quando erit redeundum, et hoc debitum solvendum, rursus argentum hoc vendi potest et parum in eo in fabrica saltem amittetur. Hec igitur omnia tam diffuse in notitiam Dtionis. vre. Rme. perducere volui, ut quomodo omnia haberent atque etiam ipsum animum meum in omnibus cognosceret, porro nollem minimum de me male suspicionis locum relinquere, verum omnia ingenue et aperte pro fide mea tam in rebus mihi commissis, quam in singulis aliis me hic egisse videri, quod deo opt. max. duce nunquam a me secus videbitur.

De oratore cesaris, qui cum vellere aureo hinc fuit expeditus, quod nondum de eo quicquam

Dtio.

Dtio. vra. Rma. ut scribit, intelligerit, non parum miror causas, tamen more illius esse suspicor, quas Mti. regie descripsi. MDXXV.

De matrimonio vero reginule nostre, quod ille proponere debuit, post mortem ducis Friderici, Saxonie, nihil futurum certo credo, sic enim hec agebatur practica. Postquam marchio brandeburgensis Joachimus in electione desciverat a cesare, soror cesaris Catharina, quam nunc habet rex Portugalie, promissa filio Joachimi, marchionis, illi fuit adempta et iterum nepoti ducis Friderici ex fratre Joanne promissa cum ampla dote. Cum autem hoc promissum, nescio qua de re, servari non potuit et ista Catharina regi Portugalensi in conjugem fuit data, ut hujusmodi promissum rependeretur, cesar voluit apud Sermum. regem nostrum agere, ut nepoti ducis Friderici reginula nostra daretur, promittens de suo pro dote centum milia ducatorum. Ad presens autem, cum dux Fridericus est mortuus, suspicor etiam hec omnia una cum illo interiisse. Aliud his de rebus in meam notitiam non pervenit. Habet tamen alios reginula nostra procos, ut ducem Mediolani et marchionem Mantue, sicut de iis latius ex meis ad Mtem. regiam Dtio. vra. Rma. intelliget, habitura multo etiam his digniores, cum magistro Prussie, ut huc est perscriptum, non sit desponsata, quem rumorem hic quantum potui in nihilum redegi.

Gaudeo plurimum quemadmodum scribit Dtio. vra. Rma., quod tam verbose et inculte mee litere vel potius volumina non sint ingrate Mti. regie. Qua de re, quandocunque mihi dabitur tempus et occasio, non omittam istas omnium rerum ephemerides prosequi. Nec me labor iste gravabit, presertim cum hanc Mtis. regie voluntatem esse sciam, a qua me, dum spiritus hos reget artus et deus mihi intellectum dederit, nullus labor neque ulla difficultas sive grave etiam discrimen amovere poterit, quod sibi certo Dtio. vra. Rma. de me polliceatur, non frangam deo duce fidei tesseram. Quo fit, ut hoc exilium donec illius Mtas. voluerit non gravate feram.

Que in negotio barensi egi et quantum difficultatis, laboris atque indignitatis sustulerim, litere mee ad Mtem. regiam referent. Omnia tamen sic sunt transacta, quod spero nos deinceps istius status pacificam possessionem habituros, penitus, ut reor ... castro amisso. In hunc finem omnia acta sunt. Si fuisset melius ... custoditum, meum non de culpa disputare, nunquam factum fuisset ... sequestrum Ego tamen consulerem, si quicquam in me est consilii, quod ... status iste venderetur, nunquam carebit ... difficultatibus Sic iste vicerex inhiat; sunt etiam multi alii respectus, sed ista una ratio est potissima.

Optime fecit Dtio. vra. Rma., quod mihi epistolam ad nuncium pontificis Rmi. dni. Premisliensis et copiam de rebus pruthenicis quam etiam de induciis cum Turca confectis miserit. His enim et cesari satisfeci et plurimorum rabiem compescui, ut etiam decretationibus desuper cognosceret.

Gedanenses, quos cogor dicere conterraneos meos, nihil in malam rem morer. Utinam deus Mti. regie cum regni sui pimoribus eum daret animum, quo illorum pertinacia et fastus dignis et eisdem, ut meriti sunt, modis puniretur, quod suspicor commode posse fieri, si ex animo et bona fide dissidium hoc inter Mtem. regiam et magistrum seu ducem Prussie est compositum. Scripsit mihi etiam ex Antwerpia VIII[a] Julii preteriti cancellarius dni. magistri Klingenberk, qui hic in Hispania tanto tempore mecum habuit commercium, in

MDXXV. in hec verba: „quibus modis facta est concordia inter Mtem. regiam et inter magistrum „Prussie, dnum. meum, credo vos non ignorare. Deus faciat, quod ista concordia sit „stabilis et firma. Amen.“ Et hoc „Amen“ quemadmodum illum nosco, valde mihi est suspectum.

Dnus. archiepus. Lundensis, qui hic agit nomine regis Dacie extorris et mecum est continue in contubernio, retulit mihi antequam hec compositio facta esset, regem suum dixisse: „si nunc rex Polonie saperet et vellet cum magistro Prussie bellum renovare, nil haberet difficultatis desertusque est ab omnibus amicis et nemo ei credit amplius, actum esset de Prussia et omnibus fortunis ejus.“ Si omnia sic se habent, quemadmodum iste archiepus. de magistro loquitur, parum illi foret fidendum; sed meum non est in iis divinare, exitus acta probat etc. Magna spes fuit dno. magistro in fratre suo marchione Joanne, de quo scripsi, quibus modis aliquoties inter nos conventum fuit. Cum vero rex Francie captivus Hispanie applicuisset, cesar marchionem Valentiam, ubi regina conjunx ejus degebat, premisit, ut illic regem advenientem bene tractaret; unde bonus iste marchio, vel ut commissioni cesaris aut uxoris sue desideriis et mandatis satisfaceret in summis caloribus per postas Valentiam accelerabat. Quo cum pervenisset ac inprimis cesari in exceptione regis Gallie et deinde plus fortassis, quam tempori conveniebat, votis conjugis sue obsequens fuisset, in acutissimas febres incidit et condito testamento in illis V[a] die Julii animam exhalavit non sine plurimorum in aula dolore et multorum Hispanorum summo tedio. Certe, cum sic res inter Mtem. regiam et dnum. magistrum transacta est, summopere eum vivere cuperem. Fuit alias apud omnes generosus princeps et amice humanitatis plenus. Deus omnipotens dignetur illi eternam dare beatitudinem.

Rme. domine. Ea, que mihi in notis Dtio. vra. Rma. descripsit, ducem Mediolani a N pendere et quod illi quotannis sex milia ducatorum solvere sit solitus, dudum ante domino Ludovico etiam in notis significavi; nihil tamen hic sine illo fieri potest neque cum nobis; his presertim temporibus valde contrarium expertus sum; magis metuendum est ... (a vicerege) qui has nobis adversas machinas omnes struxit, neque ab iis desinet, placuit enim illi ... in eo statu fuit in persona et omnia bene conspexit adhuc. Mea sententia est, quam supra annotavi, salvo tamen meliori judicio, volo hac in re plus sapere quam oportet.

Quod Dtio. vra. Rma. de rebus meis et proventibus columbanis est sollicita, habeo illi quas possum immensas gratias. Scripsi igitur domino Dri. Bork, de quo ut viro probo et integro singularem concepi fiduciam, illumque rogavi, ut omnium rerum mearum curam haberet, quam ne gravate suscipiat Dtioni. vre. Rme. supplico, illum bonis modis inducere dignetur, nihil enim votis Dtionis. vre. Rme. negabit, sic cum illi auctoratum atque deditum certo scio.

Postremo scribit Dtio. vra. Rma. reginalem Mtem. me ad ecclesiam Dtionis. vre. Rme. cracoviensem nominasse, et licet sint alie etiam priores nominationes, dat tamen mihi spem Dtio. vra. Rma., meam etiam posse in effectum aliquando pervenire polliceturque mihi ea in re favorem et patrocinium suum. Negotium preterea N..., ubi se occasio offeret, recenti memoria conditum habere et se semper fortunis meis consulturam concludit. Explicare nequeo Rme. Dtioni., quantum hec gratia et propensio Dtionis. vre. Rme. erga me animum

animum meum tot curis confectum erexit et bone spei plenum effecerit, hocque nullis meis fit meritis, sed plus Dei clementia, qui jam a multis annis Dtionem. vram. Rmam. sic mihi facit propitiam. Illum igitur pro longeva incolumitate et felici omnium rerum successu Dtionis. vre. Rme. orare non desino. Cui me ut domino meo gratiosissimo humillime commendo. Datum Tolleti ad Tagum IV Septembris. MDXXV.

Rme. domine. Ea que de nova provisione scripsi, rogo Dtionem. vram. Rmam. non velit egre ferre, sed rem ipsam expendere et tandem regie et reginali Mti. relationem facere; ego enim, quia odiosa sunt talia, non ausi attingere, Dtio. vra. Rma. pro sua prudentia et gratia erga me omnia bene, ut recte confido, moderabitur. Addidi etiam his duplicatas, quas ex Madrilis et hinc ad Mtem. regiam scripsi, quod si prime reddite non sunt, saltem ex his diligentia mea cognoscatur.

LXXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Dantisco, Oratori.

Mgce. sincere nobis dilecte. Etsi pro debito muneris tibi injuncti crebris literis tuis de omnibus rebus, que ad nos spectare arbitraris, certiores nos facis nosque vicissim ad omnia tibi accurate respondimus et quid facto opus, quodque istic nomine nostro agendum sit, frequentibus literis nostris suggerimus, tamen, credimusque propter magnam locorum intercapedinem, qua disjungimur, litere serius quam oportet perveniunt, et ideo minus miramur, quod si quid istic non satis ex sententia nobis oboritur, aliunde quam ex tuis literis cognoscimus, prout modo nobis accidit. Intelleximus enim ex quorundam hominum certa relatione, quod cesarea Mtas. ducatum barensem viceregi Neapolitano donare constituit pro re bene gesta, quam in prelio, quod cum rege Gallorum nuper habitum est, navavit, nos vero quapia alia re pro eo ipso ducatu placatos vel contentos efficere. Tu bene scis, quod nos nihil aliud ab ipsa cesarea Mte. optamus, quam quod jure divino et humano nostrum est et proinde id ipsum venale non habemus. Quare si quid ejusmodi istic offeceris et deprehenderis, da operam, ut quam maxime poteris illud avertas et pro virili tua accurras, cesareamque Mtem. verbis nostris plurimum roges: ne in causa justissima nobis incommodari patiatur, neve nos ad dimittendum sub quibuscunque conditionibus et modis ducatum nostrum barensem in animum inducat, nam in ea re nullo modo desiderio et voluntati illius satisfacere possemus. Hec et cetera, que in rem nostram fore existimabis, solita tua diligentia curare studeas nosque de omnibus rebus per primum quemque tabellarium reddas certiores. Datum Cracovie V[a] Octobris. Cod. Korn.

XC. De societate aurei velleris suscepta.

MDXXV. Cod. Korn. Sigismundus etc. Manifestum facimus per presentes, quibus expedit universis. Quia die XXII Octobris in arce nostra regia cracoviensi et ecclesia cathedrali post missam solenniter decantatam, suscepimus ordinem et torquem, ex XXII particulis contextum cum insigni aurei velleris de manibus Illris. Caroli Philippi de Burgundia, Baronis in Bredam, et Loffergem, consiliarii, commissarii et oratoris Sermi. et Excellentissimi principis et domini, dni. Caroli V. Romanorum imperatoris augusti ac Hispaniarum regis Catholici, ipsius sacratissimi ordinis aurei velleris supremi et capitis, assistente illi Mgco. Joanne Fusii, caduceatore ejus Mtis. cesaree et ipsius ordinis marschalco, inibique de observando ordine juxta articulos per nos susceptos, de remittendo torquem ipsam post nostrum obitum eidem ordini, juramentum prestitimus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum est presentibus appensum.

XCI. Joannes Dantiscus, Orator, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. Korn. Serma. Mtas. etc. Post humillimam perpetue servitutis mee commendationem. Cum hinc nuncium, quem dnus. collega meus ex Neapoli huc ad me miserat X[a] Septembris preteriti expedivissem cum illo longo volumine, de omnibus Mti. vre. Serme. copiose scripsi et literas meas ad manus domini college mei transmisi, quas reor cum primis Mti. vre. Serme. deferri curavit. Ex iis omnia et que statum barensem ac istius temporis et curie historiam spectant intellexit. Ea que interea se obtulerunt, quantum per angustiam hanc scribendi licet, sic se habent.

Eger fuit plurimum Sermus. rex Francie acuta et quotidiana febri, ut etiam medici de salute illius desperarent, qua de re cesar ex Segovia versus Madrill ad visendum eum accelleravit, invenitque eum in lectu vix caput attolentem illumque humaniter salutavit et boni animi esse jussit, quodque nihil aliud quam salutem suam curaret adhortatus est, de reliquis negotiis bonam spem pollicitus. Ad ea rex dignas gratias habuit deo inprimis, quod cesari eam benignitatem indidisset et quod illum videre coram, quemadmodum id dudum desiderasset, licuisset, deinde cesari, quod cum invisere captivum suum dignatus fuisset, commendans illi, si moriretur, liberos suos, feruntur que simul una sine arbitris ad decursum unius hore fuisse. Et postquam ab eo cesar discessisset regem dixisse, ajunt, „pereant illi, qui inter nos dissidia ista fecerunt. Istene est juvenis tam deformis aut „monstrum et sine ingenio balbutiens?“ laudavitque summe ejus prudentiam et facundiam. Supervenit interea, morbo magis invalescente, domina dux de Alanson, soror regis, admissa ad illum per cesarem, que sua presentia non parum illius saluti profuit, nam cum rex in XXIV horis in extasi nihil fuisset loquutus et huc jam pro mortuo descriptus, illa, ut fertur, plurimum religiosa post missam ante regem habitam cum sacerdote, accepto

sacramento

sacramento corporis domini, genibus flexis monstrante hostiam sacerdote, regem ante lectum alacri vultu et voce sic dicitur fuisse alloquuta: „domine frater, recognosce deum et creatorem tuum.“ Ille suspiciens lacrimosis oculis, cum tanto tempore nihil fuisset loquutus, miraculose respondit: „cognosco et paratus sum et, licet indignus, peto mihi eum „dari“. Dataque fuit illi cum omni admiratione eucharistia, et ex eo tempore melius habere cepit jamque bene convaluit. MDXXV.

Cum rex in eo esset vite discrimine, subito se huc ad consultandum cesar contulit erantque hic aliquot diebus et noctibus etiam perpetua consilia. Eo enim mortuo omnia essent inversa fuissetque dubium, ubi se iste fluctus frangeret. Sed convalescente rege, rursus se inclinati animi erigebant. Venit interim huc penultima Septembris preteriti legatus pontificis, cardinalis de Salviatis. Ivit illi, vocatis ad se omnibus oratoribus, cesar obviam extra civitatis portam et cum in illo tumultu et pulvere, qui fuit densissimus legatum excepisset, deinde nos oratores sigillatim quemlibet digito demonstrando, cujus quisque principis esset, edocuit, illumque magno cum honore ad sinistrum latus obequitantem usque ad ecclesiam majorem conduxit et accepta benedictione illic relinquit, ubi diversorium paratum habuit.

Post illius ingressum tertia die dominum legatum accessi, qui me certe humaniter pro honore Mtis. vre. Serme. excepit extra cameram suam mihi obvius, in quam ingressi, feci ea ad illum verba, que et vra. et reginalis Mtas. mihi aliquoties prescripsit et que ad hoc tempus expedire videbantur, edoctusque a me, quomodo negotium status barensis haberet et reservationem castri barensis, admiratus est pollicebaturque operam suam, quemadmodum a sede apostolica illi foret commissum, opportuno tempore apud cesarem se tentaturum, ut si castrum hoc expugnare posset, quod in dies expecto; sed timeo, frustra scalas eum admoliturum, causis his obicibus, quas abunde novissimis meis literis Mti. vre. descripsi.

Appulerat huc etiam, rege melius habente, IIIª Octobris preteriti domina dux de Alenchon, cui cesar usque ad portam civitatis iverat obviam sine oratoribus illamque dextrum latus in progressu habentem usque ad domum illi paratam conduxit et cum illa usque fere in conclave, multo sermone utrinque habito, ingressus, osculo, more gallico, dimisit. Sequenti die primos de consiliariis suis pro illa misit, cumque in palatium venisset, iterum illi usque ad gradus processit obviam et iterum osculo excepit. Tandem in penetralia introgressi, paucis utrinque adhibitis, per aliquot horas inter eos tractatum est, ferturque, cesar has conditiones proposuisse: inprimis, ut rex Gallie tres milliones pro damno bellico persolveret et deinde se Romam cum eo ad coronationem conferret, restituta prius Burgundia et, pro majori istarum rerum firmamento, filio suo primogenito Delfino et successore pro obside dato, donec omnia perfecta essent. Dicuntur Galli unam millionem h. e. decem centena milia ducatorum et eam profectionem regis ad Urbem obtulisse, Burgundiam vero coram pontifice in decisionem juris deposuisse, obsidem autem quasi non necessarium omnino negasse. Post hos tractatus, quum quater domina dux soror regis apud cesarem fuisset, re infecta et in ulteriorem deliberationem accepta, discessum est nihilominus. Cesar dominam hanc hinc exeuntem, cum ipse venatum etiam iret, conductu extra civitatis portam persequebatur. Illaque adhuc in Madrill apud fratrem agit, misso celeri ad

MDXXV. ad matrem ac parlamentum in Franciam de iis rebus tabellario. Adhuc quid sperandum sit, incertum est.

Habentur hic mirabiles tractatus. Propositum est hic ex Brabantia preter ista conjugia, de quibus in novissimis scripsi, quod regi Francie dna. Margaretha, major cesaris amita, jungeretur et quod illa nomine cesaris existens regina Francie preesset Burgundie. Si non procrearent liberos, parum referret, quum illorum rex Francie jam satis haberet; et quod Delfinio Francie filia regis Portugalie et Leonore, sororis cesaris, daretur in conjugem, quo omnia pacta certius firmarentur. Multi multa proponunt. Quid subsequetur exitus docebit. Parum adhuc temporis ad induciarum expirationem, h. e. ad primum Januarii diem restat. Quod si nihil interea concludetur, nescio quomodo ab utraque parte ulterius, nervo utrinque deficiente, erit belligerendum, presertim rege in captivitate existente, qui omnibus modis cupit liberari, ferturque cesar illi dixisse, cum boni animi eum esse juberet, quod sic eum velit tractare, quemadmodum ipse vellet tractari si apud illum in similem fortunam incidisset, verumtamen intelligo, bonum hunc regem non nisi valde gravate hanc captivitatem ferre, spem licet vultu simulet, qui intimo dolore non caret.

Agente hic domina duce de Alenchon libenter me illa vidisset et ego illam vicissim, sed ne qua suspicio de utrisque fieret, consulto cavimus; fuit tamen apud me Venceslaus Zaremba, qui illi servit, relictus a Mgco. palatino Siradiensi. Ille me excusavit et mihi rursus ab ea retulit, quod si per Gallias aliquando redirem, me omnino ad aulam conferrem, habituram se aliqua verba mecum de iis rebus, quas illic dnus. palatinus Siradiensis egerat. Quod pollicitus sum. Ego illi rursus significavi, quomodo Serma. Mtas. vra. literis suis injunxisset, postquam huc legatus pontificis et Sermi. Ungarie regis orator applicuissent, quod pariter cum illis ad hanc pacem conficiendam omnes conatus impenderem, et licet orator Ungarus Rome remanens huc non venisset, ego tamen mandatis Mtis. vre. Serme. insistens cesarem nomine Mtis. vre. modis omnibus ad concordiam ineundam cum rege Christianissimo adhortatus fuissem, exponendo difficultates et discrimina, in quibus hoc potissimum tempore respublica christiana versaretur, et quod cesar Mti. vre. Serme. de hac fraterna adhortatione gratias habuisset et se pacem cupere summopere asseruisset, pollicitus, se omnem daturum operam, quo universalis aliquando expeditio conficeretur que omnia egissem nomine Mtis. vre. Serme. cum cesare. Fuit domine duci hec sollicitudo, quam ad hanc pacem gerit Mtas. vra., plurimum grata, postulavitque a me ubi se occasio offerret modis omnibus huic Mtis. vre. Serme. sancto desiderio me accommodarem. Quod post cesarem apud dominum magnum cancellarium aliquoties egi et illi desuper literas et mandata Mtis. vre. Serme. ostendi, qui mihi respondit: nimium tardi et segnes in agendo sumus, timeo, ne flagellum dei ex hac sonnolentia nos excitabit; res certe omnis, quantum ego conjectura consequi possum, in moram ducitur. Quid ex ea deus futurum esse voluerit, cum magno fortassis detrimento aliquando facient periculum.

Firmatum est decima mensis preteriti conjugium inter cesarem et regis Portugalie sororem, magna vi, ut fertur, auri, unde nunc fama est, quod in fine istius mensis cesar in Sivilia, que Hispalis dicitur, constitui debeat pro istius matrimonii consummatione. Illac cesarem omnes sequemur, iterum novi sumptus erunt necessarii et ego adhuc sicuti reginali Mti. scripsi

scripsi, nullam a dno. Ludovico accepi provisionem preter trecentos ducatos, quos hic tertia die Julii preteriti accepi, durabantque usque ad mensis Septembris decursum, unde hic rursus per datos fidejussores ducentos ducatos in mutuum accepi, ut collega meus, dnus. Ludovicus, illos Neapoli persolveret. Quod si non fiet, ego depactabor. Eo modo hic hactenus vixi et nisi factores dominorum Fuggarorum, nullam a vra. regia aut reginali Mte. habentes commissionem, mihi affuissent, dudum hic cum ignominia et rerum mearum jactura discedere coactus fuissem. Nihilominus mihi interdicitur, ne deinceps quicquam a Fuggaris in mutuum accipiam, cum etiam mihi aliunde nihil mittitur, unde erit vivendum, et presertim, si is hic esse debeo, ut fui hactenus Serme. Mtis. vre. orator. Potest mihi tuto Mtas. vra. Serma. credere, quod nullum hic mihi promercale aurum est, nec erit in reditu. Quo circa iterum mihi ad Fuggaros confugiendum erit, qui ad honorem Serme. Mtis. vre. me nunquam deseruerunt. MDXXV.

Hodie, que est dies omnium Sanctorum et natalis meus, quum apud cesarem cum oratoribus aliis essem antequam iret ad missam, vocato me et magno cancellario. Per illum mihi referri jussit, quomodo dominus Jacobus Fugger, sue Mtis. consiliarius fidelis dilectus, multa bona in auro, cupra et aliis rebus circa fodinas montium in Ungaria habuisset, que omnia illi per quandam juris apparentiam vi fuissent in Ungaria ablata contra omnem equitatem et veram juris formam. Qua de re cum dnus. Jacobus Fugger de Mte. sua multifariam esset bene meritus indignumque foret, quod eo pacto per vim illius bona diripi deberent, sua Mtas. Sermo. Ungarie regi et Ferdinando, archiduci fratri suo, omnibusque in conventu imperii principibus scripsisset, ad hoc animum intenderent, ut domino Fuggero bona illius omnimode restituerentur. Et cum sua Mtas. de prudentia ac equitate Mtis. vre. Serme. plurimum confideret illamque ut apud Sermum. Ungarie regem et illius regni consiliarios magnam autoritatem habere sciret, mihi hoc idem negotium, qui hic Serme. Mtis. vre. nomine agerem, injungere decrevit, hortareturque me, ut hoc dni. Fuggeri negotium nomine sue ces. Mtis. magna cum diligentia Mti. vre. Serme. commendarem rogaremque, ut intuitu sue ces. Mtis. ac etiam, quia id ipsa equitas expostularet Mtas. vra. Serma. illi apud Sermum. Ungarie regem nepotem suum et apud illos consiliarios adesse velit, quo bona sua recuperare posset et hanc sue ces. Mtis. commendationem sibi plurimum profuisse sentiret, quod sua Mtas. omnibus studiis et fraternis officiis Mti. vre Serme. rependere et semper referre vellet. Meque ea in re singulariter germanice sua Mtas. est alloquuta his verbis: „thut das Beste." Qua propter, Serme. rex, cum hoc negotium ces. Mti. sic cure et cordi esse intelligo et quod etiam dnus. Jacobus Fugger aliquoties Mti. vre. Serme. libenter inservivit et ego in servitio Serme. Mtis. vre. ab eo non parvam benivolentiam expertus sum, humillime Mti. vre. Serme. supplico, ut Mtas. ces. aliquid ea in re Mtem. vram. fecisse cognoscat: dignetur huic bono viro, sic bonis suis spoliato, ubi id opportunum cognoverit, ope et intercessione sua adesse. Rem Mti. ces. profecto gratissimam et illi summe necessariam et qua illum perpetuo sibi devinciet factura, et ut hic dicere possem, Mtem. vram. Sermam. libenter semper re ipsa Mti. ces. gratificari solere. Hec quemadmodum mihi a Mte. ces. scribenda sunt commissa in notitiam Mtis. vre. Serme. deducenda existimavi.

 Essent

MDXXV. Essent plurima alia scribenda, sed cum hec posta hac nocte hinc proficiscitur in compendium omnia conferre cogor aliquando de iis longiore volumine scripturus, quando tragedia, quorsum adhuc tendet, sciri poterit.

Regis Anglie oratores adhuc hic sunt, sed male contenti sicut fere omnes alii. Evanuit hoc matrimonium, quod cum filia regis eorum fuit contractum. Dicitur, quod inter Anglos et Gallos triennales facte sint inducie et quod inter istam desertam et Delfini Francie conjugium tractetur. Quicquid erit, nihil boni hinc futurum esse suspicor.

Hic adhuc ea rerum penuria, qua prius semper, laboratur, a duobus annis hic plurimis stipendium non esse solutum, et credo, quod illa penuria hoc confecit matrimonium.

Alia de levioribus, que hic aguntur, temporis angustia et quod jam a me postulantur litere, scribere vetat. Commendo me humillime Mti. vre. Serme., ut dno. meo clementissimo et rogo cum aliud certe his gravibus expensis dignum hic agendum non restat, me ex hoc exilio clementer cum primis revocare dignetur meique reditus propitiam rationem habeat. Et quo itinere redire debeam demandet. Dat. Toleti ad Tagum I Novembris.

XCII. Joannes Dantiscus, Orator, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. Korn. Rme. in Christo. pater etc. Vix mihi tantum suppetebat temporis, ut has saltem Dtioni. vre. Rme. exararem, ea solum de causa, ne a solita mea erga Rmam. Dtionem. vram. observantia destitisse viderer. Que hic aguntur ex literis ad Mtem. regiam intelliget. Rogo summopere dno. Jacobo Fuggero, cujus beneficio a collega meo destitutus hic vivo, in rebus suis adesse velit, sicut per me cesar Mti. regie significavit. Omisi in literis ad Mtem. regiam, quod dux Borbonensis ex Italia salvus et incolumis huc in Hispanias trajecit et brevi huc ad cesarem est venturus. Alia non restant propter hanc scribendi angustiam. Commendo me suppliciter Rme. Dtioni. vre. ut dno. meo clementissimo et rogo, si frater meus Georgius alicubi in curia vagatur, dignetur eum pro me suo servitio ascribere et, si est possibile, efficere, ut quantocius redire possim, jam hac Hispana aura usque ad nauseam sum satiatus et timeo, ne propter tot expensas, apud nostros insolitas, concepto hic dolore et tedio a principibus nostris indignationem mihi pariam. Certe aliter hic vivere non possum quam, ut diffuse Dtioni. vre. Rme. scripsi X^a mensis preteriti. Rmo. dno. meo Premisliensi omnia fausta precor. Ex Toleto I Novembris.

XCIII. Jo. Antonius Pulleo, Baro Burgi, Nuncius apostolicus in Ungaria, Sigismundo, Regi Polonie.

Serma. ac sacra regia Mtas. His superioribus diebus commiserat et mandaverat mihi Sctissimus dnus. noster, ut nomine sue Sctis. Mti. vre. aliqua exponerem, que ego commodius fore putaveram coram ea Mti. vre. referre, si per Mtem. vram. licuisset, vel potius per negligentiam nostram, conventum indictum celebrari; nunc vero, cum mihi omnis spes prorsus sit adempta conventus illius, cogor ea Mti. vre. perscribere. Intellexerat Sctas. sua pacem inter Mtem. vram. et magnum Prussie magistrum initam ac omnes causas et rationes, que ad pacem ineundam iis conditionibus Mtem. vram. moverunt, que cause omnes luculentissime mihi per dominum Premisliensem ex mandato Mtis. vre. fuerant perscripte, ad quas, etsi non minus justis et persuasioribus rationibus posset ex altera parte responderi, tamen, quia Mtas. vra. eas judicavit sibi ac regno suo necessarias, et cum adhuc causas, que magistrum moverunt, sua Sctas. non intelligat, nihil ad presens ad causas illas sua Sctas. judicat esse dicendum, cum sibi persuasum sit maxime multis et variis documentis, a tam prudentissimo et christianissimo principe nihil potuisse attentari, quod sanctitatem et prudentiam non saperet. Speratque Sctas. sua, fore ut illa provincia heresi nefaria infecta posteaquam in ditionem et obedientiam Mtis. vestre. venerit, sua prudentia et severitate in pristinum dei cultum redacta erit. De qua re tanto majorem spem sua Sctas. concepit, quanto Mtas. vra. literis suis sua sponte innuit, se esse prestiturum, ad quod in dno. Sctas. sua hortatur paterne Mtem. vram. — Ad pietatem et gloriam Mtis. vre. accedit etiam hic non parvus cumulus futurus laudum Mtis. vre. Dicerem hec longioribus verbis, nisi scirem id esse Mtis. vre. ingenium in rebus fidei defendendis, quod soleat cogitationes sue Sctis. sepius prevenire, ne dicam, petitiones et adhortationes. MDXXV. Cod. bibl. Ossolinianae.

Cupiebat Sanctitas sua etiam, ut instantissime agerem cum Mte. vra. de ordine huic Ungarie regno omnino perituro ponendo, aliquasque vias ad id perficiendum, ut Mti. vre. declararem et Mti. vre. omnibus viribus meis inservirem, quod certe eo libentius fuissem facturus presens, quo melius conceptus animorum dicuntur, quam scribuntur. Nunc vero cum in dies velocissime ad ruinam regnum hoc currat, quid aliud possum dicere Mti. vre. quam cum eadem plorare calamitates totius christiane reipublice ruentis. In ea tempora incidimus, ut nulla ex parte aliquem locum invenire possimus, ubi vel seditiones intestine, vel crudelissimorum hostium arma, vel nefarie hereses non debacchantur, que res etsi singule per se satis superque sint ad regnum unum destruendum, nescio, si dei ira, quam scelera nostra in nos provocant, vel aliqua alia occulta dei providentia et causa effectum est, ut omnes tres in hac provincia et crescant et ita firmissimis radicibus in dies propagentur, quod non facillimum videtur inde extirpari posse a valentissimis et diligentissimis quibuscunque cultoribus; quid sperandum sit a negligentibus, Mtas. vra. considerare potest. Ordines dominorum inter se divisi sunt. Sunt etiam et nobiles a dominis divisi. Mtas.

regia

MDXXV. regia trahitur ad vota quorumcunque, propter quas divisiones fiunt quotidie conventus injussu regio, fiunt etiam et conventicula, que etsi speciem medicine pre se ferunt, abscondunt tamen crudelissimum venenum, et cum ad eum finem dicant tendere, ut autoritatem regiam tueantur, Mtem. regiam ad id adducunt, ut apud omnes nullius, vel admodum parve sit existimationis et autoritatis. Cogitur Mtas. sua conventibus ac conventiculis et confederationibus, absque scitu Mtis. sue factis, postea inhonestissimis conditionibus consentire. Que res facit, ut dum unis Mtas. sua consensum prestet, alteris seminarium paret et det initium et fomentum, et in tantum hoc ordine processimus, quod verendum est, ne aliquando aliquis talis conventus hujusmodi seditiosorum hominum fiat, ut tota autoritas Mtis. regie aperto Marte pereat.

Heresis quantum in Slesia, Moravia et Bohemia vigeat, quid opus est dicere? quum Mtas. vra. et prius ista quam nos audiat et etiam propter vicinitatem sentiat. Sed hec antiqua est querimonia. Hic vero in Ungaria nulla est civitas, que Germanis vicina sit, que vel in cordibus hominum secreto, vel in concionibus publice non det huic secte fomentum. Sed ut reliqua taceam, in civitate regia Budensi quantum hec labes vigeat vel fassiones unius, qui morte damnatus est, liquido possunt ostendere. In quibus fassionibus tot cives vocantur et citantur, ut fuerit his dominis consultius visum, ut supprimerentur potius quam in lucem venirent, verentes, ut ajunt, ne civitas ditissimis civibus privata, in oppidum evaderet. Sed quid de civitate ego loquor? utinam altius et propius hoc malum non serperet. Nihil ego tacerem, si presens essem, nihil foret Mti. vre. occultum, nunc vero non sunt literis omnia committenda. Quam potens sit hostis communis, stultissimum esset Mti. vre. recensere, quum Mtas. vra. ejus vires non sine maxima sui regni jactura tot annos inter tot alia bella sola sua prudentia et fortitudine sustinuerit et sepius ita deo dante fregerit, sed quam nos sumus invalidi ad tantum hostem sustinendum, quam imparati quamque negligentes, pauca dicam. A Croatia incipiens usque ad Moldaviam, per quas terras, confinia hujus regni fere omnia cum inimicis protenduntur, ab uno mari scilicet usque ad aliud fere nullus est locus ita munitus, ad quem vel astu, vel armis inimici facillime penetrare non possint. Ad hec accedunt animi populorum per negligentiam nostram et importunam et acerbissimam dominorum exactionem ita exasperati, ut incipiant de rebus suis cogitare et quovis damno servitutem mutare, potius quam hec pati. Auditur, omnes Croatas unitos esse et accepturos esse propediem conditiones quamvis iniquas a Turcarum tiranno oblatas, idque non secreto sed aperte indicant per proprios oratores Mti. regie. Quid credit Mtas. vra., quid sint facturi alii, quum se videant in simili necessitate constitutos ad exemplum Croatarum? Et quis populus est in Ungaria, qui in eadem navi cum Croatis naufragium non faciat quotidie? Certe admodum pauci. Post Croatas sunt Sclavi, qui divisi sunt in multas partes, neque tantum potuimus aut voluimus posse, ut eis opportunum et non contemnendum Banum daremus, et dum de Bano Sclavis dando nos hic disputamus, interea ibi proventus regni dissipantur et Sclavoniam amittimus. Post hanc veniet Jaycza, proh dolor! Jaycza, tot sudoribus antiquorum nostrorum a manibus hostium per vim et virtutem ablata, munitissima civitas, per quam solam esset nobis spes aliquando totum Bossne regnum recuperandum, in tantam calamitatem devenit, ut

ut careat omni commeatu, et multi sunt dies, quod panem non commederint et mox timendum est, ne per famem ad manus hostium deveniat. Habemus inde Varadinum Petri, quod oppidum virtute domini Colocensis, nunquam satis laudati viri, huc usque sustinemus. Sed nunc, quum sint gentes omnium dominorum et comitatuum inde revocate et Colocensis cogitet ad Mtem. regiam propediem redire, quo in periculo relinquetur castrum illud, relinquo ut Mtas. vra. cogitet. Themeswar est postea, cui prefecimus duos comites certe bonos et strenuos, si possent gentes suas alere. MDXXV.

De Transalpina Moldavia et Transilvania, quo in statu sint, nihil attinet dicere. Sunt Mti. vre. vicine et inde veriorem poterit a suis habere relationem. Hec omnia et his etiam pejora mala eo consilio visum est sue Scti. quod potuissent provideri et caveri, ut in primis proventus regii in certum ordinem redigerentur, iique bonis hominibus darentur in arendam, ac omnibus capitaneis, qui fines tuentur, certa stipendia sua assignarentur apud eos mercatores, qui proventus regios arrendarent, quod quisque sciret deputationem suam, sumptus a Mte. regia reformarentur atque in certum ordinem reducerentur. Caveretturque etiam gravissimis censuris, ut quilibet integras gentes, pro quibus ei solutum est in finibus, quos tuetur, detineret, quilibet ex aulicis Mti. sue serviret iis equis et armis, ad que se Mti. sue astringit, unus thesaurarius constitueretur, qui probitate vite et moribus ac integritate esset Mti. regie probatissimus. Cancellarium speramus bonum fore Brodericum, pro quo Mtas. vra. et Sanctitas sua intercesserunt et intercedunt apud hanc Mtem. et apud dominum Strigoniensem, et ab ambobus mihi jam promissum est et spero, quod propediem promulgabitur Brodericus cancellarius, si fides erit, apud quos esse debet. De palatino moderno bene Sctas. sua sperat. Est enim sue Scti. cognitus Rome in legatione, quam habuit apud illam sedem, qui et literis et verbis multa Scti. sue pollicetur. Si interponeretur autoritas Mtis. vre. cum auctoritate Sctmi. dni. nostri, nec non et subsidio et auxilio, posset aliquis ordo constitui, qui foret non solum huic regno utilis futurus, sed regno Mtis. vre. et toti christiane reipublice. Hec omnia diffusius et subtilius fuissem Mti. vre. dicturus, ac aperuissem Mti. vre. autores scelerum et rapinarum, destructores autoritatis regie, remedia ad singula opportuna, que essent regi profutura, sine aliorum dolore et displicentia, que non potuissent adhiberi, quin alios offenderent, nihil enim reliquissem intactum, que etsi non tuto, non commode per literas significari possunt, volui Mti. vre. hec ex multis dixisse, ut si Mti. vre. placuerit, quum suos oratores huc destinaverit, precipiat eis, ut mecum communicent Mtis. vre. super his rebus consilium. Ego etiam eis dni. mei consilia aperiam et paribus ac mutuis consiliis, postquam Mti. vre non visum est convenire, aggrediamur rem, forsan deus dabit, ut auspiciis Sctmi. dni. nostri, et Mtis. vre. aliquid boni poterimus facere. Nec Mtas. vra. relinquat dare in mandatis de rebus bohemicis, slesiticis et moravicis, pro qua re Sctas. sua summopere rogat Mtem. vram.

Pax inter Sermum. Anglie regem et regnum Francie effecta est perpetua. Rex Gallie captivus, infirmus fuit his superioribus diebus ad mortem et rumor fuit, mortuum fuisse, postea intellectum est, ipsum jam convalescere.

Dux Borbonie ex Italia solverat Hispaniam versus. Sctmus. dnus. noster sperat bonam concordiam et pacem, etsi hec nova confederatio videatur nonnihil impedimenti huic rei

MDXXV. rei esse allatura, sed tamen, quum he litere date sunt, nihil certi habebatur. Litere date sunt XV die Octobris. Et me meaque servitia vre. Mti. commendo. Bude VII Novembris.

XCIV. Joannes Zamboczki, Aulicus regius, Petro de Tomice, Epo. Cracoviensi et Regni Polonie Vicecancellario.

Ex cod. mss. bibl. Korn

Rme. dne., domine gratiosissime. Post solitam vetustamque perpetue servitutis mee commendationem. Reddite mihi sunt litere Rme. Dtionis. vre., quibus inter cetera virtutis, humanitatis, clementie atque precipui et singularis in me favoris sui argumenta mirari se scribit, quod ei de detractione stipendii mei, priusquam hinc discessit, nihil dixerim. Ego quidem et jam pridem sepius coram clara et aperta voce confitebar et nunc, quod factum non fuerit; ingemisco: Rmam. Dtionem. vram. propter ejus eximias et innumeras virtutes ea esse autoritate, potentia, sapientia et gratia, ut nutu suo duntaxat et umbra suosquosque dignos presertim ad amplissimos honores evehere posset, ne dum me abjectum et humilem homunculum in assequendo justissimo stipendiolo meo juvare. Quod autem de detracto stipendio nihil dixi, duplex causa fuit, una, quod Rmam. Dtionem. vram. sanctioribus curis districtam querelis meis interturbare nefas ducebam, altera, quod casus meos adversos, quibus per totum fere tempus vite mee concutior, me solum exavelare satius existimavi, quam queritando aliquem eis admiscere. Quantum vero mihi detractum sit, nescio (neque enim a domino thesaurario magnis precibus id impetrare potui, ut me de ea re certiorem redderet) illud scio, quod aliis omnibus in singula capita per XX flor. numeratum est, mihi cum maximo dedecore et damno meo duntaxat per X. Proficiscor tamen nihilominus Petricoviam utut possum, quo quum Rma. Dtio. vra. felix salvaque pervenerit et audire dignabitur, faciam eam de causis, quas suspicor, coram certiorem. Nunc interim, prout hoc etiam in literis suis me commonefecit, feram id quod accidit eo animo, qualem mihi deus concesserit. Existimo tamen invidiam, qua premor, magna ex parte jam esse satiatam, cum et veteri hospitio pulsus sum et stipendium, quo egestatem meam sustinebam, diminutum mihi est, restat, ut me in aliquem locum abdam (quod etiam facere dudum constitueram) ubi inglorius reliquum evi transigam, modo id cum dignitate mihi assequi liceret. Non tam Juno Herculi inclemens fuit in injungendis laboribus et erumnis, quam mihi isti ipsi, quos ego nunquam ne in minima quidem re offendi. Sed satis ploratum. Cracovie tertia hora noctis, cras enim sub luce profecturus sum, dominico die XXVII Novembris.

XCV.

XCV. Cricius Tomicio hanc chartam misit.

Rme. mi domine. Accepi nunc literas ex Lipowiecz et a baccalariolo et Mathiszek, a quibus lacrimabiliter petor, ut intercedam ad Rmam. Dtionem. vram. pro illius eliberatione, vel saltem mitiori sessione quam ea, ubi frigore et fetore non potest, ut mihi bene constat, citra discrimen vite diu sederi. Mi Rme. dne. Non dubito, vram. Dtionem. ut in aliis omnibus rebus solet, ita in hac quoque servi sui castigatione nihil perperam agere, verum ut ille meritus est; exigit benignitas vre. Rme. Dtionis. et illius adolescentia, ut illius misereatur, supplicoque humiliter eidem Rme. Dtioni. vre., mandari faciat, vel illum dimitti ex sua clementia, vel saltem, si hoc non meretur, ut pena illius sit hac mea intercessione lenior. Valde enim illum dure et inhumaniter tractat dnus. Dluski, et ego carcerem illum probe novi esse periculosissimum. Mi Rme. Domine. Has meas preces rogo et benigne suscipere et exaudire dignetur tanquam dominus meus gratiosissimus. MDXXV. Cod. Korn.

XCVI. Sigismundus, Rex Polonie, Ferdinando, Infanti Hispaniarum et Archiduci Austrie.

Serme. princeps. Literas vre. Sertis., quibus gratulatur nobis de nostra electione ad societatem aurei velleris, quam nos eo alacriori animo suscepimus, quo nobis nihil magis in votis est, quam ut eam amicitiam et necessitudinem, que mutuo nobis intercedit, conjunctiores reddamus. Et proinde magnas habemus et agimus gratias vre. Serti. de hac congratulatione ex ipsa susceptione nostra in eandem societatem aurei velleris, pro qua conservanda et augenda arctiusque retinenda quicquid prestare poterimus, id quam libentissime pro virili nostra faciemus. Commendamus nos ex animo vre. Serti. que valeat felicissime nosque diligat. Cod. R.

XCVII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis terrarum Prussie.

Accepimus literas vras. ex conventu generali Elbingensi a vobis ad nos scriptas, quibus sententie nostre diffinitive, quam contra emporium thorunense pronuntiavimus, mentionem facitis, petentes, ut, habita ratione temporum nunc ubique tumultuantium eam ipsam sententiam lenire, moderari, vel in aliquam commodiorem utilitatem (ita enim scribitis) restituere velimus. Nos quidem voluissemus, ut vos quoque (ita ut jusseramus) eidem sententie ferende affuissetis; quod tamen cum factum non sit, non erat conveniens nos Cod. Korn. R.

 ordinum

MDXXV. ordinum omnium regni nostri preces et juxta vetera privilegia et consuetudinem antiquitus observatam justas querelas ulterius obaudire, qui nos jam pridem incessanter urgebant supplicantes et vociferantes, ut eis tandem liberam navigationem usque ad mare patefaceremus. Itaque non inconsulto neque temere, sed diligenti pertractione et consultatione cum omnibus regni nostri consiliariis terrarumque omnium nunciis ad eam ipsam sententiam publice ferendam processimus. Quam cum certe satis deliberate tulerimus, non esset gravitatis, sed neque dignitatis nostre eam retractare; lenire vero eam (ut scribitis) vel moderari nescimus, quanam ratione id fieri posset. Quod si denique aliqua probabili ratione permoti tentare vellemus, tamen nisi in generali regni nostri conventu nos id facere minime congrueret. Quantum vero ad ipsos Thorunenses attinet, experti sunt ipsi et antea pluries et modo ad extremum in ipso cracoviensi conventu peculiarem gratiam nostram, de qua nec in futura tempora animos despondere debent, quandoquidem cum omni subditorum nostrorum, tum vero singulariter civitatis thorunensis commodorum licitam rationem habere semper propensi sumus. Et cupimus vos bene valere.

XCVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Consulatui Elbingensi.

Cod. Korn. Famati fideles dilecti. Nuper nomine famatorum Jacobi Alexwangen. et Michaelis Brachwagen, concivium et consulum vestrorum, delatum erat ad nos, quomodo famatus Bartholomeus Voit, dum ab eo per consulatum elbingensem theloneum noviter a nobis institutum exigeretur, idem ipse Bartholomeus, quominus theloneum solveret, miris tergiversationibus uteretur, tandem dictos Jacobum et Michaelem, quasi ipsi, dum nomine reipublice elbingensis in conventu terre Prussie legatione fungerentur, ejusdem novi thelonei auctores essent, probrosis et contumeliosis verbis affecerit idque frequenti senatu vestro. Sed is ipse Bartholomeus his diebus venit huc ad nos longeque aliter per libellum suum nobis oblatum rem omnem recensuit, quin comminationem omnem in dictos Jacobum et Michaelem retorsit, asserens, se ab eis senatu motum indignumque reputari, qui in senatu consederet, Michaelem vero ipsum vite et fame sue minitari. Nobis tota hec contentio et causa vehementer displicet, mallemus enim cum omnes subditos nostros, tum etiam vos concorditer vivere. Sed cum res eo devenerit, ut sine judiciali cognitione determinari non possit, nos vero preterquam quod de positione ejus cause non adeo plene edocti simus, etiam maximis et difficillimis Reipublice curis distringamur, eidem contentioni dirimende, presertim tam procul agentes, intendere non potuimus, quin de toto ipso negotio ad vos referamus et eo magis, quod res et disceptatio ipsa coram vobis et conspectu omnium vestrum acta esse perhibetur. Ideo vobis committimus mandantes, ut tempore et die competenti nec etiam negotio in longum protracto, ne mora ipsa alterutri partium nocumento sit, accersitis ad presentiam vestram partibus predictis auditisque et mature perpensis earum propositionibus ac responsis pro prudentia et fide vra. rem inter easdem partes

partes ita pertractetis et componatis, ut intra senatum vestrum et domi lis omnis conso- piri et dirimi posset, salva utriusque partis integritate, fama et honore, detisque operam, ne malum hoc latius serpat et ad extrema judicia devolvatur, scientes si controversiam hanc quoquo honesto modo sedaveritis, rem gratissimam vos facturos. Dat. Cracovie. MDXXV.

Sigismundus, Rex Polonie
Jacobo Alexwagen, Proconsuli, et
Michaeli Brachwagen, Consuli Elbingensi

Famati, fideles dilecti. Intelleximus quasdam simultates et odia inter vos et famatum Bartholomeum Voit, consulem, exorta et quidem occasione exactionis thelonei a nobis noviter instituti ab eodem Bartholomeo Voit, ita quod res ad probra et convitia hincinde devenerit. Commisimus senatui elbingensi, talem controversiam inter vos sic exortam sedare et honestis mediis componere, ne illinc majorem tumultuum cause orirentur. Quare vobis et unicuique vestrum mandamus, omnino habere volentes, ut cum per predictum senatum elbingensem requisiti fueritis, coram eo compareatis et quicquid senatus idem intra vos decreverit et diffiniverit, illud firmiter teneatis. Ne aliter faciatis pro gratia nostra.

Sigismundus, Rex Polonie,
Michaeli Brachwagen, Cos. Elbingensi.

Famate et strenue fidelis dilecte. Questus est nobis famatus Bartholomeus Voit, consul elbingensis, quomodo tu vite et fame ejus palam, universo senatu audiente, minatus es. Quod si ita esset, non possemus id a te modeste ferre, cum nos de prudentia et modestia tua longe aliter persuasi simus. Ideo tibi mandamus, ut te solita tua modestia ab omnibus extra judicialibus et temerariis contentionibus contineas, et si a dicto Bartholomeo quicquam injuriarum te habere pretendis, jure et non vi aut minis cum eo experiare. Nec aliter facias pro gratia nostra.

Sigismundus, Rex Polonie,
Elbingensibus.

Famatis proconsulibus, consulibus civitatis nostre elbingensis, fidelibus dilectis gratiam nostram. Famati, fideles, dilecti. Retulit nobis famatus Bartholomeus Voit, consul elbingensis, quomodo eum vos in exactione thelonei noviter isthic in terris Prussie instituti plus justo onerastis. Quod si ita esset, non possemus hoc factum vestrum probare. Mandamus itaque vobis, ut deinceps dictum Bartholomeum non cogatis ad majorem solutionem, ejusdem thelonei duntaxat, quatenus est per consilium totius terre Prussie constitutum. Nec aliter faciatis pro gratia nostra.

XCIX. Decretum Regis in causa honoris inter Cives de Prussia.

MDXXV.
Cod. Korn. B.

In causa injuriarum, quam coram nobis et judicio nostro famati Conradus Hiltfelt, proconsul et Ludovicus Engelhart, scabinus thorunensis, contra Joannem Niempcz, civem gedanensem, intentarunt et egerunt ob id, quod ille capto olim Simone Materna extorquere ab eo confessionem quandam et singrapham contra bonam famam et honorem eorundem debuisset, perpendentes utriusque partis dicta et allegata et comperientes dictum Simonem Maternam fuisse a prefato Niempcz auctoritate nostra captum et ea, que dicti Conradus et Ludovicus, cives thorunenses, asserebant, Joannem Niempcz et negasse et rationibus, literis et testimoniis diluisse, decrevimus et presentibus decernimus, eundem Joannem Niempcz in iis, que sunt ei objecta, reum non esse et culpa vacare et quicquid cum dicto Materna egit recte et absque ullius injuria vel honoris detractione egisse et propterea id ob quod a dictis civibus thorunensibus est inculpatus non debet illi et ejus bone fame posterisque ipsius quicquam nocere et obesse nunc et in posterum. Quia vero predicti Conradus Hiltfelt et Ludovicus Engelhard, cives thorunenses, eam causam moverunt, retuleruntque ad judicium nostrum tutandi et conservandi honoris sui causa, ut quemquam probum et bonum hominem decet, et dictus Joannes Niempcz coram nobis clare testatus est, contra illos se nihil mali scire eosque se pro bonis et bene in honore suo conservatis hominibus habere, quod illa omnia, que Simon Materna contra illos loqui et confiteri debuit, fuerunt rursus per ipsum aperte et sufficienter revocata et ut id clare literis et testimoniis apparuit, probamus hanc eorum pro fama et honore suo operam et inceptum, decernimus et declaramus illos homines probos et in conditione sua bene ac honeste conservatos omniaque, que contra illos sive a Joanne Niempcz seu Simone Materna dicta, confessa et divulgata fuerunt, esse inania, irrita et que nihil penitus illis et eorum bone fame, honori et existimationi posterisque ipsorum nocere nunc et in posterum debeant et possint.

Ceterum quod reconventionem attinet, qua dictus Joannes Niempcz Ludovicum Engelhard ratione quorundam injuriarum verbalium coram nobis judicialiter reconvenit, quia de iis ipse Niempcz nihil legitime docuit nosque per tantum tempus ad nos et judicium nostrum, ubi locus est actioni de fama et honore uniuscujusque subditi nostri, hanc rem detulit, et verba, que dici debuerant, erant ea ratione et causa dicta, quam nos presenti decreto nostro sustulimus, videlicet ob dicta et confessa Simonis Materne predicti decernimus, eadem verba, si qua talia fuerint, nullius esse momenti nihilque tam ipsi Joanni Niempcz, quam Ludovico Engelhard eorumque ac posterorum ipsorum fame, honori et bone existimationi officere posse vel debere nunc et in perpetuum. Postremo literas testimonia et dicta quecunque, tam Simonis Materne, quam partium predictarum contra se invicem producta cassamus, annihilamus et in irritum ac inane omnia vertimus hoc decreto nostro mediante.

C. Instructio a Sigismundo, Rege, data Commissariis ad tollendas dissensiones Thorunenses.

Commissarii nostri thorunenses deputati hec agent: audient causas dissensionis communitatis cum consulatu easque modis omnibus tollere et eradicare curent, si cui ex communitate consules noxii videbuntur justitiam decentem illi ministrent, sicque res omnes constituant, ut et communitas non gravetur a consulatu et ipse consulatus in honestate et auctoritate debita maneat nihilque in regimine civitatis renovetur, nec communitas, que ex variis hominibus et nobis fide et juramento non astrictis constat, imperium et regimen civitatis sibi supra consules, qui nobis jurati sunt, usurparet, quod in vestrum et civitatis illius foret detrimentum. Alioquin quicquid preterea ipsis commissariis utile et necessarium factu aut dictu videbitur ad ipsius civitatis dissensionem tollendam, id totum exequantur, quod eorum prudentie committimus. MDXXV. Cod. Korn.

CI. Mandatum regium ad puniendum Hereticos in Marienburgo.

Sigismundus, Rex Polonie.

Manifestum facimus tenore presentium Universis. Quia intelligentes sectam Luteranam, que ab ecclesia catholica aliisque christianis regibus et principibus, tum et a nobis ut noxia et pestifera sancte religioni et tranquillitati jam dudum damnata est et prohibita, in civitate nostra Marienburg et in illa vicinia pullulare esseque aliquos homines ita temerarios ac insolentes, ut neque dei timore neque edictis nostris ab hoc errore contineri queant, sed contra illa ausu temerario nitantur, volentes ejusmodi insolentias et seditiosos conatus illorum, ut debemus compescere, ne per nostram dissimulationem hoc malum acrius invalescat, commisimus et tenore presentium committimus Generoso Joanni Balinski, castellano gedanensi, et terrarum nostrarum Prussie, castrique nostri marienburgensis thesaurario, de his transgressoribus mandati nostri in ipsa re Luterana diligenter inquirere et compertos pena in edictis nostris contenta irremissibiliter animadvertere, commisimus illi etiam, ut venerabili Nicolao Schumborn, preposito et canonico posnaniensi, cui ecclesiam parrochialem marienburgensem per obitum venerabilis olim Joannis Crapicz, canonici varmiensis, vacantem regendam et administrandam contulimus, in purganda illa ab istis erroribus Luteranis et presbyteris ejusmodi erroribus infectis ab illa amovendis opera et patrocinio suo assisteret. Quapropter tibi generoso Jacobo Rosnowski, dapifero posnaniensi et prefecto militum, ceterisque officialibus castri nostri marienburgensis districte mandamus: ut cum per ipsum generosum castellanum gedanensem fueritis requisiti, illi ad perficiendam hanc commissionem et mandatum nostrum, omnem favorem et auxilium militibus et armis totisque viribus ipsius arcis nostre marienburgensis prebeatis pro fide vra. et gratia nostra non aliter facturi. Dat. Cracovie die S. Martini gloriosi episcopi et confessoris. Cod. Korn.

CII.

CII. Petrus Tomicius, Eps. Cracov. Vicecan. Mathie, Episcopo Vladislaviensi.

MDXXV. Cod. B. Korn. Rme. in Christo pater et dne., dne. major honorande. De salute vre. Rme. Dtionis. et ex literis ejus libentissime intellexi et ex nuncio audivi, qua ut diutissime et felicissime perfruatur, eidem ex animo faveo. Res Gedanensium confusas et perturbatas regia Mtas. tametsi etiam aliunde jam dudum intellexerit, tamen ex literis Rme. Dtionis. vre. illas plenius percepit, que sunt quidem sue Mti. permoleste, sed procul dubio Mtas. sua, prout in maximis et difficillimis quibusque rebus constantissime et sapientissime se gerere solita est, ita et in hac perturbatione efficiet, ut omnia bono et laudabili fine terminentur.

Dominum Petrum Szieniczki misi Lublinum ad taxandas possessiones, prout in preterito conventu constitutum fuerat, quo absente dnus. Sirchowski, apertis literis Rme. Dtionis vre., mihi eas legendas prebuit. Intellexi probe quid illa cupiat et (si deus volet) in proximo synodo cum eadem de omnibus his rebus, de quibus perscripsit, ad plenum conferam, et quid in rem ejus fuerit, coram explicabo. Hodie Philippus Bischoff, proconsul gedanensis, huc venit, quem audiet Mtas. regia libenter et consilium ejus ad sistendos motus Gedanensium perquiret. Me Rme. Dtioni. vre. ex animo commendo, quam dnus. deus diu sanam et semper felicem conservet. Datum etc.

CIII. Erasmus Roterodamus, A. Cricio, Epo. Premisliensi.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Rde. presul. Illustris baro Hieroslaus a Lasko, qui hac iter fecit, exhibuit mihi libellum quendam pedestri simul et equestri pugna cum Luteranorum exercitu confligentem, rursus frater ejus germanus, ac vere germanus, hoc est simillimus, nuper exhibuit epistolam rei geste historiam exponentem, admixtis etiam versibus aliquot, ex quibus intellexi tuam Amplitudinem simul et in Musarum pratis et in rhetorum palestris non infeliciter versatam esse, denique tam candido preditam ingenio, ut nostras etiam lucubrationes vere batavas non dedignatus sis attingere. Hoc exemplum quoniam hodie rarum est in episcopis, misi dono librum Rdi. patris Gutberti Tonstalli, epi. londinensis in Anglia, qui nuper legatus ivit ad cesarem Carolum. Is homo est vite inculpatissime, utriusque literature ad unguem doctus, nec vllius honeste discipline rudis. Sciebam enim te gavisurum cum perspiciens istud exemplum eporum in dies ad plures dimanare, simulque hoc agebam, ut quemadmodum illum sic habeo mihi faventem vt non alium mortalem impensius, sic ansa qualicunque prebita memet in tuorum etiam clientum numerum insinuarem. Nam constantius diligor ab vtroque, si vos quoque ambos mutua notitia, mutuaque benivolentia ex morum ac studiorum similitudine conciliata copularit. Hoc scripsimus sic ex tempore dum Illustris dnus. Joannes parat equos conscendere, qui multos homines et inter hos Erasmum occidit, tantum sui desiderium relinquit abiens, cum quibuscunque habuit consuetudinem. Bene valeat tua Rda. Ptas. Basilec III. Octobris.*

CIV.

CIV. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Erasmo Roterodamo.

Accepi literas tuas, Erasme doctissime, accepi et librum, quem una misisti, Rdi. patris dni. Gutberti Tonstalli, epi. londinensis, utrumque munus multis nominibus gratissimum: atque hoc imprimis, quod nescio quo meo genio me etiamnum sacris addictum policiores iste litere adeo delectant, ut prorsus avelli nequeam, ut penitus facere non possim, quin et a sacris litteris semper aliquid temporis, quod illis impertiam et proinde horum studiorum et prisce illius cultoris theologie evo nostro principem et assertorem meum Erasmum non potui jam pridem, quantumlibet mihi de facie ignotum, non impense amare et suspicere. Norunt hic omnes literarum professores, quanti fecerim semper tuas perdoctas et cultissimas lucubrationes, dicas utlibet batavas, certe ejusmodi sunt, ut cum omnibus priscis, sive greci sint sive latini, certari possint, idque teste non solum Cricio, sed orbe. Quidquid usquam emersit tui, mox habendum mihi, mox a Musulis meis scyticis illis quidem commendandum et formis apud nos excudendum erat. Hunc meum perpetuum in te amorem et studium non erat hactenus ea occasio tibi declarandi, que me hominem minime ambitiosum vindicaret, vel a tua vel aliorum suspicione ambitus memorie tuarum lucubrationum, quod unum curare plerosque vides etiam immerito, quamquam et hoc felicissimum videri potest vel falso laudari ab Erasmo. Verum cum ipse hanc ansam mihi vltro prebueris, cum hunc hominem amare in tuum animum induxeris, qui dudum vel solius noticie nedum amoris tui erat cupientissimus, cogita, quante mihi voluptati quanto solatio tue fuerint litere. **MDXXV.** Ex cod. mss. bibl. Korn.

De libro quid multa loquar? Nihil magis apposite magisque ex re mea mitti a te potuit, stultus ego putans calculos et ratiocinaria ad mercatores potius quam ad episcopos pertinere, omitto hactenus, quod dicere ausim, tam officialium quam etiam dispensatorum meorum rationem unquam exegi, oblitus interim, quid nos vel summus ille magister noster Christus docere videatur dum illos heros, illos patres familias cum servis et villicis suis rationem ponentes nobis depingat, cui mee tante socordie frigidam, ut dicitur, aspersisti, dum et tu, vir tantus, et illius alterius viri tanti talem librum misisti, quorum alteruter nedum calculos tractare verum et in medio foro saltare mihi facile persuaderi posset. His igitur tantis autoribus accingor ad meum in hac parte vite mee institutum, presertim cum ea adhuc sit etas, in qua vel discere vel animum aut vite tenorem mutare non perinde turpe nec difficile videatur, quamvis verear, ne cure et occupationes aulice non calculos modo sed et alia omnia studia mea mihi intercipiant, quibus solis miserum me natum esse videor ita tentanti mihi sepe me ex vndis istis eripere et memet mihi et literulis meis asserere, quo magis ad portum appulisse videbar, hoc magis ventus nescio quis in altum me repellebat. Jactor igitur, me Erasme, si quid de me scire optas, ut agitor in hoc pelago miser non equidem fumis hisce honorum, quibus alii capiuntur, illectus, sed partim propinquorum voluntate, partim benignitate in me principis mei, quam vel hinc abunde metiri potes, quod et episcopatum mihi nihil minus cogitanti contulit et nugas nostras literarias, quecunque illi offeruntur, in peculiaribus suis scriniolis secum ferat et asservet, hac una sorte vel ipsi divino Homero culex ego comparandus.

Redeo

MDXXV. *Redeo nunc ad tuas literas. Scribis Mgcum. Hieroslaum a Lasco libellum quendam meum adversus Luteranos tibi obtulisse, factum id quidem ab eo nostra mutua benevolentia et forte gratia declarande religionis nostre illibate. Verum mihi displicet sane eas nenias ad te, virum tantum, perlatas, que quodammodo invito mihi exciderunt. Nosti enim, mi Erasme, quam hoc seculo nullus angulus suis censoribus et vitilitigatoribus non abundet, quantumque istiusmodi sive crabrones sint sive etiam scarabei exhibere soleant negotii bonis viris, etiam summatibus. Eorum morsus clandestinos neque ego vitare potui, quod et tua semper omnia et Luteri nonnulla que initio recte monuisse videbatur, interdum tueri solebam. Nec defuerunt Sycofante, qui et apud summum pontificem comminiscerentur. Moverat preterea stomachum luterane lingue impuritas, qua et sacra omnia et nos singulatim episcopos adeo fede et impudenter incessit, ut talia probra ne scurra quidem levissimus cogitare nedum jactare absque crimine et rubore posset. Unde facile conjiciens, qualis esset fons iste, ex quo tanta insaniarum et probrorum flumina manarent. Edideram tum illud libelle, quidquid erat, partim dolore motus partim vero, ut illis censoribus meis os obstruerem, idque pro velitum duntaxat acie instruens interim phalangem ex cataphractis quam possem, si quid ille referire conatus esset. Verum cum nec post alteram ipsius libelli Rome impressionem ille mutiverit quidquam, perindignum forte putans sua gravitate et modestia, ego etiam milites meos in castra reduxi, satius existimans cum ingeniis non conflictari ejusmodi, que non nisi ex furiis et maledictis constant, quibus vinci quam vincere semper honestius duxi.*

Quid alterum illud fuerit epistole, qua res gesta ut ars describitur nescio, nisi forte tragedia nostra pruthenica sit eo usque perlata et hec ipsa epistola, familiariter a me ad amicum scripta, vulgata est a vestigio per Illmum. dnum. Christophorum de Schydlowyecz, palatinum et regni hujus cancellarium, utriusque nostrum amantissimum, me modis omnibus reclamante. Hec omnia, mi Erasme, indigna quidem sunt, ex quibus tantum mihi Musarum et Rhetorices tribuas; utcunque sunt, gaudeo plurimum eam ansam utrique nostrum prebitam amicitie et benivolentie inter nos coeunde, quam ut mutuo amore et officiis alamus roboremusque, te etiam atque etiam rogo.

Mi Erasme, jam et nos, vt videmur longinqui Sarmate, non ignoramus, que intemperie teneant istam Germaniam vestram. Dii immortales, itane perpetuo comparatum est, ut in se summa ruant? Quot iam regna et imperia, cum ad summum pervenerunt, corruerunt! Id quis Germanie accidere liquido non videt, que cum militari disciplina, tum vrbibus, mercimoniis ac deinde ingeniis et literis omnes reliquas nationes jam plane superare nec immerito creditur? Ex improviso oritur tempestas, que omnia in naufragium sic agit, vt ne in sacra quidem ancora quidquam spei relictum videatur, idque tam fede et indigne, ut citra lacrimas commemorari non possit. Nimirum hoc faciunt celestia numina lesa, cum quibus certare quoniam temerarium sit, satis nos vel fabelle poetarum nedum historicorum fides admonet. In ea Babylone confusissima et tanta errorum malorumque Lerna te agere, mi Erasme, decus evi nostri et magnum literarum columen, videtur juxta miserum et indignum. Nam quid tu istic facias ubi, si quid recte mones, nemo obtemperat. Quare subduc te, rogo, quam primum his turbis teque his, precor, eripe flammis, eo magis ex re tua et literarum feceris, quamquam ut ad nos quam primum commigres, non video. Habemus regionem ex germana quidem et sarmatica

tica constantem, sed quam libenter inhabitant etiam ii, qui suas pre ceteris felices et fortunatas esse jactant, habemus principem, de cujus virtute, prudentia, benignitate, religione et rebus gestis dici satis non potest, habemus senatum sapientissimum, habemus satrapes non minus literarum quam armorum cultores, habemus ingenia non vulgaria, habemus et nobile Museon, habituri etiam Frobenios, si aderit Erasmus. De vocatione et conditione te digna ad me recipio: annue duntaxat et jube, quid fieri a nobis velis. Nolo, dicas te senem et invalidum; ea est aure nostre salubritas, vt per eam vel revivescere te posse existimes, ea potius quidem probata virtus, ut ejus usu brevi calculo tuo opponere possis. Tu igitur quid facturus sis, cogita tempori et nos quam primum certiores reddas. Mi Erasme, vale optime et tuum ex animo Cricium mutuo dilige. Cracovie XX^a Decembris. MDXXV.

NEGOTIA GEDANENSIA.

CV. Sigismundus, Rex Polonie, Consulatui Gedanensi.

Famati, fideles, dilecti. Sumus certo edocti, ut nonnulli emuli famati Eberhardi Ferber, proconsulis et burgrabii vestri, id omni studio conantes, quo illi apud vos et communitatem odium et invidiam concitarent, varia illi objecerint, quibus eum civitati reum ajebant. De quibus cum se ille justis rationibus purgaret, nihilominus eo absente injectam esse per ipsos emulos ejus chartam quandam publice in medium vestri et aliorum civium absque autoris nomine, in qua multa probra in personam atque honorem ipsius continebantur, vosque inde eum aliquotiens per literas, ut ad vos veniret, advocasse, quod nisi faceret, oporteret, vos eum ab officio suo proconsulari deponere, illum vero videntem emulorum suorum tantum conatum, ut non modo officio et honore, sed etiam ipsa vita privaretur, uti per amicos edocebatur, confugiendum ad nos et appellandum sibi censuisse ac appellasse, offerendo se coram nobis de omnibus justificari et cuilibet respondere velle. Nos inprimis gravi et acerbo animo ferimus eos motus et turbas intestinas geri istic in civitate ista nostra, que paucorum seditiosorum instinctu et vra. conniventia ac levitate in dies magis pullulant et fortasse jam nimio plus excreverunt. Que cum omni reipublice, quando invalescunt, magna detrimenta et casus etiam graves afferre soleant, nos, illas dudum oriri sentientes, volebamus per oratores et consiliarios nostros eas tempori componere et sistere; verum quia nos certiores non feceratis, easdem turbas esse inter vosmet ipsos sopitas et compositas, supersederamus a mittendis ad vos ipsis consiliariis nostris. Nunc itaque aliter se statum et res vestras habere intelligentes, non possumus non plurimum egre ferre. Indignissimum deinde existimamus hominem ordinis vestri et proconsulem nobisque et reipublice vestre bene meritum et optime conservatum tam licenter et turpiter suggillari et probris ac convitiis impeti per libellos famosos et indecentes, vobis audientibus et ferentibus, non adtendentibus vero, quod que in majores et seniores committuntur, audacius et facilius in reliquos deinde committi poterunt. Quare cum dictus Eberhardus Ferber in tantis injuriis et impetitionibus aliquorum emulorum suorum constitutus (nam adversus vos generatim et communitatem nihil queritur) ad nos appellarit, eam appellationem in presens acceptavimus. Mandamusque vobis sub pena decem milium florenorum, ne quid in illum et ejus honorem ac officium, quod gerit, nec non adversus ejus uxorem liberos ac consanguineos statuatis aut contra illum et suos aliquid attentari permittatis. Ille vero et respondere coram nobis de omnibus, in quibus ab aliquo culpabitur

MDXXV.
Cod. Korn.

MDXXV. bitur seque justificare paratus erit et nos unicuique justitiam cum illo ministrare non negabimus. Porro precipimus vobis, ut istas dissensiones et turbas vestras intestinas sopire et earum auctores et suggestores coërcere curetis, nam si quid mali per eos committetur, id totum ex vobis requirere et compensare volumus. Dat. Cracovie.

CVI. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, Datum una cum Decreto regio Nunciis Gedanensium in causa Ferberi.

Cod. Korn. Sacra Mtas. regia, domini Gedanenses, quod hactenus vos tanto tempore hic morantes expediri non fecerit, in causa fuit partim egritudo Mtis. sue partim alia immensa negotia, que Mtem. suam distinebant. Accessit ad hec dominus Ferber, qui cum supplicaret, se coram vobis a Mte. sua audiri, facere non potuit ejus Mtas. quin et illi, ut equum est aures suas prebuisset.

Ad legationem igitur vestram sic Mtas. sua vobis responderi mandavit: Statuta vestra, que vos revisis vetustis institutionibus et plebiscitis vestris pro bono regimine civitatis vestre condidisse retulistis et ea rata fieri a Mte. regia petivistis, non potest Mtas. sua, cum illa non viderit, approbare, sed nec vituperare illa dignetur. Quando vero ea Mti. sue patebunt et cognoverit vobis et civitati vestre conducere nihilque in illis contineri, quod auctoritatem et jurisdictionem Mtis. sue imminueret, illa non gravatim approbare et ratificare dignabitur.

Quod autem ad dominum Ferber attinet, intellexit abunde Mtas. sua causas commotionis in illum civitatis vestre, quas recensuistis. Licet vero Mtas. sua cognoverit ipsum dominum Ferber et fidum sibi et civitati vestre utilem ac honorificum tam domi quam foris semper extitisse, licet etiam ipse dicta in se amplissimis verbis diluerit et enixus sit innocentiam suam declarare, tamen cum illius replicationi respondere in presens noluistis ac facultatem respondendi non habuistis, designabit Mtas. sua nonnullos dominos consiliarios tam regni quam terrarum Prussie, qui Marienburgi convenientes et parte utraque audita eam turbam et controversiam indignam et perniciosam equis ac decentibus modis sopire et componere curabunt. Quod ubi prestare non possent, illam ad Mtem. suam remittent, quam ipsamet Mtas. sua sistere et determinare dignabitur.

Quia vero privatio officiorum domini Ferber et Jacobi de Reesz et proscriptio de civitate tam ipsius quam aliorum ejus necessariorum et amicorum facta per cives vestros et libelli famosi in illum scripti nonnihil ejus honori detrahere videntur, ipse autem pro tuendo eodem honore suo coram ejus Mte. nihil pretermittit, suamque innocentiam paratus est declarare vosque respondere illi recusastis, decernit Mtas. sua, quod quidquid adversus illum ac Jacobum de Reesz, Hyldebrandum Ferber et alios ejus complices et amicos in ea controversia actum, dictum aut scriptum sit ignominiosum, id eorum honori et bone existimationi

istimationi eorumque posteris nulla in parte nocere debet usque dum ea controversia determinetur. MDXXV.

Preterea quia ipse dnus. Ferber est tam in civitate vestra quam etiam extra satis abunde possessionatus et paratus ac sufficiens constare juri, decernit Mtas. sua, ut ante omnia bona illi per cives vestros ablata seu retenta libere dimittantur et restituantur, usque dum ea controversia determinetur.

Postremo ut Mtas. sua molestissimo fert animo turbas et dissensiones vestras tam in divinis quam etiam humanis rebus ad indignationem dei et perniciem civitatis vestre exortas, ita hortatur vos impense et mandat sua Mtas., uti religionem inprimis, sicuti a patribus sanctis tradita est et per majores vestros observata, deinde pacem et mutuam concordiam inter vos diligenter custodiatis hominesque insolentes ac seditiosos, qui unicuique reipublice pernicies sunt et pestis, quantum potestis, comprimatis.

Interloquutoria.

Sacra regia Majestas ex productis et allegatis tam ex parte domini Eberhardi Ferber ejusque amicorum et litis consortium, quam etiam pro parte dominorum proconsulum, consulum, scabinorum ac omnium ordinum civitatis sue gedanensis comperiens causam principalem, ad quam idem Eberhardus Ferber vocavit in judicium Mtis. sue regie, ipsam civitatem Gedanensem esse commixtam cum causa restitutionis seu spolii, quam etiam ipse Eberhardus postea intentavit et unam absque altera debito modo definiri non posse, nolens alicui partium predictarum injuriam facere aut quicquid precipitanter agere in presens, definitionem cause restitutionis suspendit decernitque, ut pars utraque predicta in causa principali ulterius procedat et quod utrique illarum opportune visa fuerint alleget et producat, ac que allegaverit et produxerit opportunis ac legitimis probationibus deducat, probet et ostendat. Quod ubi factum fuerit Mtas. sua regia id quod justum fuerit super utroque negotio predicto decernere ac definire dignabitur. Vult autem et mandat Mtas. sua regia, ut ea lite et causa sic pendente interim nihil ab utraque parte innovetur utque inprimis decretum Mtis. sue de restituendis bonis omnibus mobilibus dicto Eberhardo Ferber antea latum robur suum habeat et ut ipsi Gedanenses eadem bona mobilia illi juxta idem decretum restituant intra hinc et festum ascensionis domini sub pena X milium aureorum et gravissima indignatione Mtis. sue regie.

CVII. Sigismundus, Rex Polonie, Proconsuli et Coss. Gedanensibus.

Famati, fideles, dilecti. Cum retulisset nobis nuncius vester non sine magna molestia animi nostri, innovatam esse controversiam et motum in republica vra. et ista civitate nostra gedanensi ex eo, quod Eberhardus Ferber decretum nostrum regium inter vos et ipsum et ejus amicos in proxime preterito conventu generali cracoviensi promulgatum in multa Cod. Korn.

exempla

MDXXV. exempla inprimi procuraverit idque in multis regionibus et civitatibus divulgaverit et aliter quam erat mentis nostre regie ex sermone latino in germanicum transferri fecerit, per quod, prout dicitis, omnes putant, illum esse innocentem in causa preterita, quam nos totam suspendimus usque in adventum in Marienburg consiliariorum nostrorum, quos ad illam componendam deputavimus, id quod indubie ex tenore ejusdem decreti nostri sane et sufficienter intellexistis: Nos probare hoc factum ejusdem Eberhardi Ferber non potuimus nec possumus, si quidem nobis singulariter est molestum audire dissensiones et controversias fidelium subditorum nostrorum, nolumusque predictum nostrum decretum aliter intelligi aut interpretari, quam utrique parti et juri illarum ac nomini honorique et bone existimationi illarum expediens sit et utile usque ad plenariam ejusdem cause definitionem. Proinde ubi vos iterum ipsum Eberhardum Ferber in ejus presentia pro hujusmodi facto ipsius et immutatione decreti nostri regii coram commissariis nostris Marienburgi culpare volueritis, erit vobis integrum id facere et ipsi commissarii nostri vobis justitiam autoritate nostra ministrabunt. In qua re dedimus etiam literas nostras ad ipsum Eberhardum, quarum copiam vobis per nuncium vestrum mittimus. Vos vero una cum communitate vestra, quemadmodum in aliis rebus et actionibus vestris, ita et in hac quoque causa gratiam et favorem nostrum regium cognoscetis. Dat. Cracovie die S. Trinitatis.

CVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Mathie Drzevicio, Epo. Vladislaviensi, Stanislao de Kosczielecz, Palat. Calisiensi etc. Hieronymo Laski, Palat. Siradiensi, Georgio de Conopat, Palatino Pomeranie, Commissariis in Prussiam missis.

Cod. Korn. Rme. in Christo pater et Mgci. sincere nobis dilecti. Cupientes dissensionem et motum intestinum in civitate nostra gedanensi exortum sedari, per quem famatus Eberhardus Ferber cogitur cum liberis et nonnullis consanguineis et affinibus suis ex ipsa civitate exulari, designandas duximus Stes. vras. et harum serie literarum designamus in commissarios nostros ad eam controversiam componendam, mandamusque illis, ut communicato inter se consilio pro aliquo certo die in Marienburg descendant et auditis omnibus controversiis, que inter consules, scabinos et communitatem ejusdem civitatis nostre gedanensis ac ipsum Eberhardum et ejus necessarios ac amicos intervenerunt. Auditisque et mature perpensis illorum propositionibus et responsis totam illam controversiam et dissensionem bonis et equis mediis componere curent. In quo omnem suam operam adhibeant. Sciunt enim vre. Stes., quam perniciose sint ejusmodi controversie intestine in omnibus communitatibus; ubi vero sistere non possent eedem Stes. vre. decentibus mediis dissensiones predictas et esset aliquid, quod diffiniri et decerni oporteret, id ad nos remittant. Quicquid autem decreverint, id faciant per partes utrinque firmiter observari.

Instructio

Instructio data Commissariis ad Prussiam missis. MDXXV.

Commissarii nostri Marienburgi designati hoc agent: Curabunt modis omnibus motum civitatis gedanensis sine exquisita disceptatione et strepitu placide ac equanimiter sedare, unitatem et concordiam inter cives reducere et Eberhardum Ferber cum illis conciliare agereque, uti res et officia ejus illi restituerentur, quandoquidem hi motus et discordie civium intestine, cum semper noxie sint, tum hoc tempore ubique turbulento perniciosissime; civitas vero gedanensis tot hostilitatibus est obnoxia, tot evocationibus ad cameram imperialem molestatur, unde si istis dissensionibus suis agitabitur sicque insignes cives ab illa exulare cogentur, bonis suis, non judicio, sed seditione, privati, possent eidem civitati maxima inferre nocumenta, propter quam et nos cogeremur difficultates et contentiones subire, et proinde, ut commissarii curent eam reconcilationem Ferberi et pacem in ipsa civitate facere.

Ubi autem vel tota hec dissensio, vel aliqua res singularis tantum difficultatis haberet, ut opera ipsorum commissariorum componi non posset indigeretque aliquid judiciaria cognitione et decreto, id totum ad definitionem nostram devolvatur.

Verum nihil opere pretermittatur, quo et ipsimet equis mediis ac rationibus eas turbas sopiant et ad id negotium perficiendum quicquid preter hec opportunum ac utile illis loqui et agere videbitur, id totum faciant, quod illorum prudentie committimus.

Ceterum, quia questi sunt cives gedanenses: Eberhardum Ferber decretum regium inter se et illum latum in multa exemplaria imprimi fecisse et illa ad varias regiones et urbes transmisisse, et preterea hoc ipsum decretum in linguam germanicam traduxisse aliter quam fuit promulgatum et scriptum, ac in contumeliam illorum divulgasse; e diverso ipse Ferber queritur, bona sua mobilia non esse sibi restituta juxta decretum regium et quod multe alie injurie sibi et suis sint illate, si hec perferentur ad dnos. commissarios per querelam, de illis etiam cognoscent et id quod equum et justum esse censebunt diffinient, et ut supradictum est, partes inter se dissidentes ad concordiam modis omnibus reducere curabunt.

Queritur etiam Nicolaus Holste, procurator causarum, de civibus gedanensibus, quod illum non permittunt libere manere in civitate et privatis suis adversus eum conceptis odiis machinantur ei in mortem. Is si quidpiam contra eosdem Gedanenses proponere voluerit, illum simul et ipsos Gedanenses domini commissarii audiant ac re bene et mature discussa justitiam in utramque partem faciant.

CIX. Sigismundus, Rex Polonie, Commissariis in Prussia.

Ex literis vestris accepimus seriem judicii vestri cum omni processu suo in causa, que inter civitatem gedanensem et Eberhardum Ferber jam pridem incepta multisque ultro citroque contentionibus agitata vertitur; que si aliquo alio leniori modo quam severitate Cod. Korn.

 juridica

MDXXV. juridica transigi potuisset, libentius audiremus, quam quod ad id ventum sit, ut per strepitum juris decernatur, quia in tam obstinatis et obfirmatis animis raro sic solet perfici, quin sit partibus disceptantibus gravis et molestus. Sed cum id tam durum, tamque difficile fuerit, quod rigorem judicii declinare nequiverint, placuisset multum, ut saltem hec omnia decisioni cause servientia, sicut a nobis injunctum erat, per vos transacta fuissent, sine quibus causa ipsa rite peragi et decidi non potest. Nos tamen in futuro conventu petricoviensi, ad quem et diem S. Agnetis proximum terminum, quem partibus disceptantibus prefixistis, propter conventum istarum terrarum ad diem S. Barbare Thorunii statutum transponendum duximus et transponimus, audiemusque omnia, que ad finem imponendum tam fastidiose immo vero perniciose cause pertinere videbuntur et quod matura deliberatione et diligenti examine visum fuerit consultius faciendum. Omnia ad equitatem referendo omni jam tergiversatione posthabita deo volente faciemus et decernemus.

CX. Sigismundus, Rex Polonie, Consulatui Gedanensi.

Cod. Korn. Famati, fideles, dilecti. Cur Ferberiane liti finis Thorunii imposita non sit, meminimus, nobis a nunciis vestris Sandomirie fuisse declaratum. Quod vero in eadem lite deinceps actum est, ex literis vestris et commissariorum nostrorum ad nos datis, plene intelleximus et ferabamus quidem satis molesto animo jam statim ob initio et eam ipsam litem inter vos exortam fuisse et eam non sine magno utrinque dispendio, quod clare patet, hactenus tractam esse. Non enim ignoramus, quanta jactura rei familiaris vobis utrinque constiterit, verum cum jam eo deventum sit, ut post tot dilationes, post tot judicia et difficultates ad ultimum ad nos, prout scribitis, appellare coacti estis, nos quamvis et modo mallemus, ut ea controversia inter vos quoquo alio modo, quam severitate judicii componeretur, tamen urgente nos officio ac debito nostro, et ut veluti ex tempestate tandem aliquando in portum partes ipsas, ut tenemur, deducamus, constituimus et liti finem debitum imponere. Quod autem petitis, ut terminum appellationis vobis ad diem S. Catharine coram nobis prefixum in certum locum in regno commutare et transferre dignaremur: nos intelligentes, vos et vestros abesse non posse a conventu generali, quem in istis terris nostris Prussie ad festum S. Barbare proximum statuimus et indiximus, eum ipsum terminum appellationis vre. ad diem S. Agnetis proximum transponimus et prorogamus, mandantes vobis, quatenus pro eodem die coram nobis Petricovie compareatis, a nobis tam prolixe ac dispendiose contentionis et litis sententiam audituri. Nam quod in fine literarum vrarum. petitis, ut ad proximum, nescimus quod, civile judicium pro depositione veritatis et testimoniis ducendis vos admitteremus, simul ut nonnulla munimenta ac articulos Mgco. Georgio Konopacki, palatino Pomeranie, in forma juris a vobis suscipienda committeremus, rem non equam et dignitati nostre regie minime convenientem optare videmini. Quoniam cum semel ad nos appellastis judicesque commissarii vestre hujusmodi

hujusmodi appellationi detulerunt, jam nobis non videtur ex justitia et equitate fore, si vos ad aliqua civilia judicia sive ad quosvis alios commissarios dimittere debeamus, quin nos ipsi cum senatu tam regni nostri, quam terrarum Prussie totam hanc causam cum toto ejus effectu discutere et displicere curabimus et nemini partium favore vel gratia acclinati, deum pre oculis habentes, quicquid nobis cum dicto senatu nostro equum et justum videbitur, id definiemus et decernemus, nec committemus, ut ulterius cum ea lite utrinque trahi et vexari debeatis. Si vero testes aliquos inducere adhuc volueritis in fulcimentum et subsidium cause vestre, eos simul et munimenta quecunque coram nobis pro die S. Agnetis predicto inducatis et exhibeatis. Datum. MDXXV.

CXI. Sigismundus, Rex Polonie, Consulatui Gedanensi.

Famati, fideles nostri dilecti. Ex literis vestris longa verborum serie contextis accepimus omnem processum in causa Ferberiana per commissarios nostros institutum et servatum ac per partes coram ipsis commissariis agitatum tandem eo deductum esse, ut propter partium ipsarum differentiam ad nos sit per vos appellatum, Nos quidem post tot labores et impendia in ejus cause actione facta hoc ultimo examine credidimus eam transigi et perfici debuisse; nam non libenter vidimus inter subditos nostros id agi, quod sine magnis sumptibus fieri nequit et discordiarum fomitem suppeditat, que in omni communitate perquam sunt perniciose. Sed cum ita factum sit, ut scribitis, postquam ad nostrum judicium res ipsa delata fuerit, audiemus partes disceptantes et omnia circumspiciemus diligenterque examinabimus, que ultro citroque prolata fuerint in auxilium justitie deducende et quicquid visum fuerit in utrumque partem equum et justum proferendum, id tandem, deo bene juvante, cum consiliariis nostris, qui aderunt, non dubitabimus proferre, ut jam omnes discordiarum causas amputemus, que multorum malorum inter vos nascentium seminaria prebent. Cod. Korn.

Novitates regni Dacie, quas scribitis, audivimus juvatque diversorum populorum res gestas qualescunque audire, quandoquidem multarum rerum scientia requiritur ab iis, qui in magnis rebus agendis semper versantur.

CXII. Petrus Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Mathie Drzevicio, Epo. Vladislaviensi.

Rme. in Christo pater et dne. amice charissime ac honorande. Admonet me Rma. Dtio. vra. literis suis ejus rei, quam mihi etiam discedens coram patefecerat, videlicet quomodo a Rmo. dno. archiepo. discesserit, rogatque, ut si quid ejus interesse putem, quid idem Rmus. dnus. archieps. in secreta audientia cum regia Mte. tractaverit, ei communi- Cod. Korn.

 cem

MDXXV. cem. Simul et consuli sibi a me cupit, quomodo se in ea re habere deberet, si rursus impetita fuerit. Sciat Rma. Dtio. vra., archiepiscopum, priusquam hinc discederet, bis apud regiam Mtem. audientiam habuisse, semel tertia die ante discessum suum, remotis arbitris, solum duntaxat cum sua Mte., iterum postridie ejus diei, h. e. pridie quam discederet, ubi ego quoque aderam. Summa negotii totius fuit hec. Declarat Mti. sue voluntatem et prepositum suum: se videlicet cum aliquo prelatorum super archiepiscopatum jam tandem velle transigere et efficere, ut post exactos tot labores et curas reliquum vite in quiete et tranquillitate consumaret. Reliquos sermones, quos in eam vel similem sententiam cum Mte. sua contulit et quomodo illi Mtas. sua responderit, si deus volet, ipse coram referam cum primum mihi cum Rma. Dtione. vra. congredi dabitur facultas, quod in proxima synodo non dubito futurum, nec enim arbitror, illam ante synodum cum ipso archiepiscopo congressuram.

De transitu regie Mtis. ad Prussiam, tametsi sua Mtas. dominis Prussie in discessu eorum spem sui adventus injecerit, tamen nec diem nec tempus adventus sui significavit, eo quod dni. Lithuani frequentissimis nunciis et literis suam Mtem. illuc accersunt. Esse enim illic ejusmodi negotia, significant, que absente sua Mte. nequaquam transigi possunt, tamen quorsum se sua Mtas. convertet, nondum quicquam certi constituit. Quod Gedanenses ab errore revocandos attinet, mittet sua Mtas. brevi ad eos literas, quibus eos adhortabitur, ut resipiscant et obmissis peregrinis dogmatibus prisce et a patribus per manus tradite religioni se reconcilient, etiam res civitatis ita administrent, ut nihil non ex autoritate sue Mtis. agant, quibus adhortationibus, si acquiescere noluerint, habito super ea re cum dominis consilio, ita se in ea re geret sua Mtas., prout pium et christianum regem decet. Admonentur etiam tum eisdem literis Gedanenses ipsi eisque severiter precipitur, ut census vre. Rme. Dtioni. et ejus clero ac aliis dari et solvi non prohibeant, prout id ex exemplo literarum, quod cum presentibus mitto, clarius. vra. Rma. Dtio. cognoscet.

Nuncius Turcarum imperatoris est nobiscum. Dnus. Zarnoviensis castellanus usque quaque ad munus legationis obeundum paratus brevi dimittetur et vadet, sed interim ab Ungarie dominis expectamus instructionem, quibus modis et conditionibus cupiant ipsi habere inducias cum eodem imperatore Turcorum. Et preterea hic nihil novi est, quod Rmam. Dtionem. vram. scire oportere arbitrer. Que felix valeat et me solito suo amore et benivolentia prosequatur, habeatque semper sibi commendatum.

CXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Civibus Gedanensibus.

Cod. Korn. Famati, fideles, dilecti. Cum multis rumoribus perlatum esset ad nos, seditiones vras. intestinas et insolentias adversus fidem et religionem sanctam catholicam eo usque processisse, ut plurima contra deum et beatissimam virginem, matrem ejus, ac omnes sanctos indignissima

indignissima committerentur in divinissimum sacramentum blasphemaretur, ciboria, altaria, imagines, picturas in ecclesiis esse confracta et contumeliose ejecta, calices, patenas, cruces et alia clenodia de ecclesiis accepta et asportata, monachos et moniales spoliatos et de monasteriis ejectos, novas sectas et novam religionem invectam, oratores nostros infamatos et contumeliis affectos, proconsules, consules et alios officiales civitatis licentissime depositos et opprobriis licentissime affectos aliosque in locum ipsorum indebite suffectos, burgrabium contra auctoritatem nostram exauctoratum et novas de illis constitutiones in derogationem potestatis nostre factas, judicia nostra regia violata, furcam et rotam in foro extructam contra privilegia et libertates civitatis, Rev. dno. episcopo wladislaviensi et ejus clero, item orphanis et viduis census solvi prohibitos, ut novi consules, qui in domibus census obligatos habent, solvere illos non tenerentur, insigniores cives nullo tempore securos esse, ecclesias parrochiales juris patronatus nostri externis sacerdotibus, sine scientia et consensu nostro, collatas et alia innumera perpetrata: videbantur hec omnia nobis adeo indigna et abominanda, ut fidem illis adhibere nequaquam potuerimus; nam et contra religionem sanctam catholicam, quam omnia regna et dominia christiana hactenus tot seculis concorditer et inviolabiliter observaverunt, talia nefanda commissa videbantur, que ne Turci aut Tartari forsitan committere auderent, et adversus auctoritatem nostram ita insolennter excessum, ac si nomen et potestas nostra regia pluma levior censeretur, admonueramusque vos per nuncios nostros benignissimis verbis de iis ipsis rebus, que ad nos rumoribus perferebantur, quibus non usque quaque credere potuimus. Verum quia intelleximus, post eam legationem nostram non modo non intermissa et correcta esse a vobis, que sunt indignissime commissa, sed etiam illa in dies magis invalescere majoresque insolentias et blasphemias fieri adversus divinam Mtem. et sanctos ejus ritusque et ordinem ecclesiasticum, qui non a sceleratis apostatis, quales sunt ii, qui nunc censuram sibi insolentissime sumunt, sed a priscis sanctissimis patribus vita et miraculis clarescentibus est institutus, doctore et magistro unico ecclesie spiritu sancto, timentesque nos, ne et gravissimam ultionem a dno. deo et apud alios omnes reges principesque et nationes christianas turpissimam notam subeamus, si ad tam indigna et nefanda facinora conniveremus, admonendos vos iterum his literis nostris duximus, mandantes vobis sub gravissima indignatione nostra, ut, si ea ita se habent, uti ad nos delata sunt, primum omnium religionem sanctam catholicam ad eam observationem et ordinem, quem a majoribus vestris per manus accepistis et cum qua nobis subditi facti estis in omnibus, que mutata, destructa, ablata et violata sunt, restituatis, sacramentum eucharistie servari in ecclesiis et monachos et monachas ad sua monasteria, que majores nostri fundaverunt, et plebanos ad suas ecclesias, que nostri jurispatronatus sunt, redire libere permittatis intrusosque quam primum ejiciatis, alioquin durante hoc errorum fundamento, nihil boni sperari potest in reliquis, quemadmodum id et Bohemi cognoscentes tandem resipuerunt et ad unitatem S. matris ecclesie nunc demum redierunt; deinde magistratum omnem indigne et indecenter depositum restituatis, constitutionesque, quas propria voluntate et seditiose confecistis, abrogetis rotasque et patibula, indignissima carnificine insignia, e foro dejiciatis, census debitos Reverendo dno. epo. wladislaviensi ejusque clero et aliis omnibus dari et solvi

MDXXV.

MDXXV. solvi faciatis vosque in omnibus, tam divinis quam humanis rebus et negotiis vestris ad priscum laudabilem morem ac instituta, quibus aucta est civitas vestra reducatis. Nam si vos ipsi inter vos id facere non curaveritis, nos debitum ac officium christiani regis pretermittere non poterimus. Ad que omnia volumus, ut nobis per hunc nuncium respondeatis.

Ad has precedentes literas Gedanenses per regium nuncium regi non responderunt, sed nuncios quatuor suos et quintum, notarium, ad regem Cracoviam miserunt, per quos oblate sunt regi he, que sequuntur, eorum apologie.

CXIV. Apologia Gedanensium.

Ratio doctrine ministrorum ecclesie Dantiscane et expurgatio de criminibus falso objectis, ad Serenissimum Sigismundum, Regem Polonie.

Cod. Korn. Agimus Deo opt. max. gratias immortales, nobis apud tuam Celsitudinem, Serme. et Augustissime rex, causam de sacris dicendam esse, quo nullus principum, absit invidia dicto, omnibus egregiis virtutibus et regiis dotibus splendidius ornatus est, aut magnificentius expolitus. Quem enim ex omni seculorum memoria in regum catalogis principem aut heroa habemus tam eximia nature felicitate tam preclaris ingenii dotibus, tam denique admirabili omnium rerum prudentia, quem cum tua, clarissime heros, prudentia ulla ex parte possimus conferre, qua in rebus discutiendis nihil exactius est, neque felicius neque perfectius? Insigni justitia et summa equitate innumeros fuisse claros comperimus, quorum tamen, si eos ad tuarum virtutum gloriam ac splendorem exigamus, et nominis decus et equitatis laudem videmus obscurari non aliter, quam si cerei lucem ad solis splendorem adhibeamus. Quid autem dicamus de pulcherrimo tuo erga rem publicam christianam studio et singulari sacrarum rerum peritia, quum illud orbis terrarum testimonio abunde predicetur? Qui tuam vigilantiam et fortitudinem in tuendis christiani populi finibus ab incursione fedissime gentis et spectat et miratur, et hanc magni et excellentes viri nunquam satis suspicere aut celebrare potuerint. His tuis virtutibus, Illme. princeps, freti, apud tuam regiam Mtem., que ad pulcherrimum imperium administrandum pulcherrimas virtutes divinitus adepta est, non solum nostre doctrine rationem reddere non formidamus, sed maxime gaudemus. Quia si nihil sceleris in nos admisimus, gratiam, non penam apud talem principem inveniemus, sin admisimus, quod non speramus, salutarem et puram e sacris literis doctrinam, errore nostro amoto, reportabimus. Verum illud nobis summe dolet, quod a magnis et arduis regni negotiis tuam, Sacratissime rex, curam ad hanc actionem avocare cogimur, quod tamen non nostra culpa, sed eorum factum est, qui nos apud regiam Celsitudinem detulerunt magna ex parte falso, vel quod ita per rumorem acceperunt, qui semper veris multum affingit, vel quod nullam sacrorum cognitionem habuerunt. Qui ut promptissimi ita et ineptissimi ad judicandum sunt, vel quod ut multi sunt in maximis regnis

regnis malevoli, hanc tuam civitatem apud te in invidiam vocare voluerunt. Quod audacius multo quam prudentius ab illis factum videmus. An ignorant boni isti viri, se tuas opes invadere dum hanc urbem impetunt, que nullius est, nisi Sermi. regis? Sed his omissis, ne longiores simus quam par est, ad ipsam causam accedemus eamque breviter et dilucide tractabimus, quam ut ea equitate regia Mtas. audiat, quam omnes sui subditi experti sunt, maximopere oramus et ea prudentia et pietate judicet, qua deus optimus maximus regium pectus ampliter illustravit. MDXXV.

Paucis ab hinc annis, quum renascentis evangelii gloria et miserantis dei gratia in apertum e tenebris cum multorum et gaudio et dolore prodirent, christianissime princeps, incredibile dictu, quanta celeritate per magnam Europe partem serperet, quam divinitus multis illuscesceret, quam mirabili consilio deus a se dilectos ad se pertraheret, quam subita ubique multarum rerum mutatio, quam varii denique passim tumultus, nulla enim prope civitas fuit, in qua non extiterit turba, etsi in alia lenior, in alia atrocior, quam videmus non solum hoc nostro infelici seculo, sed etiam olim fere primam evangelii predicationem comitatam esse, cujus hanc crediderimus causam esse, quum evangelici preconis officium sit duo denunciare populo: primum legem, deinde evangelium. Quod ita esse satis probant Christus Mathei V et Paulus ad Romanos II. Hic preco accusat omnes peccati quod legem non impleverint, quam ut, simulet quis ut citra carnis renovationem implere nunquam poterit, et damnat Phariseorum opera, quamlibet in speciem splendida reliquaque vite genera, que questus amittendi causa a Christi doctrina abhorrent, tum Pharisei, qui operum justitia se beatos ducunt, et illi questuosi jurgare, fremere et tumultuari inceptant, illi, quod sceleris damnari nolint, hi quod quidvis malunt quam rei jacturam facere. Hinc ille turbe exoriuntur. Est et tertium genus hominum, quod quum evangelium suave et amabile nuntium audiat, per veram fidem in Christum peccata remittere, salutem conferre, absque ullo operum beneficio, hi peronatis pedibus in hanc sententiam eunt, falsa fidei persuasione felices. Hi fere sunt impuri, scelerati, impii, palam malam ducentes vitam, quod evangelica libertate, que spiritus est, ad carnis libidinem nefarie abutuntur, scandali civilis et morum discipline et omnium honestarum artium securi, sacra profanis et, quod dici solet, celum terre miscent, qui ceu pecudes ventris voluptatem et luxum sectantur et mirantur, hos vel in corvos relegari vel in crucem attolli ex bono publico erat, quia suis flagitiis evangelii candorem aspergunt, cujus nomine immerito gloriantur et imbecilles ab illo sua vite turpitudine deterrent. His tribus hominum generibus tumultus ubicunque excitatos ferimus expensos, et si quid hic ea in re admissum est, illis debetur, quos homines diligenter verbo divino in viam revocamus. Qui si admoniti resipuerint, gaudebimus ovitulas amissas nobis restitutas, sin secus, palam impie viventes magistratus secularis fustuario corriget, ne vel istorum exemplo alii ad simile facinus pelliciantur, neve publica tranquillitas, quam illi perturbare solent, violetur, et horum flagitiis factum esse nihil dubitamus, quod nostra doctrina apud te, Serme. princeps, male audiatur, quod sycophantes eam talem esse apud tuam Mtem. accusarunt, que istorum turpissimam vitam approbet, quod secus esse jam nunc commonstrabimus.

Expurgatio

MDXXV.

Expurgatio de falsa religione et nova secta et blasphemia in Deum.

Primum nos, Illme. princeps, tanquam nove secte et false doctrine autores malevoli accusant, unde intolerabilis in deum blasphemia redundet. Grave crimen, atrox facinus et immane flagitium nobis objicitur. Sed hoc deus opt. max. a nobis miseris mortalibus avertat, nos vite datorem, eterne felicitatis viam et nostre salutis redemptorem, Christum, desereremus, alium sectantes, qui, cum precipites iremus, illo omisso, a quo non solum future vite, sed etiam presentis bone felicitates dependent, quemque solum universa scriptura nobis ceu certam salutis tesseram una voce commendat. Hoc deus prohibeat! neque nos tam detestabili scelere astringamus neve tam crudeli crimine hanc miseram nostram vitam inquinemus, et ut tua, sacratissime rex, prudentia, que singularis et incomparabilis est, queat doctrinam a nobis populo traditam, clare intelligere, et veram de illa sententiam ferre, fontem et caput paulo altius repetentes doctrine nostre tue Celsitudini declarabimus.

Nos natura esse filios ire et peccati populo denunciamus, quibus infusa et instillata sit vis quedam et energia ex primi parentis lapsu, que semper prona atque inclinata est ad deteriora et quod ex ipso Ada in omnem ejus posteritatem propagata et nature vitio inspirata sit non secus quam cancro pravus incessus nature vi ingenitus est, et quod hec nostra natura tam malis artibus imbuta nullaque divine gratie luce illustrata se diligat, se amet, se admiretur, suam venetur gloriam, suis commodis studeat et sibi velit esse bene, quodque hec vomica, e qua ceu cloaca omnia scelera fluunt, semper in nobis vivat, ardeat et estuet, et hanc esse, per quam omnes in Adamo mortui sumus, ut Paulus inquit, et per quam filii ire nascamur, ut idem autor est, hancque carnem in causa esse, quin spiritus dei non maneat in homine, ut liber Geneseos docet, et hinc esse illam apostoli vocem: non sentio in carne mea bonum, huncque esse illum stimulum, satis constare, quem fodientem in nobis sentiamus tantisper, dum anima in hoc caduco carnis hospitio moratur et quod hanc suam homo pravitatem innatamque vim, que carnem semper ad peccandum accendit, non agnosceret, nulliusque sceleris sibi conscius esset, ut est excecatus, nisi lex adesset, sceptrum exactoris, et virtus peccati, que mandat et damnat. Hic docemus, legem precipere: diliges dnum. deum tuum ex toto corde tuo et in anima et in tota mente tua, item: quod vultis vobis ut faciant homines, facitote illis. Carnem autem sese maxime diligere, sui amorem non posse ponere et cupere sibi ab aliis bene fieri, et non idem aliis prestare; legem precipere: domino fidendum esse et illum curam nostri gerere, carnem vero deo diffidere et a sua industria pendere idemque sentire, quod illi Ezech. VII. Non videt dominus nos, deseruit dominus terram. Nec ullo modo carnem posse legem implere, utut se componat, aut simulet, quod lex spiritualis sit et affectum et cor et hilarem animum requirat. Caro autem, sicut Paulus dicit, sua querat et legi dei subjici nequeat, quod idem docet Christus apud Joannem, dicens: nullus facit legem. Sic igitur homini peccatum ostendi per legem et mortis reum agi sedulo profitemur, et hic adesse evangelium, letum et amabile nuncium, nihil exigens, nihil mandans, omnia condonans, quod hominem consternatum et territum erigat et moneat de suo conatu desistendum, de suis

viribus

viribus desperandum, ad Christum confugiendum et confusam conscientiam per fidem ad illum errigendam illiusque promissionibus tenacissime adherendum esse omnemque salutis nostre spem in illo collocandam: illum esse semen mulieris, quod caput serpentis conteret, illum esse serpentem in palo suspensum, cujus aspectu lesi curarentur, illum esse, qui dicat: venite ad me omnes, qui laboratis! illum esse, qui venerit, non ut justos, sed peccatores salvaret, illum denique esse, qui pro nobis maledictum, peccatum, opprobrium factus sit, qui pro nobis passus, mortuus et in cruce sublatus sit, qui peccatum, mortem, inferorum regnum in triumphum duxerit. His firmissime credendum, exque istius scripture et verbi divini auditu nobis per divinam gratiam fidem dono dari, que animum nostrum illis promissionibus affiget, illasque imo pectori et menti mandet, hicque veteris Adami tyrannidem cessare, spiritus regnum incipere et hominem, quod contra omnem carnis sensum sit, novam creaturam fieri, et tum demum vere Christum diligere et timere et sibi displicere et agnoscere clare, per solam fidem in Christum se servari, nullo nec operum adjumento nec meritorum beneficio. Hoc verum esse, populo scripturis manifestissime probamus. Christus enim inquit: fides tua te salvam fecit, vade in pace! Et propheta: ex fide vivet justus! Et Paulus: iis, qui in Christo sunt, jam nulla est damnatio, per fidem enim inserimur Christo ceu surculus arbori! Et Genesi: credidit Abraham deo et imputatum est ei ad justitiam! et id genus innumeris scripturis sincere docemus populum, omnes, qui a condito mundo eternam felicitatem adepti sunt, fide in Christum assecutos esse. Si enim justificatio non esset ex fide, jam de totius divine scripture autoritate actum esse, quandoquidem tota scriptura in Christum spectat et desinit, et si nostris viribus nobis salutem afferre possemus, tum Christum frustra esse natum, frustra passum, frustra in crucem suspensum esse et omnem illam scripturam esse fabulam factam, quod semen mulieris contereret caput serpentis, et quod Christus pro nostris peccatis, maledictum, peccatum, opprobrium et propiciatorium factus sit. Item: ex operibus legis non justificabitur omnis caro in conspectu dei. Item: ecce agnus dei tollens peccata mundi. Item: si ex operibus legis justitia, frustra igitur Christus passus, absit! postremo: hec est vita eterna, ut cognoscant te solum deum et quem misisti, Christum. Fieri autem non posse, ut hec scriptura vana sit aut mentiatur, que est eterna veritas ex celo et mundo superstes erit. Stare igitur hoc et firmum esse ceu aheneum murum asserimus: fide sola in Christum nos servari, nec hanc fidem esse vanam hominis opinionem, quam quis homuncio naturalis ex concione male intellecta percipiat, sic in animo cogitans: satis tibi nunc est, audisti, credendum esse, credes, et interim nulla vite mutatio accedit; illum nebulonem esse et manere docemus, sed vivum dei impetum et impulsum, quo capiamur, feramur et divinitus ducamur contra carnis judicium ostendimus. Et sicut caro i. e. infidelitas sit omnium malorum lerna aut camerina quedam, quod sic quoque fides omnis boni limpidissimus et semper scaturiens fons sit, quodque ut illa ventris luxum admiratur, sua industria nititur, deo diffidit, ita hec carnem affligat, sibi diffidat, sibique maxima queque a deo polliceatur, et quod ut illa peccatorum et nequitiarum parens sit, ita hec spei, charitatis in proximum et omnium bonorum mater operum. Hanc doctrinam in tua civitate, tuo populo, ornatissime princeps, proponimus et reliquam canonicam scripturam,

 cui

MDXXV. cui vel minimum addere aut adimere, nefas scriptura pronunciat, quamque Petrus jubet sequi tanquam prelucentem nobis in his tenebris. Hanc illi quadruplatores sive novam sectam, sive heresim vocent, nostra nihil referre in animum nostrum induximus. Illud enim nos mirabiliter consolatur, quod apud te, talem principem, causa agenda est, qui non secundum ullius hominis gratiam, sed secundum divini verbi veritatem sententiam ferre honestissimum ducis. Hic jam, per deum immortalem, rogamus, clarissime heros, ut pro tua pulcherrima in literis prudentia et pro singulari erga tuos subditos clementia expendas, nosne simus nove secte autores, qui Christi doctrinam profitemur, lucernam ad eternam felicitatem viam monstrantem, an nostri calumniatores potius, qui cum hanc novam sectam appellent, que sola et vera salutis via est, necesse est, eos aliam heresim sequi, que a Christianismo aliena sit; et ita fit, ut illi in eo crimine hereant, cujus nos insimulant. Nos igitur blasphemie culpa liberamur et in ipsos transfertur, acciditque, quod sacrum proverbium testatur: impius in foveam cecidit quam fecerat. Nunc speramus satis perspicuum esse, nos nec false doctrine autores, nec blasphemos esse, quos severum dei judicium manet et quibus sic minatur: qui ceciderit super lapidem hunc, confringetur, super quem vero ceciderit, conteretur. Et quando doctrina, que caput est, bene habet, jam pergemus de reliquis nos expurgare.

Non esse blasphemiam in divinum sacramentum commissam et cur e templo sublatum sit.

Accusant, quod sacramentum Christi indignis modis a nobis tractatum sit, quod nostri malevoli nunquam fecissent, christianissime princeps, nisi Christi doctrinam hominum institutioni posteriorem habuissent, et nisi impium hominum errorem quam sanctum eterni dei institutum sequi mallent, nihil curantes divinam scripturam, que diligenter cavet, subinde monet, et severe precipit: nihil nos nec addere, nec adimere Christi doctrine debere. Hic enim temeritas hominum, ne dicam impietas, nimium sibi sumpsit, et sue libidini, que semper divina conspurcat, nefarie indulsit. Christus moriturus, quo perpetua sui erga nos beneficii memoria duraret, et quo illustre et sacrosanctum sue benivolentie erga nos signum relinqueret, quo nostram fidem confirmare, stabilire et corroborare possemus, novum testamentum instituit, ut corpus, quod pro nobis traditum est, sumeremus et sanguinem, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum, biberemus in memoriam sui, quo fides nostra vegetaretur et accenderetur ad conflictum adversus carnem, peccatum et inferorum portas certoque sciremus, nos in Christo victuros esse. Et huc evasit et irrupit immodica humana impietas et testamentum Christi violavit. Et quod ne cogitari quidem sine magno scelere potuit, sanguinem nobis intercepit, quo nostra peccata abluta sunt. Christus inquit: bibite ex hoc omnes! humana impietas vetat; ille jubet, de quo Deus dixit: hic filius meus dilectus est, ipsum audite; illi prohibent, de quibus Christus dixit: cavete a fermento Phariseorum. Quid igitur, christianissime rex, vis nos facere: hominisne impietatem an Christi doctrinam sequi? Nimirum dices cum Petro apostolo: oportet deo magis obedire quam hominibus. Illud nos quoque ratum habemus; sub utraque enim specie sumimus, sicut

sicut Christus instituit. Quam ob rem, si factum nostrum damnant, Christi institutum damnant, quod auditu horrendum et modis omnibus intolerabile est, adeo nihil pudere humanam cecitatem, ut etiam Christi pulcherrimum pro salute nostra factum vituperet. Sed monet illam severum dei judicium. Jam quod e ciboriis, ut vocant, sustulimus sacramentum, non cedit in dei contemptum, sed in ejus gloriam. Esaias enim clarus testis est, deum nolle in templis manufactis habitare, et preter Christi institutum esse, vel inde satis patet, quod ille inquit: neque in monte hoc neque in illo patrem adorari, sed in spiritu et veritate. Satis igitur perspicuum est, sanctissime heros, in his nos Christi auctoritatem sequi, non nostram stultitiam, que suas manus continebit, ne quid immutet aut renovet, preter Christi doctrinam, quam necessario cogimur sequi, vel salutis dispendio negligimus. Si tamen quis contendat, hoc citius nos fecisse, quam per imbecillium charitatem nobis licuerit, illi fatebimur, nos fragiles homines esse et haud scimus, an hac parte nonnihil delictum sit, sed in posterum lenius et moderatius nos omnia acturos esse pollicemur, quod tum imbecillium salus tum nostrorum officium postulat. MDXXV.

Nec in divam Virginem, Matrem, nec in Sanctos peccatum esse, et expurgatio de statuis e templis sublatis.

Porro nos deferunt, quod sanctissime et purissime virginis Marie et reliquorum divorum contemptores simus, quod nunquam facerent, nisi turpissimam calumniandi libidinem sequi, quam verum et honestum colere suavius illis esset. Nos divam virginem matrem et reliquos sanctos amplissimis et pulcherrimis a deo virtutibus divinitus exornatos predicamus. Verum nullo divorum merito, sed inenarrabili dei misericordia hoc factum probamus. Propheta enim inquit: omnis homo mendax; et Paulus: omnes conclusit sub peccato, ut omnium misereretur. Item: non est volentis, neque currentis, sed miserentis dei. Item: Jacob dilexi, Esau odio habui etc. Laudamus igitur dei munera in sanctis, que nobis ceu documenta sive exempla ob oculos posita sunt admirabilis et immense dei misericordie erga genus humanum, illumque liberalem et benignum parentem esse, ad quem solum confugiendum sit, testamur. Sed hic incredulitatem, veram omnis mali radicem, fingere Christum ceu tyrannum ejusque divos ceu tyranni aulicos, censet igitur aulicos sibi muneribus esse corrumpendos, per quos sibi ad dominum aditus sit. Hanc impietatem sacri doctorculi hactenus non extirparunt, quod illorum partium erat, sed corroborarunt, nec temere, uberrimus enim inde questus iis fuit, quandoquidem nemo prope hominum fuit, qui non divum tutelarem in celo haberet, quem certis diebus, certis officiis sibi demereretur, et tanta fuit fere peculiaris minimis cura, ut prope veri dei cultus prorsus omitteretur. Et si clienti paulo amplior res domi erat, tanto patronus felicior, aut enim sumptuosus instructus in templo fulgebat, aut domi molliter vestitus astabat. Estne hec notabilis impietas ex sanctis facere idola et scelus horrendum ex Christo tyrannum? Quod illos facere luce clarius est, qui patronum apud Christum sibi parant, de quo propheta inquit: ille scelera et languores nostros portabit; et Joannes: si quis sitit, veniat

 ad

MDXXV. ad me; item: ad me venientem non ejiciam foras; item: petite, et dabitur vobis; postremo Paulus: unus conciliator dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit semet ipsum pretium redemtionis pro omnibus. Quare recte asserimus: divos non adorandos esse, vel quod ipsi gloriam, que deo debetur, ut vivi fugerunt, ita ut mortui non agnoscant, vel quod scriptura precipiat: non habebis deos alienos; item: adorabis dominum deum tuum et illi soli servies. Quam ob rem nos non male meremur de divis, qui Christi dona in illis miramur, sed illi qui ex illis idola faciunt, quod et ipsi sancti execrantur, qui solius dei gloriam celebrari et predicari volunt et deus nullo modo ferre potest, quia, ut scriptura inquit, zēlotes est. Ex his satis superque perspicuum est, sanctissime princeps, quid de statuis sanctorum censendum sit, quas e templis sublatas esse delatores nostri sine fine vociferantur, quod non mirum est, ipsi enim saxe et trunci saxis et truncis delectantur et gaudent, nihil animadvertentes, quante impietatis simplici populo causa sint, qui illis divinum honorem habent, quod, ne fieret, deus prohibuit, ne quis sibi sculptile faceret et prophete aliquando idola, quibus divinus cultus habebatur, confringebant. Verum quum nos sciamus, deum cordium judicem esse, asserimus divini verbi virtute, ex animis hominum avellenda esse, et deinde nullo manus admovente paullatim collapsura, quamobrem non probamus hoc hominum genus, quod nostro tempore tumultuatur in subvertendis statuis, partim, quod imbecilles quosdam mire offendat, partim quod plus turbe quam bone frugis in se habeat, et quod hic ex uno aut altero templo idola elata sunt, temere magis quam consulto factum est. Nam quidam impuri et titulo tantum Christiani, quos diabolus semper instigat, ad traducendam evangelii gloriam, clanculum e templis statuas sustulerunt, hoc ubi illi resciverunt, quorum sumptu facta et quorum cura in templum deportate erant, ex uno templo aut altero communi magis concursu quam consilio statuas extulerunt, que res non tam valde noxia est, quam nobis vehementer displicet. Quare in posterum diligenter cavebimus, ne quid tale accidat, quandoquidem illa curanda sunt, que ad ecclesie edificationem conducunt, cavenda vero que vel minime nocent.

Monachos non esse hinc ejectos et cur aurum et argentum e templis collectum sit.

Monachos conqueri, se hinc expulsos, falsum esse ipsa res judicabit, et si illorum pertinacia et impietas hoc ipsum merebatur. Quum ergo illorum vite institutionem a Christo alienam esse videremus, quod hic precipiat: in sudore vultus tui vesceris pane tuo, et illi in otio non suo, sed alieno vescantur et fatua et ridicula precepta a sese commenta superstitiose colant, e quibus sibi sempiternam felicitatem pollicentur, quum deus apud Esajam dicat, item evangelistam Matth. se frustra coli mandatis hominum, et Paulus ad Eph. gratis per fidem servati estis, et quum etiam vitam contra proximi charitatem institutam et doctrinam nec puram, nec piam, oculis palam cerneremus; quia sibi, non proximis vivunt, quum scriptura dicat, quod non nobis sed proximis vivendum sit, et doctrina ad suum vite genus corroborandum comparata, et non ad evangelii gloriam omni creature predicandum composita: egimus tum illis, quod christiana charitas postulat, ut sue vite institutum

tutum a Christianismo non esse alienam probarent, quod ut facerent, nec senatus auctoritate compelli, nec sui ordinis amore, aut religionis pietate adduci potuerunt. Ad hec non satis illis erat, quod aliorum bene parta ceu fuci male dilapidarent, sed etiam seditiosis clamoribus omnia perturbabant, et falsa doctrina multos illaqueabant. Quamobrem omnes in unum cenobium conclusi sunt, ne malum dare possent civili reipublice statui aut Christianismo, ibique ne qua re egerent, civitas pro christiane charitatis officio sedulo curatura erat. At monachi, ubi suam existimationem amissam, sanctitatis opinionem periisse, splendidam hypocrisim detectam et questus faciundi occasionem sublatam esse viderunt, ut est superbum et impatiens hominum genus, alio migrare placuit, ubi questus uberior et vetus sue hypocrisi honor esset, et ita sua sponte dilapsi sunt, non a civitate expulsi. Novimus enim, Christum precipere, ut sinamus inter triticum zizaniam crescere, et propterea prius communi et senatus et populi consilio e templis aurea et argentea vasa collecta sunt et apud senatum deposita, ne fugitivi illi aliquid earum rerum conveherent, quas a civitate expilaverant, cum quibus se in pedes conjicerent, et diligenter prospectum est, ne hec vasa distrahantur, sed asserventur in usum pauperum et in presidium tue civitatis atque regie Majestatis. MDXXV.

De Ceremoniis in Ecclesia et ordine, quem sublatum falso accusant.

Nihil tam bene dici aut doceri potest, quod male narrando et astute calumniando depravari non queat, quam ob rem, si hanc legem recipimus, ut cuivis liberum sit cavillari, magnam fenestram aperiemus improborum nequitie, et reliquum est, ut omnes boni a preclaris et honestis conatibus desistant, quos maligni virulenta lingua semper insectantur, siquidem horum sceleri quam illorum virtuti major honos habetur. Nos docemus Christianos, qui per fidem Christo implantati sunt, omnes esse sacerdotes, omnes esse reges, omnes esse liberos, quantum ad spiritum attinet, sicut Petrus inquit: vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis etc. et Paulus ad Gal. V.: in Christo Jesu non est Judeus, non est Grecus, non est masculus, non est femina, non est servus non est dominus, sed omnes unus sumus in Christo; hic nullus ordo nulla singularis personarum auctoritus, sed popularis illa equalitas est et celebratur. At vere Christiani vix pauci reperiuntur, nam vulgus hominum, qui Christiani salutari gaudent et haberi volunt, longissime fere absunt a Christo, qui labris eum tantum honorant, non corde, qui quum in Christo non sint, eos legi subjectos esse quis dubitat? Siquidem Paulus docet: legem injustis esse positam, hi partim civilium legum autoritate a maleficio coercendi sunt, partim ceremoniarum institutione ad Christum protrahendi, quandoquidem Paulus ad Gal. III inquit: legem pedagogum in Christum esse. Quam ob rem ordo necessario in ecclesia constituendus erit, qui ceremonias, que edificent, instituat, que pro tempore mutari possunt. Apostolus enim inquit: ne vexemini decretis, quibus pueri exerceri, erudiri et formari possint, ut paulatim ad cultum dei assuescant, donec robur in sacris faciant et in Christo grandescant, nec pueri modo, sed omnes horum similes, et idem ordo verbum dei populo denunciet.

MDXXV. denunciet. Sunt igitur eligendi episcopi et diaconi tales, quales ad Timotheum et ad Titum nobis Paulus depingit, vite sanctimonia et sacrarum literarum peritia juxta excellentes et omnibus eximiis virtutibus clari, qui christianam rempublicam pie administrare queant et qui non minus sancte quam utiliter in illa versari possint. Quam ob rem ordinem non submovemus ex republica christiana, quod homines ad calumniandum nati vociferantur, sed tantum nos disciplina et institutione ab illis variamus, nos juxta Christi institutum juxta apostolorum disciplinam, juxta sacrarum literarum sententiam omnia in ecclesia, munera exequimur; illi vero secundum consuetudinem, quam ceu per manus a majoribus suis, hominibus male piis, acceperunt, et secundum mandata humana et secundum vana stultorum hominum somnia. Nos scripturam sequimur, de qua Christus dixit: ne apicem quidem ab illa periturum esse, illi vero eos, quibus Christus minatur: omnis plantatio, que non est a patre meo, eradicabitur. Jam quis non videt, nos hic nihil peccare, illos autem atrox flagitium patrare, qui primitive ecclesie, que sola pure christiana fuit, institutum deserunt? impia hominum commenta amplectentes, quum episcoporum officium sit in ecclesia omnia ad divinas literas tanquam ad amussim exigere, quapropter sicubi a divinarum literarum puritate aberraverimus, ut sumus homines, illi, qui nos ad eas revocarint, magnam apud nos inibunt gratiam, tantum aberit, ut illis parum equi simus.

Pudet nos propemodum, maxime et augustissime princeps, tam multis apud tuam regiam Mtem. agere, cui singulari dei opt. max. beneficio contigit, tam admirabile omnium illustrium ornamentorum et pulcherrimarum virtutum specimen et decus, ut pro felicissimi ingenii acumine et pro exactissimi judicii dexteritate et pro eximia sacrarum rerum cognitione de causa vel nude et tenuiter proposita, facile sententiam rege omnium seculorum maximo et prudentissimo dignam feres, queque sempiternam sanctissimi et christianissimi principis laudem posteritati testaretur. Quamobrem et nos et nostram causam tibi, religionis christiane et evangelice glorie studiosissimo, commendamus, cui divino et humano jure subjecti sumus, nihil ambigentes, quin tua Amplitudo hoc decernat et constituat, quod tue sempiterne apud posteros memorie gloriosum et communi omnium subditorum saluti saluberrimum et ad gloriam eterni dei et domini nostri Jesu Christi celebrandam aptissimum sit, qui tuam regiam Mtem. nobis ad regni felicitatem pariter et ad anime salutem diu incolumem et florentem in suam laudem servet.

CXV. Altera eorundem Gedanensium purgatio seu excusatio vel potius accusatio.

Cod. Kom. Avertit a nobis ad tempus omnipotens deus vultum suum benignum per furorem verbum suum humano generi subducens, quum autem bona sua foret voluntas, immisit misericors deus salutiferam famem verbi sui iterum in orbem instrumenta sua suscitando, que tum scripto, tum viva voce purissimum tritici granum sine quibusvis humanis additamentis ac perniciosis glossematis

matis in fines orbis terrarum circumferrent ac dilatarent. Insuper divine litere germano ac sincero sensu typis sunt excuse, ita ut lectio eorundem librorum omnibus legere scientibus in ambabus linguis, et germanica et latina, immo greca et hebrea manifesta facta est. Hinc sequutum, ut homines exacto judicio in lectionem scripture inciderunt, hinc et inde scripture locis invicem collatis ac eo divino impulsu et ordinatione tam ex lectione quam auditu ventum est, ut homines ipsi manibus et pedibus (quod in proverbio est) manifestissime errorem, deceptionem ac seductionem deprehenderunt et intellexerunt. Id quum passim per totius orbis ambitum sparsum esset contigit temporis tractu, quod cum aliis mercibus hoc preciosum margaritum in regiam urbem gedanensem advectum est. Ubi vero auribus populi id foret inculcatum, incredibile dictu, quam fervens amor divini verbi mentes eorum obsedit. Sed proh dolor! ne unus quidem repertus, qui boni consuluisset, aut vices plebis sollicita cura perpenderet, quin potius contemnentes dei, suam vocationem omnigenis gratiarum donis refertam leviorem pluma estimati sunt. Et hoc quidem forsitan ferendum, si per seculares (quod vocant) tali culpa non fuisset prestitum; sed huic periculo, ne etiam per eos, qui se haberi volunt spirituales, obviam itum est, immo in tam ampla civitate nec unus nec alter aderat pastorum. Quod si forsan aliqui eorum, quorum admodum pauci fuerant, gregis cure domi invigilarent, nihil tamen sane doctrine, sed tantum hominum somnia ac figmenta miseris hominibus proposuerunt. MDXXV.

Nec vulgares viri in monasteriis secularibus, penes quos summa rerum tum erat, se junxerant, qui magno serio ac ceu e plaustro divinum verbum oppugnaverunt ac multis variisque dolis petiverunt; sed quanto magis in divinum verbum facti sunt injurii et contra illud se objecerunt, tanto magis in hominum cordibus (nam ita sua natura comparatum est) crescere cepit firmiusque radices suas egit, ita ut verbum ipsum semper triumphans, primas tenuit. Nec fieri potuit, quantumvis humana ratio cecam suam temeritatem exornare satagebat et insanire ac furere cepisset, quin ejus ignominia universo orbi redderetur manifesta atque perspecta.

Progressu autem temporis, quum admirandis modis in salutem hominum deus opera sua promovisset, sepe universe plebis nomine majoribus placide, humiliter et magno conatu supplicatum est, tum petendo tum hortando, ut habita superne Mtis. ratione, coram qua nos omnes, nemine excepto, manifestari oportet, per singulas concionatorum classes sive religiosi, sive seculares forent, salutiferum dei verbum sincere, pure, sine omnibus humanis additamentis, sicut vere germana ejus natura est, populo proponeretur, quandoquidem nihil esset, quod tum maxime populus postularet, qui jam omnia erroris esse plena pernosceret. Quam petitionem plebis, cum sepe senatus pollicitus esset, se impleturum, haud quicquam sequutum est, quinimo eandem semper pulsantes cordam (ut in paremiis est) nihil in templis resonabant concionatores, nisi somnia, inanes glossas atque figmenta humana; nec cessatum est, licet sepius promissum et tentatum, nequaquam tamen impletum aut satis factum, sed magis omni conatu et potentia renitebatur.

Ad diem autem dominicam ante eum, qui divi Sauli conversioni sacer est, contigit, ut duodecima hora pomeridiana juxta consuetum morem in majori templo e suggestu ad populum fieret declamatio, in qua plurima turba senum ac juvenum, divitum ac pauperum promiscuo modo

MDXXV. modo ad audiendum verbum divinum convenerat, ubi quilibet pacifice, quiete et citra omnem tumultum usque in finem et tactum prime hore sedit et permansit. Soluta autem concione, dum quisque suas edes petere statuisset, terrifica fama exorsa est, quam et factum evidens comprobavit: quod magistratus jam capite diminutus sub tempore concionis preter spem atque opinionem cum suis complicibus arma arripuerit, ac omni apparatu bellico forum, quod in civitate est, occupasset, insuper certos suos nuncios tunc sicuti jam ante ipsum diem fecerant, ad certas tribus civitatis ac aliquos artifices misissent, ut citra omnem moram, armis suis instructi, sub fide regie Mtis. prestita civilique sacramento, ad se in forum venirent, portas denique per civitatis circuitum ad alias civitates respicientes et ad campos patentes firmissima custodia clauserunt, claves denique a civibus, quibus commisse erant, acceperunt. Populum, qui in forum ad hoc inauditum et fedum spectaculum conspiciendum cursitabat, non solum represserunt, verum verberibus adfectum abigebant, vicos, qui viam in forum patefaciebant, catenis ferreis, que olim facte erant, occluserunt, machinas bellicas majores ac minores, tum etiam omnis generis non in parvo numero versus publicum fori aditum ordinaverunt illucque equorum ac hominum ministerio duxerunt, signa denique publice in foro erexerunt. Quid plura? In omnibus, que tum agebant, nihil aliud fecerunt aut suis factis pre se ferebant, quam si aperto marte ac instructo agmine cum manifestis hostibus manus forent conserende, et quicquid bellice supellectilis universa plebs suis nummis ac impensis pro hostium insultu a multis annis summa fide congesserat, hoc omne in perditionem suorum civium ac fratrum vertere nitebantur. Sicque suam exercentes tyrannidem, furore ac ira estuantes cum omni bellico apparatu, quem vel humanum ingenium excogitare poterat, ordine juxta militarem disciplinam factum, forum civitatis occupaverunt.

Dum hec stupidis animis plebs et qui divino verbo adherebant considerassent, ex intimis precordiis territi sunt audientesque tam horrendum tamque indignum suorum majorum ad arma concursum, metu humano, (qui certe talis erat, ut in constantem juxta ac constantissimum quemque caderet) in quendam alium locum civitatis fugerunt et secesserunt, attamen nihil per temeritatem agebant, sed semper benigne rem ipsam tentantes, duos vere pietatis viros mansuete, sine armis ad eos in forum miserunt, rogantes et petentes, quidnam in regia urbe, ubi nulli essent hostes, tam horrendus ad arma concursus pre se ferret, et contra quos, aut ob quam causam fieret, explicarent. Non enim sperarent, eis ullam occasionem esse datam, qua permoti repentino cursu arma arriperent, suis quoque civibus se tam horribiles preberent aspectu.

Ad hanc interrogationem amarulento animo majores civitatis responderunt: hi sunt fructus jam dudum predicati evangelii, hi se nunc luce meridiana clarius ostentant. Quibus dicti duo viri summa quadam animi modestia responderunt: per deum vos precamur, optimi majores ac domini, sanius captate consilium, sitis tranquilli animi, nihil adversi vobis continget, sunt enim adhuc cives ac subditi vestri in altera parte civitatis pacifice sine tumultu congregati, nec quicpiam hostile in animum suum induxerunt. Sed non potuerunt hec monita apud eos proficere, quinimo dicti duo viri et nuncii multis contumeliis et opprobriis, Christianis minime dignis, ab eis adfecti, tanquam captivi in pretorium detrusi et ingenti

tumultu

tumultu detenti. Ceterum majores civitatis cum suis adherentibus aciem suam juxta militaris discipline institutum cum machinis et omni apparatu bellico dextre ac probe instruxere. MDXXV.

Quibus tum actis et ubi hec ad plebis notitiam pervenerunt, videlicet quod majores sui tanta animorum duritia adversum eos se erexerant tantamque tyrannidem attentassent (quamvis ex eorum medio dicti majores ad plebem seu communitatem multis inanibus sermonibus nuncios suos miserunt, servantes, quid in animo haberent, nihilominus dicti nuncii benevole sunt expediti et remissi, hoc unum duntaxat ab eis humiliter petebant, ut eos viros, quos captivos detinerent, libertate donarent. Quam petitionem populi majores non solum denegarunt, verum aliquos de eorum classe tanquam ad carnificinam tradendum postularunt, quod justis dignisque rationibus cives permoti, tanquam homines christiani, minime faciendum censebant) magno quodam et inenarrabili timore sunt perculsi, nec minus facere poterant, quin etiam factis rem tentarent, ut se ac suos tum liberos, tum universam denique substantiam securam facerent. Et unam portam civitatis ejecerunt, ne huic furori et tam ingenti malo, quod sui majores in animo versabant, locus preberetur. Sicque ab hora diei pomeridiana, qua hec a majoribus cepta sunt, usque in profundam noctem universi cives pacifice sine tumultu in suo loco permanserunt, nec inde dimoti sunt. Deinde etiam manifeste, dum ultro citroque varii sermones habiti sunt, ubi de sedando tumultu ageretur, deum optimum maximum testém invocaverunt, non fuisse nec esse ejus animi, ut vel in pilo quemquam lederent, sed si quisquam foret, qui eis vim inferre tentaret, hunc eo in loco operiri vellent et eundem suis contueri luminibus. Hanc semper antea et etiam adhuc eorum esse et fuisse sententiam. Dum enim majorum suorum horrendum furorem conspexissent, haud secus facere potuerunt, ut tanto melius tuitioni, securitati et defensioni suis consulerent. Hanc sententiam sepe sepiusque, dum urbis divisa in armis staret, repetitis vicibus nunciis abrogati magistratus pro responso plebs dedit. Dictum denique est, uti hanc firmiter servare vellent, ita nihil aliud ab eis fore expectandum, quod etiam in progressu factis ostensum et comprobatum fuit.

Utcumque hec omnia gesta sunt, omnipotens et misericors deus in medium tanti tumultus se demisit ac sue pietatis nube nos omnes operuit, ita ut tota hec tragedia (deo opt. max. sit perpetua laus, gloria et summus honos) sic peracta est, ut nullus hominum sive in rebus suis, sive corporibus lesus sit, immo ne in pilo quidem, quin potius, divina cooperante benignitate, in gratiam pro divino, christiano ac laudabili modo, que fundata est super divino verbo debitoque fidelitatis in vram. sacram Mtem. studio ac incremento prosperoque successu reipublice ab omnibus et singillatim universis itum est, maximis, firmissimisque sacramentis dictam concordiam stabiliendo. In qua quidem mutua gratia universa communitas toto evo cum magnis ac pusillis, cum bonis ac corporibus suis, insuper cum omnibus, quecunque in hac mortalium luce habent, permanere vult et intendit, sperantes et certo certius sibi pollicentes, cum hec ipsa concordia honestissimis fundamentis sit nixa, videlicet in deum opt. max., item in debitam subjectionem, observantiam s. vre. regie Mtis. et universe reipublice utilitatem fieri non posse, ut quisquam mortalium, immo ac inferorum quidem porte juste ac legitime eam oppugnare aut evertere valeant. Quum quidem, ubi hec fundamenta salva ac integra persistunt, sicuti optimi dei auxilio semper

 manebunt

MDXXV. manebunt inviolata et non mutabuntur (potius enim rueret celum et parerent mule, ut est in proverbio) existimat et sibi persuadet universa communitas, nihil esse sub sole, quod nocere aut officere nobis posset et animum sacratissime vre. regie Mtis. offendere.

Ut autem hec christiana pax, sic ut premissum est, libere inita, tanto maturius ab omni parte servaretur, confirmaretur et corroboraretur perpetuisque duraret temporibus, ideo unanimiter per omnes tribus totius civitatis fuit acceptata, condonantes ex animo et intimo corde omnem errorem, qualitercunque ille foret admissus, ex christiana fraternaque charitate, promittendo nullo unquam tempore in jacturam aut detrimentum alicujus eundem in memoriam revocare. Que omnia literarum munimentis fulcita sunt et stabilita, constanti firmaque fiducia sperantes, quod sacratissima regia Mtas. huic concordie christiane non solum suum adjiciet calculum, verum eandem in perpetua tempora valituram, gratiose dignabitur confirmare. Ut exinde in posterum e mentibus hominum omnis suspicio, quam aliquis sibi concipere posset, penitus amoveretur, et nos post hac sub deo opt. max. et sacratissima vra. Mte., tum in unitate fidei tum subjectione fidelitatis usque in finem seculorum quietam vitam agere et ducere possemus. Quod etiam sine aliquo impedimento factum iri omnes credimus, neque per nos ullo pacto violabitur, quin potius universa communitas in eadem concordia perpetuo permanere deliberavit cum omnibus suis fortunis ac bonis volentes potius sanguinem suum fundere, quam quod dicta fundamenta in minimo ledi aut violari deberent. Quod sacr. regia Mtas. certo sibi persuadeat et firmissime credat.

Hinc etiam errori non modicam occasionem dederunt, qui nobiscum monasticam profitebantur vitam, quoniam in omnibus, quod suum erat, querebant seque semper summis adjungere studuerunt et per omnem temeritatem, indurata cervice humanis traditionibus hominum conscientias non solum illaqueabant, quantumvis a deo et Christo Jesu, nostro servatore, pretiosissimo thesauro, non quidem auro, vel argento, sed suo sanguine in libertatem, que secundum spiritum est, sunt asserte, verum perpetuo a deo ac unico servatore nostro in sua somnia et hamana inventa confictasque fabellas deduxerunt. In quibus omnibus usque adeo indurati permanserunt, ut neque precibus neque adhortationibus, neque scripturarum testimoniis aut suorum oratorum manifesta ostensione, quicquam apud eos obtineri potuit, aut in meliorem frugem eos vertere, quamvis apud eos quam benignissime crebro tentatum est, petitumque fuit ab eis, licet minime impetratum, ut rationem haberent mirabilium operum dei, quibus nunc mundus per divinum verbum exagitatur, nec deo tanta temeritate reluctarentur. Sed non cessabant in dies magis ac magis prava sua doctrina civium animos turbare et eos quotidie revocare ad jurgia. His omnibus denique tentatis, postremo ut omnis lapis moveretur et omnia ex fundamento scrutarentur, propositum fuit eis et dictum, si ex divinis literis ordinem ac statum suum simul atque doctrinam ostenderent et probarent, cuncta illis forent admittenda, que divinis literis per eos fulciri et obtineri possent. Cum ne hoc quidem vellent subire, iterum res grandis eis oblata est, videlicet: ut his, qui in cenobiis permanere vellent, christiano legitimo ac honorifico modo, victu et amictu, immo esculentis ac poculentis aliisque vite necessariis providerentur: hocque sic servandum eis sub christiana fide fuit promissum. Que omnia ignominiose per omnem

contemptum

contemptum subire recusarunt, non obmittendo insurgere contra deum et adversus illum cervices erigere omni pertinacia, in suggestu aperte, in domibus ac suis symposiis clanculum, apud denique privatas personas virus suum et impiam doctrinam effundentes. Unde factum est, ut in diversitate doctrine mentes hominum in pugnam vocarentur et in tam atrocissimum errorem inciderunt, ut nisi deus opt. max. sua benignitate rempublicam servasset, non fuisset possibile ab humana ratione eam conservari. Quod si in civitate regia Gedanensi duntaxat ex monasticis hic error fuisset coortus, posset quispiam existimare hac nostra querimonia, illos indigne gravari, sed revera apertissime veritas docet (proh! deum atque hominum fidem) ut passim in omnibus provinciis et civitatibus, immo pene toto orbe ex hoc hominum genere omnis error, omnis tumultus, omnis denique controversia oritur; atque ita cum eis comparatum est, ut antea quam deo honorem darent, paterentur potius universum interire orbem modo eorum inventa, traditiones et excogitata dogmata integra et salva persisterent. Conservabit tamen deus suam gloriam, nec dabit eam alteri. MDXXV.

Quoniam autem hi, qui magistratu destituti sunt, liquide tanquam osores divini verbi sunt reperti ac multis aliis defectibus et erroribus obnoxii, insuper in sui magistratus destitutionem et prememoratam unionem atque concordiam publice consenserunt et posthac nos cum eis ac ipsi nobiscum concordibus votis consensimus, christiano more pacifice et fraterne vivere, ideoque nos et universa communitas certissimam de sacratissima regia Mte. spem concipimus tanquam de naturali nostro et hereditario domino, quod nullo pacto civitatem gedanensem suis mandatis arcebit, ut contra sacramenta per nomen summi dei sub patulo hujus celestis orbis prospectu facta, contra divinitus datam et inspiratam concordiam ac pacem, contra denique pacta et federa mutuo inita et diplomate firmata jamjam electos et ad magistratum vocatos (quorum imperium gratissime ferunt) destituant, ac reliquos ex antedictis et postea latius deducendis causis destitutos, nequaquam in pristinum ordinem restituere, potissimum quum universa plebs, omnes, qui sic exauctorati sunt tanquam charissimos fratres suos et vicinos sustinere vult et sufferre, atque simul cum ipsis in omnibus divinis, equis, justis ac legitimis actionibus animam, opes et bona sua exponere. Insuper quantum nobis agnitum est atque perspectum, nemo illorum hactenus ullam fecit querimoniam, aut de sui capitis diminutione quicquam gravaminis aut foris aut domi in medium attulit. Quod si contingeret aliquem ex eis, qui sic destituti sunt, in hoc casu vel alia in re querulari, aut sibi irrogatam injuriam esse, vel ullum gravamen pretexerit, et communitas ipsa, vel nos eorum nomine de hujuscemodi querelis certiores redderemur, visis denique articulis et perspecta qualitate cause, parati sumus ad eorum objecta dignis rationibus respondere.

Preter hec fundamenta et has legitimas causas ac rationes ad immutationem regiminis, christiana communitas gedanensis haud modicam ex subsequentibus motivis sumpsit occasionem: nempe sic semper compertum est, ut civitas ipsa gedanensis a tempore antiqui pruthenici belli, in quo cives ipsi summa animorum alacritate suam substantiam profuderunt, in opibus erarii publici, non solum augeri non potuit, verum adeo angusta reddita, ut nihil reliqui, quo in necessitate respublica foveretur, in ipso erario permaneret. Quin etiam

 sequutum

MDXXV. sequutum est, ut misera turba civium semper multa et infinita gravamina passa est, que omnia sicut oves patientissime sustinuerunt, et citra aliquam murmurationem de una exactione in aliam consenserunt, utpote in datias plurimas, quas axisas (quarum pene infinite) vocant. Item de centum marcis decem, rursus de domibus, item de redditibus sive censibus, item de marca una pruthenica solidum unum. Preterea cives suos ipse magistratus ad mutuandam pecuniam penis carcerum adhibitis compulit, semper exinde augmentum erarii publici sperantes, maxime in tam multis preteritis annis, quibus in pace ac tranquillitate civitas ipsa fuit, et ubi pertinaces illi Crucigeri, qui se multis artibus ad bellum et rebellionem pararent, caput erigerent et sacre Mti. vre. ac ejus subditis (sicuti etiam factum est) bellum vellent inferre, tantum ex erario publico sumptuum sumi posset, quantum ad tuendam regiam civitatem et conservandam illam in debita obedientia s. Mtis. vre. hostiumque insultum reprimendum sufficeret. Preterea omnia menia, fosse et quicquid propugnaculorum circa civitatem regiam his annis factum est, citra gravamen erarii publici per civium nummos erecta sunt et edificata, et tam difficiles exactores pecuniarum ipsi majores se prestiterunt, ut ne infime sortis hominibus parceretur, immo in eorum conspectu nec misere muliercule, que fuso stamina ducentes victum tenuem sibi parant, gratiam vel veniam flendo impetrare potuerunt. Que quidem collationes pecuniarum in erarium publicum plebis animos erexerunt, ut sibi persuaderet et crederet, quod ex illis atque aliis civitatis redditibus aliquis thesaurus utique esset conflatus. Sed longe aliter, quam omnium fuit opinio, quum serio negotium foret agendum et bellum jam in limine esset, res cessit et universe communitati (quod auditu erat horrendissimum) dictum est: nullam penitus in erario publico esse pecuniam. Hec vox, quamvis immensam et terrificam formidinem animis omnium civium incusserat, tamen resumpto animo et viribus collectis, se ipsos, utcunque potuerunt, juvarunt et consolati sunt, sustinentes omnia onera, que ipsis imponebantur, pro honore dei opt. max. et decore sacre Mtis. vre. ejusque obedientie conservatione, quam etiam tam manifestis argumentis palam fecerunt et manifestissime testati sunt in hoc recentiori bello, ut ipsis omnino persuasum est, hoc s. Mti. vre. et universo orbi esse perspectissimum. Ex his facile colliget Serma. vra. Mtas., in quo horrore, formidine ac pavore ipsa tota civitas majorum suorum negligentia tunc in tam presentissimis malis et anxietatibus sita fuit et collocata. Attamen tum in posterum, utcunque fortuna se inclinaverit, deo bene juvante, fideles subditi Mtis. vre. non secus, quam viros constantes ac fortes decet, se gerent et ostendent, non formidantes se exponere et objicere omnibus periculis cum corporibus, rebus ac fortunis omnibus.

Hec atque similia, alie denique gravissime rationes non immerito permoverunt plebis animos, ut non semel, sed multis repetitis vicibus a majoribus suis rationem a multis retroactis annis exigerent et peterent, in hunc duntaxat finem, ut scire possent, quenam causa esset tanti incommodi, ut neutiquam erarium publicum augeri et in immensum crescere posset, interim tamen, omni honestate in dedita obedientia se erga suos majores exhibendo. Quam postulationem plebis senatus omnibus modis fugiebat, et ad certum annorum numerum torquebat. De qua sententia et voluntate ipsa communitas fuit contenta et obmissis multorum annorum curriculis, totam rationis faciunde summam in annos duntaxat XX transtulerunt.

lerunt. De qua mutatione et ipse magistratus gratus fuit. Attamen non servatum neque satisfactum est proprie eorum sententie. Ex his omnibus haud parvam displicentiam plebis animi conceperunt; immo quidam suspicio, sicuti vra. s. Mtas. et quivis facile conjicere potest, orta. Quoniam non satis sermonibus explicari potest, quam ingens pecuniarum summa et diverse contributiones in publicum erarium sunt relate et institute, ultra omnes proventus ac redditus, que ipsa civitas gedanensis singulis annis recipit, quod revera mirum in modum pauperes et miseros cives pressit, et quidquid talium aut similium rerum (ut rem in summa dicamus) a communitate, candido pectore a majoribus petitum seu postulatum est, id semper pilo levius existimatum est et tenui aure commissum. MDXXV.

Nec parum movit universam plebem multus numerus senatorii ordinis, quibus adhuc quadraginta octo adjuncti erant, et quod passim jam in hunc jam in alium trahebant ordinem, quem vellent et quemadmodum tam amplus numerus rebus publicis plurimum solet officere, sic et civitati gedanensi non parum incommodi peperit, insuper non pauci defectus orti sunt in senatu, quibus ad varias preces plebis nullum remedium est adhibitum.

Tandem quum et deo factum eorum displicuisset, facti etiam sunt pro majori parte divini verbi osores, ostendentes se, sicuti jam ante auditum est, in ea palestra strenuos et diligentes homines, donec ad sumenda arma se converterunt, sicque sue temeritati expensum ferant, quod et plebs arma arripuit› quoniam nullus sciebat, qualiter, cui aut contra quem hec fierent aut tentarentur, et quamvis quum in durissimam partem res pervenit, favor fortune in contemptam cohortem se inclinavit adeo etiam, ut in eorum omnes forent potestate; attamen e suo loco non sunt dimoti, immo palam nunciavernnt reliquis totiens, quotiens cum eis sermo habebatur: quod nullum hominem, ne quidem in pilo, ledere vellent, si autem quispiam eis vim ullam facere tentaret, hoc in loco stare vellent, et freti auxilio Jesu Christi eos expectare et cernere, qui mala eis conarentur inferre et pro se fratribusque suis corpora et fortunas expondituros. Ex his omnibus palam factum arbitramur et satis persuasum vre. s. Mti. regie, ac omnibus mortalibus, quod in animis plebis seu communitatis nullius tumultus faciundi fuit meditatio, sed quieti permansissent, si sui majores pacem et tranquillitatem servare studuissent.

Omnibus jam dictis peractis et postquam per diversos internuncios eo ventum est, ut tota civitas in mutuam rediret gratiam, omnes juxta ac singuli cives omnia, que admissa erant, sunt obliti, rationem, quam paulo ante multis de causis, sicut dictum est, postulaverant, magistratui condonarunt et remiserunt, omnes denique, qui sic ad arma ad opprimendum plebem convolaverant, sine aliqua ultione tanquam fratres suos in domino susceperunt et in summa omnia preterita condonando, ipsos etiam nunc et in posterum (si saltem vitam christianis bonisque civibus dignam cum eis amice agere studuerint) tanquam fratres, vicinos et amicos habituros. Quod officium eis revera prestitum nec ipsi inficias ire possunt. Mirum enim dictu est, quam amice, quam fraterne, quam denique christiane cum eis actum est, etsi in alteram eorum partem fortuna se inclinasset. Nondum persuasum habet plebs, si in eorum oculis eam invenissent gratiam, idque vre. Mtis. aliorumque judicio relinquunt.

Hoc tamen palam universa communitas coram vra. Serma. Mte. ac suis dignissimis dominis consiliariis

MDXXV. consiliariis ante omnia testatum velit, quod quecunque jam antea de illis, qui magistratu sunt destituti recensuimus, non sunt ex plebis aut nostra sententia recensita aut dicta, ut quempiam eorum incusare vellemus aut expostulationem aliquam facere, aut eos invidia aut indignatione aliqua coram vra. Mte. onerare, ut de eis ultio sumeretur, quoniam intervenientibus gravissimis sacramentis per nomen summi maximique dei alterutrum fidem servandam juravimus et promisimus, sed eo animo atque intentione relata sunt, ut vra. Serma. Mtas. tanquam justus arbiter factum universe communitatis non absque dignis gravissimisque rationibus tentatum intelligeret, pernosceretque totius hujus tragedie fundamentum.

Persuasum denique habent fratres nostri domi agentes, tum singuli tum universi, quod et illi destituti sui juramenti et promissi memores sibi ipsis consulentes in causa hac, jam sopita et transacta, quiescent. In eventum vero (sicuti antea dictum est) quod quispiam eorum sive viva voce sive in scriptis expostulationem facere vellet, et hoc ipsum communitati aut nobis eorum nominibus esset detectum, parati sumus in hac causa coram vra. sacratissima Mte. ad quevis eorum objecta respondere atque adeo eorum querimonias retundere et diluere, ut satisfacto animo vre. Mtis. non solum illa, verum cuncti mortales aperte intelligant, ipsam communitatem nihil unquam perperam egisse, sed urgentissime gravissimeque rationes factum suum coram sacra Mte. vra. excusabunt; si vero pacificam ac quietam ducentes vitam nobiscum minime ex jure manum conserere pergent, quicquid eis promissum est, fideliter servabitur, sperantes, quod vra. sacra Mtas. clementissima suis oculis fidissimos suos subditos contuebitur et eosdem in bona quietudine, pace ac mutua concordia ex innata regali pietate perpetuo conservabit.

Vitio nobis datur, sacratissime rex, quod patrias leges, statuta, jura et plebiscita mutuaverimus, sed si emuli nostri acutius rem perpendissent, non fuissent adeo proclivi, cuncta in pejorem interpretari partem; nam antea sepe id ipsum per multos vigore privilegiorum nobis a divis progenitoribus sacre Mtis. vre. concessorum atque non pridem ex singulari gratia Mtis. vre. benigne confirmatorum hec provincia tentata est, licet parum feliciter. Neque existimet vra. Mtas. sacratissima et nunc in illis legibus condendis quippiam per temeritatem esse actum, sed multo magis magna maturitate per eos, quibus hoc munus fuit delegatum, ejusce rei cura est suscepta, qui suo sudore ante hunc nostrum adventum ultimam manum addidissent, nisi multis occupationibus in varias legationes ad exoticos principes et civitates a cepto fuissent avocati, speramusque futurum, ut cum primum in lucem prodierint et se Serme. Mtis. vre. prospectui subjecerint, non egere aliquo externo testimonio, sed abunde sese satis commendare; maxime cum universa plebs statuit, ut sequentibus singula jura, statuta atque plebiscita fundamentis essent innixa: primo, ut quantum fieri posset, divino verbo conderentur quam simillima, deinde in omnibus debitus Mtis. vre. honos et humilis subjectio servaretur, postremo ad utilitatem ac prosperitatem reipublice tanquam ad amussim singula exigerentur. Sicuti igitur nobis persuasum est, hec a nemine improbari posse, ita facile credimus, vram. s. Mtem. pro rerum ac temporum conditione suorum subditorum vigilantiam non nisi gratioso animo interpretari.

Admirari deinde licet, sacratissime rex, perfricatam invidorum frontem, qui nos traducunt coram vra. Mte., ceu aliorum proventuum ac censuum videlicet domini epi. cujaviensis occupatores

occupatores essemus, quod justis ac dignis testimoniis nemo mortalium comprobavit, nec unquam eorundem solutionem interdiximus, sed ipsa necessitas ac temporum molesta difficultas docent, quid egentes ac miseri coloni faciant obmittando. Hoc autem (testem vocamus deum) ingemiscendum ac dolendum censemus, quod illi, qui officiis episcopalis dignitatis presunt, nullam rationem habent vel temporum vel inopum, aut quid omnium humanarum actionum gnomon, charitas exigat, sed eo omnibus modis, viribus ac conatibus tendunt et assidue cogitant, quomodo pauperes expilent et in gravissimis exactionibus suis dominis gratificentur, non magnopere curantes, si egeni illi atque aliorum subditi compelluntur, cum uxoribus ac liberis exilium capessere. Hinc domus atque bona redduntur deserta, agri manent inculti, toti denique pagi ac ville rediguntur in nihilum. Quanta autem inopia miseri coloni nunc premuntur, adeo manifestum est, ut probatione non egeat. Quandoquidem super hec ferrea tempora, que deus ob scelera nostra immisit in mundum, paulo ante gravissima bella jamjam per sacram Mtem. vram. (cui post deum hoc ipsum acceptum ferimus) sopita, inciderunt, que revera pauperibus non solum fuerunt onerosa, verum adeo attenuati sunt ex illis, ut ne multorum quidem annorum ubertate ea damna resarciri possunt. Quod palam est, cum dominis suis justum pensum solvere nequeunt. Quare confidimus, Rmum. dnum. episcopum cum suis officialibus facile moveri ut cum egenis et inopibus patientiam habeant et exerceant misericordiam, non secus atque Christus nobiscum, versantes ob oculos presentium temporum calamitatem donec et quousque deus opt. max. placidiora et magis frugifera de sua benignitate fuerit largitus. MDXXV.

Nec sumus nobis conscii, sacerrime rex, quod de burgrabio Mtis. vre., qui regalium judiciorum administrandi tenet facultatem, aliquid quod vel animum Mtis. vre. posset offendere, aut pristine non responderet consuetudini constitutum aut sancitum sit; sed studebimus per omnia in hoc casu nostrorum privilegiorum sequi tenorem et eam ob rem nunc, flexis poplitibus, studiosius rogamus: sacra Mtas. vra. unum ex illis octo, qui in scheda descripti sunt, eo munere pro hujus anni spatio decorare dignetur. Quod si forte jam dudum antea quicquam de burgrabio per alios statutum sancitumve fuerit, ipsi, qui harum legum autores sunt, viderint; non credimus id nostra referre.

Quis non ferret indigne, sacratissime rex, eam fabulam, quam nostri Zoili comminiscuntur de ignominia Reverendo in Christo patri dno. dno. Joanni, archiepo. Gnesnensi, legato nato hujusque inclyti regni Polonie primati, irrogata, quem profecto ingredientem regiam urbem magistratus et cives comitiva centum et amplius equorum honorifice exceperunt et ad fores sui hospitii perduxerunt, debito quoque ac digno honore suam Rmam. Dtionem. perpetuo tempore, quo in civitate versabatur tanquam primum a consilio regio prosequentes neque minori celebritate in suo egressu comitatus. Que omnia pio gratiosoque adfectu sua Rma. Dtio. suscepit, nullius unquam illate ignominie memor, licet quotidie unus aut alter consulum sue Rme. Dtioni. colloqueretur. Nec scire possumus, qua specie, quove modo facta sit, quum nec quispiam e sua familia de hac re nutu fecerit mentionem. Itaque credimus, apud vram. sacratissimam Mtem. et etiam suam Rmam. Dtionem. innocentiam nostram plus valere, quam obtrectantium inique spicule eamque ob rem cunctos adversantes justo judicio repellere.

Quod

MDXXV. Quod autem attinet ad causam Rmi. dni. Cujaviensis, cujus profecto in hoc vicem dolemus, quod preter spem tam inopinatus casus sue Rme. Pti. acciderit; sed revera non nobis, aut civibus nostris, sed magis susurronibus illis, quibus semper invida mens est, expensum ferendum arbitramur, qui suam Rmam. Ptem. multis variisque technis eo perduxerunt, ut multis persuasionibus magistratus posthabitis, non est passus sibi persuadere, quod reliquorum (et certe majorum, quod debita prefatione honoris dictum volumus) consiliariorum adventum expectavit. Quinimo petitus et hortatus a suo cepto divelli non potuit, quamvis eundem sacrificum, qui in carcerem erat detrusus, ipse magistratus promitteret sue Rme. Dtioni. sistere velle; nec tamen impetrari potuit sententie mutatio, demum promiscua plebs eundem vinctum eripere tentans, quis erat, qui potuit prohibere? Invaluit enim rumor, quod multos alios cives sua Ptas. Rma. destinasset mittere in carcerem; attamen non obmissum est, quantum nobis constat, tum per oratores, tum per varias literas suam Rmam. Stem. ad pristinam gratiam revocare et ejus animam mitigare. Itaque universa communitas gedanensis sacrat. Mtem. vram. petit humiliter, sibi non imputari, quod aliorum errore admissum est.

Ex quibus vero causis plerique cives, qui divitiis ac opibus pollent, inanem quendam timorem sibi conceperunt, quasi in civitate secure vitam agere non liceret, nec conjectura, Serme. rex, subditi vre. Mtis. assequi possunt, tantum abest, ut solido fundamento quisquam nixus rem tam fedam evulgaret, quod facile quilibet mortalium deprehendet, si preteritorum memor, universorum civium benivolentiam in suos persequutores dignis argumentis expendet, siquidem quum in ardore tam periculosi tumultus universa plebs illis, qui sibi male volebant, et tum erant in eorum manu, pepercit et ab omni vindicta se temperavit. Qui fieri potest? ut jam quum in deo et per deum in mutuam benivolentiam itum est, jam tale quidpiam in animum suum inducerent, quo bonis civibus nocerent? Absit, ut quispiam talia cogitet, tantum abest, ut factis impleatur, qua de re Serma. vra. Mtas. facile per conjecturam etiam certissimam assequi potest. Quod has et similes technas emuli nostri et cetera impiorum turba, que semper pavida est et fugit, nemine persequente, dolosis consiliis excogitant, quum nullo modo sui dicti veram rationem adferre possint; immo manifeste domi post tumultum per plebem res bene gesta eos in faciem coarguit et rubore perfundit. Nempe quum ad diem Martis post dominicam, que individue Trinitati solet sacer haberi, universa communitas totius civitatis gedanensis in majori templo fuit congregata, omnia, que tum agenda erant, concordibus animis atque votis pacifice, quiete et amice tractata sunt et conclusa, ita ut omnium una mens, idem animus idemque sensus fuit. Ad amputandam autem et extirpandam quamcunque sinistram opinionem iterum atque iterum in diversis concionibus e suggestu universis denunciatum est, ut quilibet omnem timorem deponeret nihilque formidaret, nam magistratus omnes bonos probos ac honestos tueri vellet et quoscunque impios, immorigeros et pacis publice turbatores dignis penis afficere. Quod si forte in tam populosa civitate, ubi homines varii generis diversarum linguarum, variorum studiorum (nam hic artificium aliquod callet, hic operas nauticas exercet, hic a multis annis crudelem et sanguinarium sequutus est martem) inveniuntur, qui nonunquam lingue habenis laxatis non semper, que commodum adferunt, aut sale condita sunt,

sunt, loquuntur, id neminem certe terrere debet; cum per eos non stet, neque in eorum potestate sit, publicam violare pacem. Nam major pars inhabitantium et civium tanquam veri Christiani pacem diligunt et suos fratres benivolentia amplectuntur, imo viribus omnibus injuriam repellent juxta legum severitatem. Et ut finis medio ac principio respondeat, nihil unquam tentabunt s. Mtis. vre. subditi, nisi quod perspexerint ad laudem summi maximique dei et gloriam ac fidissimam subjectionem s. Mti. vre. ac denique ad communem reipublice utilitatem parandam. Nec irrita facient, que dei virtute et gratia firmata sunt, persistent denique in predictis fundamentis usque ad sanguinem, si vero quispiam verbo aut facto per temeritatem ea infringere conaretur, non sperant S. Mtis. vre. subditi, ut S. Mtas. vra. eundem a legum severitate vendicabit. MDXXV.

De rebus, que ad religionem spectant, Sacrat. rex, nunc hic ordo dicere postulat, sed quoniam ejusmodi res et negotia humanum exuperant sensum, ne scilicet plus aut minus quam rerum tante molis dignitas exigit, dicatur, neve multis longioribusque verbis pientissimas vre. Mtis. aures obtundamus, quum adhuc multa sint dicenda, ad que festinat oratio, facturos nos opere pretium sumus arbitrati, si in tenuem papirum tanta misteria formulis literarum delinearemus et Sacrat. Mti. vre. digna debitaque veneratione ad legendum porrigeremus. Id quod nunc summa humilitate prestamus.

Altera legationis classis.

Excruciat mirum in modum, Serme. rex, animos subditorum vre. Mtis. pertinax temeritas vicinorum suorum Thorunii habitantium, qui obsoletam et jam diu, tempore fraterne Mtis. fel. mem. divi Alexandri, diffinitam et decisam causam ceu ex specu Trophonii in lucem revocare videntur et suum emporium in perniciem, damnum et jacturam, nedum civitatis gedanensis, verum etiam totius regni et aliorum dominiorum ac prelatorum, palatinorum, baronum ac procerum ejusdem per summam audaciam cunctis reclamantibus tenere, non attendentes vetustissima federa ac pacem perpetuam, non jura, privilegia ac inviolabiliter conservatas consuetudines (que in talibus humanis actionibus magni ponderis sunt) quibus libertas illa omnium rerum defluitandi sat firmata est; quis tandem pauperum ac inopum damna pensabit, qui pro ementium voluntate ligna, picem et alia id genus istic vendere coguntur. Ante aliquot annos, dum post mortem plocensis presulis, cum quo aliquando Rome jure certabant, primum hanc suam pertinaciam tentassent atque adeo firmiter omnia occluderent, ut ne Gallum unum gallinaceum demitterent, visum est illis, qui tunc reipublice preerant, ut familiari quodam colloquio cum Thorunensibus in publicis comitiis privatim pro bona civitate conservanda de hoc depositorio sermonem facerent, imo ultra hoc literis sepe sepiusque admoniti, ne hanc rem in perniciem boni publici tanta temeritate facerent, daturos se omnem operam ac studium, ut saniori quodam consilio reipublice eorum succurri posset. Sed talia atque multa, que cum eis pro bono publico acta sunt, plane sunt contempta neque studuerunt S. M. V. mandatis parere, quibus sepe commissum est, ne istam liberam defluitationem impedirent; quare Sacratissimam vram. Mtem. humili mente petimus: dignetur in hoc casu bono publico totius regni gratiose consulere et suos fideles

MDXXV. fideles subditos in pristina libertate clementissime conservare, sententiam maturo consilio a deputatis commissariis latam et per fraternam Mtem. confirmatam in debita exequutione demandare, ut hac lite tandem composita, quilibet sua libertate frui possit et gaudere.

Orta est quedam controversia inter Rmum. dnum. presulem varmiensem et civitatem gedanensem occasione bonorum civitatis gedanensis, pro qua causa sua Rma. Dtio., ignorantibus nobis, certos commissarios pro suo beneplacito a S. Mte. vra. impetravit. Die a commissariis dicta, dum et nos pro honore sacre Mtis. vre. coram eorum tribunali comparuissemus, pro nostra parte petitum est, ut dni. commissarii hujus cause bonam rationem habere vellent, attento, quod lis esset de bonis hereditariis totius civitatis, que non nummis tantum, sed sanguine civium in preteritis gravissimis antiquis bellis essent ex regia benivolentia obtenta, dignarenturque admittere, ut nobis quoque a S. Mte. vra. commissarios impetrare liceret, qui cum eorum Dtionibus. rem oculis primum contuerentur, visis juxta antiqua privilegia et indulta utriusque partis limitibus, tandem quod justum et equum esset decernentes. Quam postulationem tum justam, tum equam, tum denique jure fundatam ab ipsis commissariis nuncii nostri minime impetrare potuerunt, quamvis, si annuissent, neutra partium quicquam damni sensisset; sed precoci quodam judicio ad sententiam definitivam processerunt, haud citra gravamen et minime ferendam injuriam universe civitatis gedanensis. A qua eorum sententia nuncii civitatis unico oppressorum remedio se relevarunt, appellantes scilicet ad Sermam. Mtem. vram. — Cui quidem appellationi, ut par erat, dicti commissarii honorifice detulerunt, dantes nobis apostolos reverentiales. Nos igitur volentes nostram prosequi appellationem, sacre. Mti. vre. humiliter supplicamus: dignetur et nobis certos commissarios pro tempore nominandos designare, qui simul cum illis, quibus antea hoc munus a sacra vra. regia Mte. delegatum est, bona memorata, de quibus est questio, diligenter, presertim quoad vetustiores limites ac reliquam rerum earundem qualitatem, lustrent et revideant et demum juxta privilegiorum ac donationum priscarum vim et tenorem diffiniant.

Magna ac gravi admodum injuria, Serme. rex, premuntur subditi Mtis. vre. a nonnullis vicinis principibus idquê etiam cum derogatione jurisdictionis Mtis. vre. Primum quidem Illmus. princeps ac dnus., dnus. Joachimus, marchio brandeburgensis, sacri rom. imper. elector et archicamerarius, civitatem gedanensem pro alieno debito, quod in preterito pruthenico bello dux Prussie, tunc magister generalis, apud quendam Antonium Wiusz ejusque familiam contraxit et post defectionem Braunspergensium illis ipsis solvendum injunxerat, dictus autem Antonius in civitate gedanensi super eorum bona jure arestum posuit. Ubi tandem res in contentionem partium pervenit, ipsi Braunspergenses mutandi seu declinandi fori causa ad suum competentem judicem se provocarunt. Quam quidem provocationem haud fas erat (vetusta consuetudine et statuto terrarum Prussie id disponente) denegare; inde motus est dictus Antonius coram suo principe nos accusare, tanquam eos, qui sibi justitiam denegassent, et eo perduxit ejus animum, ut cives et mercatores nostros victus parandi gratia Lipsiam in nundinis publicis frequentantes non quidem eundo, sed redeundo cum rebus, bonis ac corporibus detinuit, nec ante liberos dimisit, quam corporali juramento prestito sponsionem facerent, ut sub certo termino suo subdito sesqui mille floreni rhenenses

rhenenses deponerent, aut illi detenti se in suis personis in Berlinum pro certo tunc prefixo termino sisterent. Nostri cives hoc graviter ferentes, jure Braunspergenses ad consulendum eorum indemnitati in causa ad eos penitus non pertinente coëgerunt. Qua tandem vix sopita causa sua Illtas. simili modo cuidam Jano Reich, qui amplum olim uxoris patrimonium ex civitate gedanensi accepit, licet ere alieno gravissime pressus, tales repressalias concessit et Serme. vre. Mtis. subditos, cives gedanenses, in reditu ex Lipsio cum bonis tam Francfordi quam Berlini detinuit; ipsis tandem dimissis, bona eorum in hunc usque diem sub aresto tenet, nec potuit satiari sue Illtis. animus. Quod subditi Mtis. vre. et quorum intererat se multis modis obtulerunt in hac causa, si quam injuriam suus subditus esset passus, Mtis. vre. atque ordinariorum judicum cognitionem minime supterfugere; sed nihil profecerunt, imo magis ac magis lacessitus preter omnem juris et equitatis ordinem judicem francofordianum et berlinensem coëgit, ut subditos Mtis. vre. in dicta loca per literalem citationem ad sua tribunalia certo aliena pro festo decollationis S. Joannis et feria tertia proxima sequente evocare non erubescerent. Quod certe sine contemptu Mtis. vre. fieri minime potuit. Qualem etiam sententiam subditi Mtis. vre. isthinc sint reportaturi, facile vra. Mtas. expendet; licet istic non comparebunt ad contestandam litem, sed duntaxat procuratorem mittent, qui exceptiones fori declinatorias proponet; tamen verisimile est, quod dicti judices non minus contra absentes quam presentes sententiam dicent et promulgabunt. Quam ob rem oramus Mtem. vram., ut illa dignetur fideles suos subditos contra dicti Illris. principis sevitiam tueri, cui etiam in preterito bello pruthenico malus conatus in vram. Mtem. et suas terras non defuit. Id autem nostro judicio (salva saniori sententia Mtis. vre.) commode fiet, si Serma. Mtas. vra. regia sua autoritate pares vices rependerit indulseritque fidissimis suis subditis patentibus literis, ut ubique in terris ac amplissimis dominiis vre. Mtis. subditi dicti principis simili onere premantur, eos tum in bonis, quam in suis corporibus detinendo, donec et quousque ex integro subditi Mtis. vre. omnium suorum damnorum plenam obtinuerint solutionem. Si enim principi in alienos subditos ultra dignas exhibitiones factas hec licent, quanto magis Serme. Mti. vre. hoc jure competit, cujus autoritas in hoc labefactatur et contemnitur. MDXXV.

Nec mediocrem jacturam subditis Mtis. vre. videntur facere Illres. duces Pomeranie, si quidem et illi vetustissimam et jam dudum antiquatam causam captivorum denuo renovant, quam vra. Mtas. sepe ad satietatem usque audivit, multis denique laboribus per suos oratores apud olim Illrem. Boguslaum, dum inter vivos numeraretur, egit. Pro qua benivolentia Mtis. vre. summas gratias nullo evo intermorituras agimus, licet in hunc usque diem istic mille et quadringenti flor. rhenen. in puro auro ac justo pondere detinentur, illo non attento neque aliis gravaminibus pensat quod videlicet durissimis olim carceribus cives, qui damnum patiuntur, erant occlusi sine omni noxia, nunc tandem eos vigore sponsionis facte in pristinam obligationem revocant. Petimus igitur: s. Mtas. vra. opportunis literis fideles suos consolari dignetur, ut nummis restitutis, amplius subditos vre. Mtis. non molestent, aut quod causa ista in proximam conventionem consiliariorum Mtis. vre. et suarum Illtum. suspendatur, istic tandem, quando id superioribus diebus neque

 Gedani

MDXXV. Gedani neque in comitiis (licet valde a nobis sollicitatum) factum non sit, super ea re citra ulteriorem dilationem mutua consilia et tractatus habituri.

Nolumus etiam vram. sacrat. Mtem. ignorare, quod ingens predonum ac latronum sevitia tam in terris Prussie, quam etiam in dicto ducatu in dies magis ac magis incrudescit, ut vix cuiquam tutum sit iter ad urbes hinc inde petere, licet sue Illtes. perditis illis hominibus sint infestissimi, nec cessant magna penarum severitate eorum malitiam opprimere, tamen in finibus hinc inde delitescunt et damno facto alio migrant illicque ad tempus se continent, donec occasione accepta, aut in terris vre. Mtis. aut in dicto ducatu homines spoliant. Et si in recenti facto infectantur cum primum limites attingunt, sunt securi, quoniam fas non est fines transgredi et anteaquam officialium assistentia imploratur in latebras suas confugiant, fitque hoc modo, ut eorum scelera maneant impunita, inde latrones isti perditissimi, sumpta majori audacia, magis ac magis ad majora flagitia perpetranda inflammantur. Huic tam ingenti ac crudeli malo, quod mirum in modum affligit Rempublicam, obviam ire per salubria consilia subditis vre. s. Mtis. videtur, si Sacra. vra. Mtas. hortaretur moneretque dictos Illres. principes, quatenus subditis Mtis. vre. citra offensionem suarum Illtum. liceret hujusmodi latrones in eorum dominiis etiam si jam limites dicti ducatus essent transgressi, persequi, et comprehensos in proximum judicium puniendos pro facti qualitate offerre.

Rursum hoc ipsum subditis eorum licere in dominiis vre. Mtis., ubi hec essent evulgata, haud parum tam impudentes frontes concuterentur, nec auderent in viatores facile suam tyrannidem exercere; quia vero civitas gedanensis inter omnes alias maxime hoc malum sentit, summa devotione flagitant, ut S. vra. Mtas. dignetur illis gratiose indulgere, ut tales latrones libere in dominiis vre. Mtis. persequi et comprehendere possent, quatenus tandem extirpatis securitas viarum publicarum ubique habeatur.

Sunt etiam istis diebus duo monasteria videlicet Carthusianorum et Olivense in ditionem Mtis. vre. recepta, quod subditis Mtis. vre. summe placet; petunt tamen, ut vra. s. Mtas. illis, qui curam eorum gerunt, ita rebus provideant, ne subditis Mtis. vre. aut mercatoribus ceterisque peregre victum querentibus damnum aliquod ex eisdem inferatur.

Opus habent in causa quadam, que vertitur inter Lubecenses et civitatem gedanensem literis promoticiis Mtis. vre. ad Illmum. Danie regem et item ad illius regni dignissimos consiliarios, quoniam prefati Lubecenses, nedum civitati gedanensi, verum omnibus civitatibus Prussie ingens spatium terre pro usu saliendorum halecum in Scandia, per olim regem Woldemirum datum et concessum, adimere et abstrahere volunt, quod multis annis in nostro usu habuimus. Sacra itaque vra. Mtas. justitie nostre benigne favere dignetur, et quantum expedire videbitur, suis commendaticiis gratiose juvabit.

Tertia classis.

Quantis malis, quantis incommodis, quantis denique inextricabilibus difficultatibus causa illa senticosa Ferberiana, que ab aliquot jam annis coram s. Mtis. vre. tribunali in lite volvitur, civitatem gedanensem et ejus incolas affecit, nemo est, qui ignorat, que etiam sicuti fedum

fedum et abominandum sumpsit initium, ita etiam perdurum ac gravissimum sortita est exitum. Nam in initio seniores tunc existentes hanc in Ferberium tulerunt sententiam, videlicet, quod ipse sui honoris immemor tanquam profugus patrii soli aufugisset et jam de facto juxta statuta ac plebiscita civitatis esset condemnatus. Eamque ob rem in causam illam Ferberianam nullas ex publico erario fieri impensas neque in futurum equum unum eam ob rem sella onerare, quoniam magistratus causam istam ad se sumeret. Quomodo autem huic sponsioni satisfactum sit, apertus docuit rerum eventus. Nam aliquot milia in hanc causam sunt expensa. MDXXV.

Nunc autem in fine quam gravissimam et omnium mortalium auribus horrisonam peperit sententiam tenore ejusdem plane indicat, quam ne in minima quidem parte civitas ipsa regia relevata sit, sed omnino a vertice usque ad pedis plantam damnatione percussa. Quod revera non aliunde evenisse autumant Serme. vre. Mtis. subditi, quam ex commissariorum inordinato novo et inconsueto processu, quem inprimis Marienburgi, deinde Thorunii, ac demum Stargardii tenuerunt, ita ut nunquam ipsa civitas regia testis sibi in causa illa opportunos producere potuit, sed infinitis modis per dictos commissarios gravata ad suum jus non pervenit.

Utcunque hec gesta sunt, attamen subditi Serme. vre. Mtis. maxima cordis sui anxietate ac sollicitudine hanc causam ob oculos versant, in primis enim eos gravis admodum et valde dura Mtis. vre. sententia vehementer et anxie premit, maxime quum gravissimis penis sit vallata, ut si contraveniretur, necesse esset, civitatem ipsam funditus perire atque adeo, ut ne edificium unum, imo nec nomen ejus sub hoc celo amplius maneret.

Ab altera parte vre. s. Mtis. fidissimi subditi secum in animo volvunt immensam ac nullis sermonibus explicandam invidiam, qua ipse Ferberius sese in universa plebe oneravit. Cui etiam multis de causis sicut in toto cause processu Ser. Mtas. vra. tum scriptis, tum viva voce satis abundanter et copiose audivit, ipse occasionem prestitit, satisque erit inter innumeros hanc unam renovasse, quod ipse tanquam caput primarium et supremum civitatis statuta, jura ac plebiscita urbis, que ipsemet condidit et acceptavit, violavit, que merito totis viribus cum assistentia suorum vicinorum usque ad sanguinem ab eo fuissent defendenda et manutenenda et, illis violatis, tandem sua sponte e civitate profectus est. Hinc factum est, quod sepe sepiusque Mti. vre. obsequiose et humiliter fuit nunciatum, quod universa communitas nullo modo illius hominis presentiam pati aut ferre potest, cujus animi adhuc permanent in hodiernum usque diem.

Hec vie sibi ex diametro repugnantes aciem visus nostri obnubitant atque adeo una adversus aliam pugnat, ut pene meror mortalis nos obsedit, quidnam sit faciendum. Nam ab una parte urget ac stringit nos dura ac gravis sententia vre. Mtis., ab altera vero parte impatiens adversitas persone Eberhardi, qui civibus nullo pacto est ferenda. Utinam in tam supra modum anxia difficultate deus opt. max. suam benignitatem et gratiam nobis impartiri vellet, ut possemus recta via incedere, ne hic aut alibi impingeremur, id nobis admodum salutare esset.

Quare humillimis precibus maximo quo possumus studio obsequentissime rogamus, ut Sacrat. vra. Mtas. suis fidelibus subditis eam gratiam exhibere velit et benignum suum consilium nobis

MDXXV. nobis in hac tam difficili, tam ardua tamque intricata causa non denegare, sed gratiose detegere et impartiri, ut in omnibus casibus possemus esse tuti et aliquando hujus rei habere finem, ne in indignationem Ser. Mtis. vre. caderemus, neve dictus Ferberius sua presentia civibus domi agentibus (qui illum ferre non possunt) contrarius esset et onerosus.

Aut si Mtas. vra. consultare suis subditis nollet (quod non speramus) id saltem liceat a Mte. vra. Serma. precibus impetrare, ut vel penes dominos et amicos aut nobiscum et inter eos mutua consilia caperemus, ut tandem ab hac molestia esse possemus alieni, tantum hoc uno adjecto et obtento, quod rigor sententie Serme. Mtis. vre. tam precipitanter regiam suam urbem non premeret; quandoquidem nobis et universe urbi regie persuasum est longe melius de Serma. Mte. vra., inclito suo regno et aliis dominiis, tam in vetustiori quam etiam recentiori bello in omni fidelitate esse meritos, quam quod ob gratiam unius hominis tota communitas in tam gravissimam indignationem rejici deberet.

Quod si nec hoc impetratum foret a Mte. vra., rogamus summis precibus, quod tota ista causa in eo statu sicuti nunc est citra jacturam regie sue urbis suspenderetur usque ad faustissimum vre. Mtis. adventum (qui nobis antea jam nunciatus est) in Prussiam. Ibidem Sacra vra. Mtas. apud nos existens propriis suis luminibus ac gratiosis auribus singula audiet et contuebitur, nos vero omnes et singuli a majore usque ad minimum, qui modo sunt, aut in posterum nascentur in debita sacre Mtis. vre. fidelitate et subjectione cum fortunarum omnium ac vite et corporum expositione sedulo ac in perpetuum permanebimus et potius vitam cum morte commutaturi quam quicquam contra hoc admittere.

Est et quedam vetusta causa ac lis cuidam Tilemano Herszfelt cum sepedicto Ferberio, qui certe cum Gedani olim habitaret civibus suis gratus fuit, is senioribus nostris apprime per Illrem. ducem Prussie est commendatus, cui hanc petitionis schedulam etiam dedit, in qua petit omni devotione S. vre. Mti. commendari. Ex qua S. vra. Mtas. omnium rerum positionem plane intelliget; igitur et nos humili mente poscimus: S. Mtas. vra. ex sua autoritate Ferberio mandare dignetur, ut arbitris in terris Prussie, qui rerum ac mercium supputandarum peritiam haberent, ab utraque electis parte causam istam tandem citra juris strepitum hactenus servatum terminent et finiant, ne idem Tilemanus cum uxore sua amplius in deflendo exilio detineatur, confidentes omnino quod S. Mtas. vra. dignabitur nos in hoc casu gratiose exaudire.

Accepimus ante paucos dies a majoribus nostris, quomodo Leonardus de Voynaw, judex terrestris districtus Derschoviensis, temere et per omnem contumeliam, dum domum suam post confirmatam sententiam, a qua ipse appellaverat, repeteret famatum Philippum Bischoff in itinere et in civitate gedanensi palam in sue fame diminutionem traduxit, asserens eum trina vice coram S. Mte. vra. sacro sanctum evangelium abjurasse, et quod id esset professus, non sponte sed metu esse factum. Insuper antequam idem Philippus domum rediret, dictus Voynowski in antiquiori oppido scabinos judicii suis vafriciis circumvenire voluit, petens ab eis testimonium certum super bona Mutterstrentensia etiam post latam sententiam Mtis. vre., asserens S. Mtem. vram. hic Cracovie prefatum Philippum Bischoff sub stipulatione detinere, donec ipse cum tali testimonio se vre. Mti. sisteret. Que revera indigne fert idem Philippus et eam ob rem petit: S. Mtas. vra. suis severioribus mandatis hominis

hominis impudentiam coërcere velit, ne sua loquacitate eidem Philippo noceat aut apud quemcunque sibi detrahat. MDXXV.

Non possumus etiam, Serme. rex, sine ingenti animi merore coram Serma. Mta. vra. referre, que nobis istis diebus hic in hac regia acciderunt, mallemus profecto potius silere et salutarem labris digitum (si liceret) admovere, sed ne nostros humeros tantis oneremus periculis, tum apud S. Mtem. vram. tum apud cives et fratres nostros domi agentes, urget nos necessitas, id quod palam gestum est in propatulo etiam referre. Nos, qui majoribus statibus debitum semper honorem impendere studuimus, in animum induxeramus sub absentia Serme. Mtis. vre. dum illa ob infinitas curas animi laxandi causa in venationem abierat, Rmum. dominum Cujaviensem salutandum, ut si quid acerbius sua Ptas. de nobis agitaret, nos audita mente sua studeremus animum suum vel bonis informationibus humiliter edocere aut verbis mollibus et mitioribus precibus iram et indignationem ejus frangere. Posteaquam suam Ptem. salutassemus, cepit multa de rebus nostris in medium adducere, excusans se, quod nobis nunc adesse non posset, et inferens: vos me habetis hostem. Quibus verbis permoti modico servato colloquio leniter et cum summa humilitate respondimus, volentes a tanta acerbitate animum sue Rme. Dtionis. avocare. Sed dum non profecimus, conclusimus breviter rem in presentia Ptis. sue et aliorum astantium: quia aliter fieri non potest, commendamus causam nostram deo. opt. max. et sacre Mti. regie, clementissimo dno. nostro, et sic discessimus. Rogamus itaque s. Mtem. vram., ut nobis, qui hic sumus, gratiose consulat, ne moles ista in nostris humeris conquiescat, neve eos, qui domi sunt, contra nos irritemus, si Rma. Dtio. sua aliquid durius in civitatem nostram regiam moliretur, aut si fieret, ipsa civitas gedanensis suas etiam tueri partes auxilio Mtis. vre. cogeretur. Non enim equum censemus ab illis expectare hostilitatem et inimicitias, qui merito adversus hostes nos tueri deberent. Quicquid autem vra. Sacratissima Mtas. consuluerit, hoc ipsum humiliter suscipientes aliis, qui nos miserunt, suo tempore fideliter referemus.

CXVI. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, datum Nunciis Gedanensium.

Tomicius dixit.

Persuasum habuit S. Mtas. regia, cum vos benignissime literis suis dudum admonuisset de iis, que adversus fidem et religionem sanctam catholicam ac etiam adversus autoritatem suam regiam patrata esse in civitate vestra fama cognoverat: Cod. Korn.

Cumque vos Mtas. sua cohortata fuisset, ut tam templa et monasteria spoliata totumque ordinem ecclesiasticum turpiter ac insolenter ejectum, qui primum illic a majoribus ejus Mtis. fundatus est et protectioni Mtis. sue subest et in quem vobis nihil est vel juris vel autoritatis quam etiam magistratum ac officiales depositos, qui ejus Mtis. locum tenent in omnibus et ex integro restitueretis.

Persuasum

MDXXV. Persuasum inquam habuit Mtas. sua, quod ad ea clementissima et justissima sua monita et mandata vel parere jussis ejus Mtis. vel aliud responsum dare, quam a vobis accepit, in animum induxissetis.

Verum quum legatio vestra, prolixe ille apologie vestre verbis quidem subjectionem, obedientiam et fidem pre se ferentes, re autem ipsa nulla ex parte voluntati et expectationi Mtis. sue satisfactum esse, nec ut fiat in posterum vos velle abunde declararunt.

Idque pretextu verbi dei quasi Mtas. sua quidquam contra verbum dei niteretur, aut ignoraret, quid contineat evangelium, quales sunt effectus et fructus verbi dei et quales verbi apostolici, quos nunc etiam et ceci vident.

Cum tamen Mtas. sua pro verbo dei, ut christianum decet principem, semper stetit et stare vult, ac illud juxta sensum et intellectum universalis ecclesie, que illi sola fidem facit non juxta virulentas obtrectationes et commenta apostatarum, qui illud libidini et nefariis facinoribus operculum faciunt, complectitur ac veneratur.

Et proinde una ex parte perpendens ejus Mtas. debitum ac officium christiani regis exemplumque aliorum principum ac nationum orbis christianie perpendensque quod non conveniret, ut ejus Mtas., que hactenus sanctam religionem catholicam pro virili sua adversus potentissimos hostes tutata fuerit, illam in regno ac dominiis suis ab insolentibus et sacrilegis prevaricationibus labefactari et profanare permitteret; ex altera parte vero considerans ejus Mtas. humiles supplicationes vestras, considerans merita majorum vestrorum et dignitatem civitatis sue gedanensis, quam semper ejus Mtas. singulari gratia est prosequuta, ac nolens ejus Mtas. quicquam in negotio tanti momenti precipitanter agere, quod Mti. sue preter omnem opinionem a tam insigni civitate sua accidit adhuc aliquamdiu continendos vos hic constituit, donec maturius consilium capere possit, quo pacto et Mtas. sua officio suo satisfecisse et vos spes vestra de clementia ejus Mtis. non fefellise videri possit. Quare continebitis vos interim in hac civitate, ut hospites decet modeste et continenter, Mtas. vero sua regia vos deinde, quantum ejus debitum et honor patietur, absolvere dignabitur.

Rex, dato nunciis gedanensibus super apologiis primo responso suprascripto, eosdem nuntios retineri Cracovie et expectare a se aliud responsum jussit. Interim vero scriptis literis et iisdem apologiis ad primarios consiliarios missis sententias et consilium eorum, quomodo ad illas respondendum, quidve adversus insolentes subditos agendum esset, exquisivit.

CXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Episcopis et ceteris Consiliariis Regni.

Cod. Korn. R. Rme. etc. Cum intelleximus jam pridem turbas et seditiones intestinas pullulare in civitate nostra gedanensi, potissimum contagione luterana, egimus sedulo cum per nuncios, tum vero publicis edictis adversus Luteranismum, ut ipsam civitatem ab iis tumultibus et erroribus continere potuissemus, verum tum plebs illa, neglectis admonitionibus ac contemptis

temptis edictis nostris in dies magis in ipsum errorem et seditionem prolaberetur plurimaque contra deum et beatissimam virginem, matrem ejus, ac omnes sanctos indignissima committerentur, in divinissimum sacramentum blasphemaretur, ciboria, altaria, imagines, picture in ecclesiis essent confracta et contumeliose ejecta, calices, patene, cruces et alia clenodia de ecclesiis accepta et asportata, monachi et moniales spoliati et de monasteriis ejecti, nove secte et nova religio invecta, oratores et consiliarii nostri et presertim Rdus. dnus. epus. Vladislaviensis contemptus et per seditionem indignissime habitus, proconsules, consules et alii officiales civitatis licentiosissime depositi et opprobriis affecti aliique in locum ipsorum indebite suffecti, burgrabius contra autoritatem nostram exauctoratus et nove de illo constitutiones in derogationem potestatis nostre facte, judicia nostra regia violata, furca et rota in foro extructa contra privilegia et libertates civitatis, orphanis et viduis census prohibiti, ut novi consules, qui in domibus census obligatos habent, solvere illos non tenerentur, insigniores cives nullo tempore securi essent, ecclesie parochiales juris patronatus nostri externis sacerdotibus sine scientia et consensu nostro callate fuissent et alia innumera facinora perpetrari: MDXXV.

Visum fuit consiliariis nostris, qui preterita quadragesima tum ex regia tum etiam ex terris Prussie hic apud nos fuerunt, ut cives ipsos gedanenses de iis omnibus per literas nostras admoneremus.

Scripseramus itaque illis benignissimis verbis, que de illis essent ad nos perlata, que propemodum fidem excedere videbantur, mandavimusque illis, uti, si ea vera essent, primum omnium religionem sanctam catholicam ad eam observationem et ordinem, quem a majoribus suis per manus accepissent et cum quo nobis subditi facti sunt, in omnibus, que mutata, destructa, ablata et violata essent restituerent, sacramentum eucharistie servari in ecclesiis et monachos et monachas ad monasteria, que majores nostri fundaverunt, et plebanos ad suas ecclesias, que nostri jurispatronatus sunt, redire libere permitterent intrusosque quam primum ejicerent, quandoquidem durante hoc errorum fundamento, nihil boni sperari posset in reliquis; deinde magistratum omnem indigne et indecenter depositum restituerent, constitutiones, quas propria voluntate et seditiose confecerunt, abrogarent, rotas et patibula, indignissima carnificine insignia, e foro dejicerent seque in omnibus tam divinis, quam humanis rebus et negotiis suis ad priscum et laudabilem morem ac instituta, quibus aucta est civitas eorum, reducerent. Nam si ipsi inter se hoc facere non curarent, quod nos debitum ac officium christiani principis pretermittere non possemus, et proinde, ut ad omnia nobis per eundem tabellarium nostrum responderent. Quibus literis nostris ipsi cives hactenus nihil respondentes et ut accepimus multifariam de iis rebus secum deliberantes, miserunt tandem ad nos nuncios, qui potissimi hujus totius tragedie auspices et antesignani perhibentur. Qui venientes huc multa dixerunt et scriptas apologias nobis dederunt, quibus quidem pretextu verborum omnem obedientiam et subjectionem testati, sensu tamen et re ipsa pene confessi rationes adducebant, quibus ea, que commissa sunt, tueri et culpam diluere nituntur, prout Ptas. vra. ex ipsis eorum apologiis latius cognoscet, quarum tota summa est de concordia quadam inter ipsos mutuo inita deque constitutionibus et ordinatione nova facta tam in religione, quam etiam in rebus civilibus

MDXXV. civilibus juxta verbum dei, hoc denique palam testati, se ipsas constitutiones et ordinationes ad aras usque ad sanguinem et vitam deserere nolle.

Nos scientes, hec omnia tumultu populari et per oppressionem potiorum civium confecta esse, perpendentes una ex parte, ut res non nova sit heresis semperque non solum ecclesie, sed etiam rebus publicis perniciosissima, et non solum divine et humane leges, sed etiam nostra publica instituta doceant plane, quo modo se reges ac principes christiani in talibus eventibus gerere debeant, et hactenus ubique arcetur et exploditur hec seditiosa disciplina et ubi ea pestis irrepserit, omnia divina et humana sub pretextu verbi dei confundat, ut ipsi gedanenses contemptis edictis nostris penam confiscationis bonorum omnium manifestissime inciderint, et ut nos gerere in eo casu conveniret et presertim cum aliorum multorum oculi ad eam unam transactionem sint intenti ex eaque posse utilitatem non vulgarem et honorem nobis incomparabilem provenire, si hoc malum ex illa civitate tolleretur, perniciosum vero exemplum, si secus fieret et res leviter dimitteretur ad reliquas civitates Prussie et forte etiam ad intimiora permanaret; ex altera item parte considerantes obstinatam earum sententiam persistendi in eo errore, qui multorum animis infusus difficillime eradicari posse videatur, atque ita nobiscum rem expendentes et utraque ex parte gravem et difficilem iudicantes, presertim que vim et coactionem postulare videtur, si audacia seditiose plebis coërceri et malum molitum eradicari, ut maxime opus est, deberet, retinendos ipsos nuncios et rem ad vram. Ptem. et potiores alios consiliarios nostros deferendam necessarium duximus, hortamurque eandem Ptem. vram., ut nobis quantocius suam sententiam perscribat, quo pacto nos in eo casu gerere et conservare debere censeat. Nam hinc multa mala et bona futura dependent. Bene valeat vra. Ptas. Dat. Cracovie.

CXVIII. P. Tomicius, Eps. Vicecancellarius, Andree Cricio, Epo. Premisliensi.

Cod. Korn. Rme. in Christo pater et domine nepos charissime. Gratissime mihi fuerant litere R. Ptis. vre., quibus de omnibus rebus suis me fecit certiorem. Gedanenses detinentur adhuc hic propterea maxime, quod dnus. archieps. super negotio eorum nondum suam declaravit sententiam, neque etiam hi, qui citati sunt, comparuerunt.

A senatoribus regni, qui super eo negotio literas suas huc miserunt, multum est sententiis variatum, nam quidam eorum, ut difficillima queque omnia, sic et hoc negotium in conventum generalem rejiciunt, pars ad profectionem regiam in Prussiam. Sunt qui totum hoc onus defendende religionis nobis duntaxat spiritualibus sustinendum esse arbitrantur, asserentes, se ad difficiliores Reipublice casus reservari, ecclesias autem ea potissimum de causa esse tam munifice dotatas, ut res fidei inde defenderetur.

Fama et ea satis constans est hic, inter cesarem et Gallie regem non modo concordiam, sed etiam amicitiam, affinitatem et pacem perpetuam confectam esse, adhibitis etiam pluribus principibus in fedus, feruntque cesari nupturam esse filiam regis Portugalie, regi Gallie sororem

sororem cesaris, regis Gallie filio majori natu filiam regis Anglie, sororem regis Gallie duci Borbonie, atque ita tam tristi ac lugubri initio felix et letus exitus est subsequutus. MDXXV.

Brodericus, quinqueecclesiensis prepositus, qui dispositis equis citato cursu e Roma nuper ad Ungariam profectus est, in literis suis e Villaco ad regiam Mtem. scriptis de eo federe et ceteris rebus nonnihil et velut in transcursu attigit, significavit tamen brevi, uberius se de eis scripturum literis suis, cui ego etiam literas, quas R. P. vra. ad eum scriptas apud me reliquit, nunc mitto. Si quid tale huc scripserit, quod Rmam. Ptem. vram. opere pretium scire existimabo, non omittam, quin ei omnia communicabo. Suspicantur multi, quibus et ego assentior, neque id temere, tam repentinum Broderici ad Ungariam accursum nonnihil Broderico subite dignitatis et honoris allaturum.

Ego etiam ex debito amoris, quo Rmam. Ptem. vram. etiam ab initio complectebar, censeo, hortor et moneo eandem, ut cum primum synodum, que istic habitura est, consumaverit, acceleret huc gradum et versetur in hac luce, dum etas et occasio fert, nec velit sibi ipsi deesse.

Ciborium marmoreum, quod ecclesie posnaniensi fieri curavi, jam perfectum est, restat, ut elogium aliquod in superficie insculpatur, de quo etiam cum Rma. Pte. vra. coram loquutus sum; pervelim itaque, ut inscriptiunculam aliquam brevem, que quadraginta literis perfici possit, excogitet et mihi huc mittat. Sciat tamen, duo loca ad eandem inscriptionem relicta esse quadraginta literarum capacia; itaque opus est, ut tale aliquid utrinque sculpatur, quod indicet et significet divinissimum sacramentum intus collocatum esse. Id pro acumine ingenii sui facile perficiet. Rma. Ptas. vra. feliciter valeat.

CXIX. Deliberatio ac Sententia in Negotio Gedanensium Joannis Laski, Archiepiscopi Gnesnensis ac Primatis.

In negotio nunciorum gedanensium videtur considerandus presens status reipublice illius, in Cod. Korn. R. qua non patricii, non ex melioribus electi, non etiam ipsi per seditionem in magistratus suscepti, neque etiam ipsa promiscua multitudo principatur, sed pauci ex infima plebe, sordide conditionis, qui cum in aliis motibus civitatis semper fuerint seditionum magistri et autores, sue sortis homines sibi injunxerunt, egenos divitibus et nobilitati civium infensos, in alienas fortunas cupidissimos, imperii impatientes, principem suum ob ejus perpetuam absentiam nihil reverentes ac nihil justum, nisi omnium rerum paritatem ducentes et ideo in spem libertatis et ad tumultus facile ductibiles, qui jam ut ad omnia novanda pretextum habeant, evangelii autoritate, ut libet, abutuntur, constitutis etiam predicatoribus seditiosissimis, qui nihil magis student, quam plebem et libertatis ambitionem et contemptum superiorum allectare.

Secundo, quod illorum terror et magna licentia patriciorum animos et meliorum civium partem adeo oppressit, ut aut patria carere aut illis subesse malint, quam obnitendo vel injurias suas conquerendo occasionem prebere novis tumultibus et se cum patria in capi-

 tale

MDXXV. tale periculum precipitare. Quare neque convenire inter se ad capienda consilia neque contra tantam tyrannidem mutire audent, cum etiam sacramentis et propriis subscriptionibus ad consentiendum in illorum constituta immo ad se ipsos damnandos sint per vim adacti, quod isti modo compositionem ac concordiam appellant.

Quamvis in illo civitatis motu major pars inferioris plebis spe potiunde libertatis ex novatione rerum illecta se illis seditiosis adjunxerit, tamen jam videntes nihil in rem civitatis, sed omnia cupiditatis studio geri, magna in parte resipiscunt, partim etiam metu regie indignationis, cujus severiorem ultionem futuram jam fama admonuit, damnant omnia que acta sunt.

Advertendum etiam, quod isti nuncii missi sunt magis ad instigationem bonorum, libenter obtemperare volentium regie Majestati, ut videlicet hi, qui facto suo indignationem regiam civitati induxerunt, curent etiam purgare illam a crimine, si possunt, ac placare animum regis, ne quid deterius accidat. Unde magna est civium illic expectatio, quem exitum habitura sit hec legatio, et videtur totius civitatis voluntas ex hoc eventu pendere et non solum illius civitatis, sed etiam totius Prussie, ut illi vel isti sunt futuri victores, prout viderint animum regium se inclinare vel ad mollitiem vel ad severitatem, nec dubie eodem etiam vento Polonia tota statim afflabitur. Est autem magna spes, si Mtas. sua severiorem se ostendet in illorum nunciorum expeditione, quod ad omnia integranda facilis erit via et occasio.

Cum autem omnia mandata regia illuc missa magno studio sint a communitate celata ac prorsus suppressa, certum est preterea, magnas dissensiones esse ortas ab iis, qui integri adhuc erant et regii nominis rationem habere cupiebant. In quorum vota quum tota nuper civitas pene descendisset ac omnium rerum exequutio consulatui iterum delata esset, his abrogatis, qui plebis nomine omnibus consiliis adhibebantur, tamen tantum valuit seditiosorum terror, ut nihil profiteretur. Quare consultum videtur, modum aliquem inveniri, ut mercatorum, mechanicorum et aliorum ordinum congregationibus seorsum consulturis facultas esset, libere et absque metu dicendi et decernendi, que eis viderentur, utque omnium sententie ad notitiam Mtis. regie deducerentur, ex quibus intelligere possit, quos habeat subditos obedientes, quos rebelles.

Idem videtur faciendum cum exautoratis consulibus, ut ii quoque libere causam dicere possint. Ne autem hec res illi majori periculo sit, cum sint juramentis et inscriptionibus obstricti, ne se defendant, videntur citandi literis regiis, ut purgent se ab iis criminibus, de quibus per istos nuncios sunt apud Mtem. suam delati, maxime quoad excitatum tumultum et malam administrationem et ad audiendam super ea re sententiam regiam, idque fieret vel coram deputandis commissariis in Marienburgo, vel, quod consultius videretur, hic in regno, retentis interim istis nunciis, quo liberius illi defensiones suas ilic parare possint.

His premissis, cum proposita legatio in tribus capitibus summarie versetur, primum in religionis defensione, secundum in purgatione excessuum et inobedientie, tertium in petitionibus quibusdam regii subsidii et defensionibus ac singularibus quibusdam actionibus, ad omnia videtur brevissimis verbis, offensum regis animum pre se ferentibus, respondendum. Ad

Ad primum. Novit Mtas. sua, ab ineunte etate evangelicis preceptis educata, quantum tribuere debeat evangelio et dei verbo sincero, de quo cognovit multa ab iis nunciis dicta et affirmata, a quibus catholice ecclesie presides nunquam dissenserunt. Cum autem videat Mtas. sua istos subditos suos ob ritus et observationes quasdam a communi fidelium ecclesia se separare et rem hanc inter duo versari, utri videlicet germanum scripture sensum habeant, an veteres illi, quorum doctrinam ab apostolis ad nostra usque tempora universa ecclesia est amplexa, an isti neoterici, qui ita in jus suum scripturas trahunt, et de omnibus sententiam ferunt, ut nulli evangelicum nomen permittant, nisi, qui sapiant quod ipsi: non potest perpendere Mtas. sua, cur non magis concedere debeat majorum autoritati, quorum doctrinam vita probata et universalis ecclesie per tot secula usus et consensus confirmavit, quam istorum, qui neque sibi ipsis constant, neque alium fructum sue doctrine ostendunt, quam quod tumultibus et cedibus totum involvunt orbem. Et cum universalis ecclesia nihil adhuc aliud de his rebus statuerit, perstat Mtas. sua in his, que pridem mandavit et ordinari voluit, quibus cum magna contumelia regii nominis illi hactenus non paruerunt, quamvis etiam juxta eorum propriam doctrinam principum mandata in harum rerum ordinatione sint observanda. Ideo datam de his rationem, ut que congrua et sufficiens non est, Mtas. sua nequaquam suscipit. MDXXV.

Ad secundum. Quoniam huc tendit illa concitati tumultus et inobedientie purgatio, ut eos, qui ex magistratibus depositi sunt, maxime incuset, non potest in tanta causa Mtas. sua preterire, quin etiam illos rationem actorum suorum reddituros audiat, priusquam aliquid de eorum punitione, qui tanti mali autores fuerint deprehensi, decernat. Quapropter constituit Mtas. sua, ut ipsis nunciis interea hic manentibus illi huc citentur per fiscalem regium objectis criminibus responsuri, quod ut liberum illis sit, mandat Mtas. sua per ipsos nuncios apud consulatum et communitatem provideri.

Ad tertium. Non vult Mtas. sua ullo modo in iis, que justitiam subditorum suorum attinent, aliud decernere aut admittere, quam quod jam per juris ordinem est constitutum. Quoniam vero et nuncii Mtis. sue dignissimi et omnia mandata regia in illam civitatem missa per ipsos subditos Mtis. sue contemptibiliter et indigne tractata sunt, ac omnis prope obedientia Mti. sue subducta, non vult Mtas. sua in aliis, que ipsi petunt, hoc tempore eos audire, sed de modis et remediis, regio honori dignis, quo pacto hanc rerum rebellionem castiget, cogitare.

Videtur curandum, ut responsio Mtis. regie, quecunque ea futura est, si modo severitatem pre se ferat, apud communitatem evulgetur, ne vel immutari vel tota supprimi per consulatum possit.

Supra omnia, que in consultationem adduci possunt, presentissimum remedium esset in omnibus his difficultatibus et periculis, ut Mtas. sua presentiam suam in Prussia exhiberet, saltem in Marienburg, ac animum ostenderet offenso principe dignum, sola enim hec res restituere omnia integra absque dubio posset.

CXX.

CXX. Citatio contra Gedanenses Luteranos.

MDXXV Cod. Korn. Sigismundus, Rex Polonie etc. Fideles nobis dilecte. Quoniam ad providam ordinationem, quam in nostra civitate gedanensi instituere decrevimus, aliquorum nostrorum subditorum presentia nobis est opus, eorum presertim, quibus actarum illic rerum conditio cognita est, presentibus nostris literis peremptorie te citamus, districte mandantes, ut sub indignationis nostre ac amissionis et confiscationis bonorum omnium tuorum mobilium et immobilium pena, feria quinta proxima ante festum S. Michaelis nunc instans Cracovie, aut ubi tunc cum curia nostra constituemur, personaliter compareas, animum nostrum super his auditurus.

CXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Civibus Gedanensibus.

Cod. Korn. Famati, fideles, dilecti. Venerunt ad nos nuncii vri. et fecerunt nos certiores de eo statu et ordine vro., qualem futurum in tam insigni nostra civitate nunquam credebamus; quare ut exactius cognoscere possemus mutatarum rerum conditionem, opus habemus nonnullis ex consulibus et concivibus vris., quos nominatim nostro mandato huc vocandos duximus, volumusque et mandamus vobis districte, ut unumquemque eorum, quos vocamus, libere ad nos venire permittatis. Pro gratia nostra non aliter facturi.

CXXII. Citatio contra Consules et Scabinos exauctoratos. Sigismundus, Rex Polonie etc.

Cod. Korn. Famate, fidelis, dilecte. Quoniam nobis de statu et regimine civitatis nostre gedanensis pro nostro officio inquirentibus proconsules et consules atque alii ex magistratibus nuper destituti, in quorum collegio tua Ftas. tunc erat, graviter delati sunt, quod tumultibus et seditionibus in ea civitate nuper motis ac male institutioni illius reipublice causam prestiterunt, quod sine magna animi nostri molestia audire non possumus, volentes officii nostri debitum exequi, tuam Ftem. presentibus nostris literis peremptorie citamus, mandantes, ut die N. coram nobis Cracovie aut ubi tunc cum curia nostra constituemur in propria persona, sub indignationis nostre et amissionis omnium bonorum tuorum, fisco nostro applicandorum, pena compareas ejusdem fisci nostri procuratori de omnibus premissis

missis et aliis et que tibi ex officio ~~nostro~~ objecta fuerint, responsurus ac rationem red- MDXXV.
diturus nostrumque ~~super his~~ decretum et sententiam auditurus, non obstante, si forsitan ~~juramento,~~ inscriptione aut alio pacto seu cautione qualicunque te obstrinxisti, de supradictis aut aliis tibi objiciendis excessibus te defenderes aut expurgares. Nos enim tue obedientiè debitum exigentes, ea occasione tuam Ftem. in nostram regalem suscipimus protectionem.

CXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Proconsulibus et Consulibus Gedanensibus.

Famati, Fideles, dilecti. Inter multos et varios errores, quibus civitas nostra gedanensis Cod. Korn.
perturbata ac implicata heret, hoc etiam incommodi adjectum esse dudum accepimus, quod instantibus et urgentibus seditiosis quibusdam et turbulentis civibus vestris bine isthic litere confecte sunt; altere multos articulos in se continentes sigillo civitatis, altere exauctoratorum consulum et aliorum plurium civium sigillis obsignate manibusque eorum subscripte; in quibus prout intelleximus multa adversus veram pietatem et sacrosanctam religionem a Christo institutam et a majoribus jam longo usu approbatam, tum etiam ad imminutionem auctoritatis nostre regie et perturbationem status publici continentur. Nos itaque tot tantisque malis, que illuc (nisi mature provisum fuerit) oriri necesse est, occurrere et mederi volentes ipsamque civitatem nostram in tranquillum et quietum statum reducere cupientes, mandamus vobis: ut easdem literas originales, nulla mora interposita, per hunc cubicularium nostrum, qui vobis has nostras reddiderit nobis mittatis.

Preterea quatuor concives vestri, videlicet Laurentius Hapczagen, Joannes Netat, Joannes Scholce et Joachim Niemoii, qui literis nostris cum reliquis huc ad nos citati et vocati fuerant, contumaciter non comparuerunt.

Quam ob causam nos eos hic contumaces pronunciavimus, volumusque et mandamus vobis, ut universa bona eorum mobilia et immobilia nomine nostro confiscetis, nec ea permittatis ab heredibus seu propinquis eorum vendi, vel quoquo modo distrahi et nihilominus eos solos in personis eorum ad nos huc mittendos curetis, ut exactius ab eis cognoscere possemus mutatarum rerum conditionem.

Insuper tres precipuos concionatores vel seductores potius isthic apud vos esse accepimus, videlicet: Jacobum Molner ad S. Barbaram, Jacobum ad S. Catharinam et Joannem dictum Lanczknecht ad S. Joannem, qui sub pretextu evangelice paritatis Christique doctrine insana dogmata imperite multitudini ingerunt, ob que plebs ipsa in varios animorum motus et turbulenta consilia incitatur et impellitur. Ut igitur ea pestis et pernicies ex urbe ista nostra penitus tollatur, volumus et mandamus vobis, ut eos quoque ipsos pseudoconcionatores huc ad nos mittatis. Hec autem omnia suprascripta volumus a vobis fieri sub pena banni nostri regii et prohibitione invectionis et importationis omnium rerum venalium, que ex regno ceterisque dominiis nostris istuc Gedanum invehi importarique solent.

CXXIV.

CXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Fraternitatibus et collegiis mercatorum, pannicidarum, institorum, nautarum et cerevisie coctorum civitatis Gedanensis.

MDXXV. Cod. Korn. Famati, fideles, dilecti. In motu et perturbatione rerum istius civitatis nostre gedanensis, que per seditiosos novarumque rerum avidos cives nuper exorta est, accepimus binas literas istic Gedani esse confectas, altere multos articulos in se continentes, sigillo civitatis, alteras exauctoratorum consulum et aliorum plurimorum civium sigillis obsignatas manibusque eorum subscriptas, in quibus, prout intelleximus, multa adversus veram pietatem et sacrosanctam religionem a Christo institutam, tum etiam ad imminutionem auctoritatis nostre regie et perturbationem status reipublice continentur, mandavimusque per literas nostras magistratibus modernis gedanensibus, ut easdem literas sub certis penis per hunc nostrum cubicularium huc ad nos mittant et nonnulla alia faciant, prout in eisdem literis nostris plenius est expressum. Volumus itaque, ut vos, quos nobis semper et Reipublice fidos esse, semper cognovimus, operam faciatis, ut eedem litere et mandata nostra, que nunc mittimus, vobis communicent et nequaquam supprimantur in majorique reverentia, quam olim haberi solite sunt, habeantur; mandantes vobis: ut adnitamini, quatenus jussis et mandatis nostris in omnibus satisfiat, ne civitas ipsa atque ita et vos omnes in penas in dictis literis nostris contentis incidatis, efficiatisque, ut mandatum nostrum omnibus et singulis collegii et contubernii vestri hominibus palam fiat. Nec aliter faciatis pro gratia nostra. Dat. Cracovie.

CXXV. Articuli per plebem Gedanensem confecti.

Cod. R. Monachi omnes valetudinarii in unum monasterium redigantur et illis victus ex publico ministretur, similiter et monialibus.

Ut pauci sacerdotes sint et illis similiter de publico provideatur.

Omnes fraternitates tollantur et destituantur.

Omnes census pecuniarii exigantur, et qui capitales habent summas, annua solutione extenuentur.

Contributiones omnes et thelonea omnia desinant preter Suntzoll.

Piscationes, aucupia, venationes et alia id genus omnibus deinceps sint libera et maxime piscatio sturionum et succini.

Causidici omnes eliminandi, ut quisque causam suam diceret, nescienti vero unus ex scabinis adesset, utque productiones nulle fiant in judiciis.

Jejunia, vigilie, funerationes, candele, sacrificia pro defunctis, hore canonice, salve regina, aqua benedicta et omnes alie ceremonie abrogentur.

Verbum

Verbum dei pure et simpliciter predicetur juxta tamen prescriptum et bene placitum plebis. MDXXV.

Creati duodecim viri ex infima plebe, qui formulam predicandi verbi dei et omnem sacrorum ordinem constituere debent.

Hi duodecim viri cum communitate potestatem habere debebunt consules et scabinos creandi et nemo alius.

Consulatus a facienda ratione exemptus erit, nec debet de illa in posterum cogitari solum proventus et expense conscribi.

Adultere et meretrices omnes expellantur et qui continere nequit, nubat.

Propole omnes et societates presertim focarorum, ut communitati noxie, exterminentur.

Omnes tam consules, quam communitas fideles esse debent regie Majestati, omnes consulatui parere in iis, que mutuam charitatem et christianam fraternitatem concernunt.

Debet etiam consulatus cum duodecim viris ordinare et disponere, ut deinceps nemo vel in corpore, vel in bonis etiam, vel in pilo gravetur, sed solum in Christo Jesu et sancto ejus verbo alter alteri fidere et equalem se prestare, alter alterum amare et juvare debet, ut christianos viros decet.

Consules et magistratus non juxta vulpes et mardures, sed juxta virtutem hominum eligantur.

Electi sunt consules et duodecim viri ex vili et infima plebecula preter Philippum Bischoff et magistrum Georgium.

Apud divam Barbaram Thorunii parochus, uxorem ducens, predicat libertatem et equalitatem christianam, papam vero, episcopum, regem, ducem, nobilem et quascunque alias dignitates inventum esse tyrannicum ad plebem et populum dei premendum et expilandum.

CXXVI. Responsum nomine regio Ferbero, Burgrabio Gedanensi, datum.

Sacra regia Mtas. audire dignata est nuper responsum et excusationem vestram ad ea, que vobis per dominum palatinum Cracovie commemorari fecit, non ex ulla indignatione sua, sed ut vobis declararet, quam non incognita sint ejus Mti. ea, que acta sunt in civitate vra. et ex quibus initiis hec omnia mala processerint. Utcunque est, accipit in presens ejus Mtas. pro sua in vos gratia in eam partem excusationem vram., ut retulistis. Cod. Korn.

Et quod ab ejus Mte. postulastis, uti vos in hoc casu non desereret, propterea Mtas. sua vos huc evocavit, propterea rem tanto studio est aggressa, ut vos non desereret utque tam insignem inprimis deo omnipotenti, deinde etiam sibi illatam injuriam impunitam non sineret et vos et civitatem vestram ex tam ignominioso et perniciosissimo errore liberaret et propterea, quemadmodum jam vobis dictum est, vult ejus Mtas. etiam in hac re vestro uti consilio, non diffidens in prudentia et fide vestra, qua Mti. sue obstricti estis, quod tale daturi sitis consilium ejus Mti. quale videbitur opportunum et pro vindicanda divina suaque injuria et etiam pro statu vestro pacando et in pristinum ordinem reducendo.

Que igitur sit sententia et consilium vrum., jam ejus Mti. declaretis.

 CXXVII.

CXXVII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

MDXXV. Cod. Korn. Rme. in Christo pater et dne. gratiosissime. Memor mandati Dtionis. vre. Rme. scripsi mox veniens huc responsum Gedanensibus, quod, ne quid negligerem, cum nullus alius se offerret, mitto per meum nuncium. Materia non est usque quaque digesta, non ex alio tamen, quam ex literis evangelicis et apostolicis contexta, ut eadem tela, quibus impetimur, in hostes retorqueamus. Cum illas eorum apologias legissem, miratus sum admodum hanc impudentiam, ut traditiones ecclesiasticas commenta et somnia stultorum hominum appellare non sunt veriti coram iis, qui eas complectuntur, ut sic et Mtem. regiam et omnes Christianos, qui ecclesiam sequuntur, stultitia notarent, ut interim omittam, que in ordinem nostrum probra congesserint. Quare non visum est, nisi eisdem tropis eisdem sonis hanc illorum cantilenam recinere. Occurrebant interim scribendum infinita, que ad retaliandum faciebant; sed rationem habere oportuit et memorie et ejus, cujus nomine sunt dicenda, proindeque in compendium omnia, quam maxime potui, redegi; facere tamen non potui, quin res mea ipsius sententia non videatur equo prolixior, eo maxime, quod vra. Dtio. Rma. voluit ad singula illorum capita aliquid responderi, que volumen sunt magis quam legatio. Si tamen id responsum prolixius videbitur, quam vel memoria inter tot occupationes capi possit, vel locus aut tempus postularet, omittere poterit ea capita, que singularia continent, quorum quodque incipit ab eo: qui nos docerent etc., nam et conclusionem talem feci, ut congruere sine illis posset.

Mi Rme. dne. Rogavit me capitulum meum, ne cum synodo accelerarem propter itinerum malignitatem et labores hominum hujus temporis, qui etiam et sacrificos occupatos habent. Et proinde oportuit tempus ad ipsam synodum serius opinione mea instituere, videlicet ad festum S. Francisci. Multa hic preterea emergunt, que mihi negotium exhibent et moram exposcunt; redibo tamen istuc cum primum vra. Rma. Dtio. jusserit, cujus mandatum rebus omnibus antevertam. Interim supplico, mei memor esse dignetur. Cui me ex corde humiliter commendo. In Brzozow die exaltationis S. Crucis.

Supplico scribere non gravetur vra. Rma. Dtio., quo pacto arridebit ei hoc responsum aut quomodo congruet cum sententiis dominorum. Dici non potest, quam hic multi multa de hoc negotio fabulentur, quam multorum oculi ad illud sint intenti; proinde curandum esset etiam atque etiam, ut non ita leviter transiret.

CXXVIII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. Korn. Rme. in Christo pater et dne., domine gratiosissime. Hodie rediens a dno. Ball, apud quem sacellum consecravi, inveni puerum meum cum literis vre. Dtionis. Rme., quibus inter alia que mihi scribere dignata est, mandat sibi verba aliqua mitti, que ciborio insculpantur,

tur, queque indicent divinissimum sacramentum in eo contineri. Ego vero tum nactus hunc nuncium, evestigio mecum evolvere cepi, ut annotarem, quod congrueret, non intelligens tamen, an utriusque spatium quadraginta literas vel unum eorum continere possit. Utcumque est, nulla verba magis idonea majorisque fidei et auctoritatis mihi videntur, quam illa, que ipsius ore, qui illic continebitur, sunt prolata: hic est panis vivus, qui de celo descendit Joan. VI. presertim cum de solo pane ut illic asservatur fit testimonium contra illos, qui unum sine altero vetant exhibendum, tamen interim, dum hoc mecum subito revolverem exciderunt obiter et ex tempore hec alia, que annotavi, ut si que arriderent, adsculperentur alicubi, dispiciam adhuc aliquid et nuncio nacto mittam, ut quod placeat eligere possit. Mandat etiam vra. Dtio. Rma. ut reditum meum maturarem versarerque potius in luce ista et mihi ipsi non deessem. Mi Rme. dne. Novit vra. Dtio. Rma. quam sit lux omnium invisa pudori, novit etiam quam ego nulla in re mihi ipsi unquam sim fretus, sed me semper omnes spes meas, omne presidium meum in illa sola collocasse et proinde quo pacto vel desim ipse mihi absens vel adsim presens non video, redibo tamen citra moram una hac causa, ut serviam vre. Dtioni. Rme. ut hoc unum debeo, de reliquis fiat voluntas domini. Mi Rme. dne. Jam plane videre potest Dtio. vra. Rma. quo omnis alea potestatis est conversa, videt, ut vinea, quam plantavit, versa sit nobis in amaritudinem, videt, quales in ea operarii et quibus modis conducti, quam hi qui per virtutem emergere non possunt, penetrent cuniculis in eam vineam, unde quantumvis indigni et tumulenti emergant et nostris dignisque aditus omnis occludatur. Supplico vre. Rme. Dtioni. per ejus summam sapientiam et apud omnes existimationem, meminerit illius Terentii: non id esse sapere, quod pre oculis est videre, sed que futura sunt prospicere. Dignetur itaque prospicere tempori, non mihi, qui idoneus non sum, sed iis saltem, qui nobis in posterum et Reipublice suis dotibus suoque et ingenio et animo ex usu esse possint, cogitet, nos non esse sempiternos non nobis solis natos, nam et volucres pullos suos fovent et ad volandum promovent, sic et Reipublice gregique nostro in futurum consulet et vicem debitam illis rependet, a quibus summam beneficentiam et eos, pro quibus rogo, commendatos per manus accepit. Hec ideo scribo, quia multa olfacio et pene palpo, que forte vra. Dtio. Rma. neque credit neque sperat futura. Mi Rme. dne. Scripsit mihi dnus. archidiaconus cracoviensis, quo pacto absolvit vra. Rma. Dtio. nuncios capituli posnaniensis de regio debito et anno gratie. Nihil equius, nihil argutius responderi potuit, verum hoc responso, scio, inturgescet. Bromius ille, vel Briareus potius, qui hinc sarcire vellet, quod nefarie prodegit, de quibus nuncius iste mira mihi communicavit et literas complures illius et Chimere indignissimas commonstravit mihi, que in hoc negotio ad dominum suum scribebant. Me humiliter commendo vre. Rme. Dtioni. Ex Brzozow XXIII Septembris. MDXXV.

Hic est panis vivus, qui de celo descendit. Joan. VI.
Hic panis est vivus, verbum, caro, victima Christus.
Illa hic lux mundi, verbum patris, hostia vera
Viva caro, deitas integra, verus homo.

 Ne

MDXXV.

Ne solum mireris opus, mirere viator,
Quam bene conveniunt nomina resque simul
Et petra est Christus et petra hec continet illum
Et Petrus posuit navita presul opus.

CXXIX. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Andree Cricio, Episcopo Premisliensi.

Cod. Korn. Rme. in Christo pater et dne., dne. nepos noster charissime. Reddidit mihi is nuncius literas vre. Ptis., quas gratissimo animo accepi et perlegi agoque et habeo illi magnas gratias pro elogiis in cyborio insculpendis, que optime mihi placent et quod cui loco aptius erit insculpendum, curabo.

De reditu et celeriori huc adventu vre. Ptis., prout suasi antea, ita et modo persto in sententia rogoque et admoneo vram. Ptem., ut absoluta sua synodo Premisliensi, huc ad nos quam primum veniat.

Quo alea potestatis conversa est, ego quidem plane video, nec tamen ideo de veteri meo instituto deflectere possum. Novit optime Ptas. vra., quod nunquam fui curiosus auceps futurarum rerum, tortuosa consilia et practicas curie nunquam sectatus sum etiam junior, multo minus hac etate sectabor, agant id alii, quicunque sunt, ego naturam et vetus institutum vite mee retinebo; tamen quemadmodum jam ab initio dignitati et commodis Ptis. vre. in minima parte deesse non solebam ita et ornare nunquam desistam, modo Ptas. vra. que ut junior plurima palpare et olfacere potest, sibi ipsi etiam non desit.

Gedanenses seditione plebis magistratibus dejectis literis regiis huc vocati jam comparuerunt numero circiter XXIV. nihil tamen, vel parum cum eis adhuc actum est.

Consilium dni. archiepiscopi super iisdem rebus Gedanensium allatum est nuper huc, id ego transcribi jussi, quod brevi mittam per proprium nuncium vre. Pti., quam rogo plurimum: velit scribere interim literas conventuales declarando, quod propter imminentia regno pericula a Tartaris, cum quibus nullum fedus aut pacem habemus, opus est communi consultatione, commemorando etiam pacem quidem cum ordine de Prussia confectam; in terris tamen illis Prussie magnos motus et turbas excitatas contagione luterana esse. Et scribere velit vra. Ptas. literas ad consiliarios majores extensius, ad minores vero brevius. Et valeat felicissime et me diligat. Cracovie fer. II prox. ante f. S. Francisci.

CXXX. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomiczki, Epo. Vicecancellario.

Cod. Korn. Mi Rme. dne. Cognovi ex literis Dtionis. vre. Rme., quod ea, que de futuris providendis, quod unum est vere sapere, scripsi, eorsum acceperit, quasi illam ad aliqua tortuosa, ut scribit

scribit, consilia et practicas curie artesque insolitas cohortarer. Equidem non eo a me factum est animo, semper enim ipse ejusmodi technas odi licet commemorare possim, quanto tempore olim in stadio cucurrerimus, quantum per amicos etiam absentes prestitum fuerit, antequam primum illud branium [1]), quod ego nunc gero acceperimus, quantum deinde pro alio [2]) sudatum fuerit, etiam adminiculo publicorum nunciorum et zelatorum Reipublice, et nisi res fuisset cum homine, qui adeo non reluctet cum sententie principis, tum publicis decretis et expostulationibus, ut etiam omnibus in rebus sua lenitate modum excedat, nescio quomodo sub manus nobis illud tum successisset; quanta denique sollicitudine et quot annis pro isto novissimo principatu [3]) sit cum Mitione [4]) defuncto volutum et practicatum, ut nisi hoc modo circumventus fuisset tempori, ambitus ille fortasse aliquid si non impedimenti, certe difficultatis nobis ingessisset. Que amicorum studia an recta vel tortuosa sint consilia an simplices practice, vel curiales, in presens non disputo certe ad dotes et merita Rme. Dtionis. vre. non obfuerunt, quorum tamen illa scribens nihil optavi, prospiciendum duntaxat amicis submonui, quod et ante mee sortis eventum me recte monuisse eventus iste declaravit. Nunc de me nihil sum sollicitus, cum enim fortuna id negavit, quod precipuum erat in meis et meorum votis, quid amplius sperem vel optem ex animi mei sententia, prorsus non video; redibo tamen brevi ad palestram istam, ut prius scripsi, non ut contendam ad aliquid, sed ut, quod debeo, serviam Dtioni. vre. Rme., cui obnixe supplico, ut que interdum mihi pro mea sollicitudine de amicis et nostra existimatione scribendo excidere solent, si forte aliquid, quod tangi non patitur, de quo minime cogito, attingeret, boni consulere et in eam partem, in quam scribo benigne accipere dignetur tanquam dominus meus clementissimus. MDXXV.

CXXXI. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomiczki, Epo. Vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne., domine gratiosissime. Expectavi cum summo desiderio nuncium Dtionis. vre. Rme. ut cum eo de illo sermone me explerem, verum is veniens magno me dolore et sollicitudine affecit nunciata ejus adversa valetudine, que tametsi nihil habeat periculi, tamen est res solliciti plena timoris, precor autem dominum deum, ut veniens illam salvam et sospitem inveniam, quod omnino futurum spero, modo parumper sibi et quieti sue indulgeat. Ego tametsi equos meos itinerum malignitate confecerim, jam tamen ad serviendum Dtioni. vre. Rme. sarcinulas colligo et die dominico ad Crosno exibo, non potero enim nisi lento itinere proficisci propter undas et iter nimis depravatum, applicabo tamen isthuc, deo bene juvante, feria VI. proxima. Persuasit Morawiecz, Cod. Korn.

1) Episcopatus Premisliensis.
2) Episcopatus Posnaniensis.
3) Episcopatus Cracoviensis.
4) Joannes Konarski, eps. cracoviensis, qui Tomicio resignavit episcopatum cracoviensem.

MDXXV. rawiecz, viam esse potiorem per Radlow astipulantibus meis aurigis, itaque fortasse illac timonem dirigam.

Ago immensas gratias vre. Rme. Dtioni., quod me participem fecerit consiliorum domini archiepiscopi in re gedanensi, que hactenus legere non vacavit, ascribo tamen huic sententie, ne conventus fiat, nisi in loco designato, ne seditiosis aliqua ansa prebeatur vel dissuendi conventum ipsum vel omnino perturbandi. Novit enim vra. Dtio. Rma., quam nihil aliud venari soleant, quam causas miscendi et inficiendi omnia.

Auram corruptam spero hiems reficiet, ego quidem formido venire isthuc ex aura saluberrima, committam me tamen dno. deo et veniam.

Misi ab una hebdomade exempla literarum conventualium per quendam famulum, dnum. Prochniczki, ne qua negligentia fieret, tamen in omnem eventum mitto iterum eadem. Commendavi etiam negotium nostri domini Broderici, commendam et alios, quos et dignos et nostros arbitror futuros sine ulla ipsorum scientia. Supplico vre. Rme. Dtioni., ut que non ullo instinctu alieno, ullove ambitu, sed duntaxat affectu in amicos et nostram existimationem integerrimo animo scripsi, in eam partem benigne accipere dignetur. Cui me humiliter commendo. Ex Brzozow.

CXXXII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, Petro Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Cod. Korn. Rme. etc. Reddite sunt mihi hac nocte preterita litere vre. Rme. Dtionis. una cum literis domini Broderici, que me magna sollicitudine affecerunt, ita ut has e vestigio ad illam scribere sim coactus. Quanta sint illius merita erga Mtem. regiam, quanta erga nos fides et propensio, vra. Rma. Dtio. non ignorat, is nunc opem implorat, nunc occasio est et Mti. regie et nobis, promissis satisfacere et illum nobis hoc beneficio obstringere. Res fortasse videtur jam neglecta, ut aut ille hactenus, aut aliquis alter prevaluerit, tamen prestandum esset officium in omnem eventum erga hominem merentissimum. Reliqui ego apud vram. Rmam. Dtionem. ejus cifram rogavique ut ejus literas quascunque semper aperiret, quum illi videatur et ad Mtem. regiam et ad vram. Rmam. Dtionem. scribere, cum ad me scribat; nescio autem, quare has illius literas clausas mihi miserit, in quibus, cum cifra caream, nescio quid scribat, hoc unum tamen conjicio, illum agere de officio, ad quod nemo illo est et dignior et nobis utilior. Fortasse id fit instinctu dni. archiepi. Strigoniensis, qui hunc morem habet, ut quociescunque vel regina, vel communitas ejus conatum impedit, suggerat auxilium nostrum implorandum; nec potui me continere, quin e vestigio scriberem hec literarum exempla et mitterem vre. Rme. Dtioni. per hunc oblátum nuncium, cui supplico immense, efficere dignetur, ut sacra Mtas. regia cum ipsis literis nuncium suum mitteret. Nam ejusmodi officium illinc etiam pro Rma. Dtione. vra. olim fuit prestitum et etiamnum pro multis prestatur, ita manus manu lavanda est. Si autem id efficere non potest, literas saltem expedire velit, quas vel meis impensis noster

dnus.

dnus. Carolus Bononiensis ad illum mittet, quem Rma. Dtio. vra. accersiri ad se jubeat, eique cifram interpretandam demandet (habet enim illam satis cognitam) ne ipsa tantum laboris subeat. Hoc etiam atque etiam vram. Rmam. Dtionem. rogo et supplico ei, pudet enim me cum ille nobis tam ex animo serviat, et in nobis multum confidat non adesse nos illi, cum res exigit. Litere fient non dubie haud ingrate dno. archiepiscopo, sive jam dignitati et quieti sue consulere instituit, sive adhuc his fumis involutus teneatur, ita enim verba sum moderatus. Terruit me nimium vra. Dtio. Rma., quod ad festum S. Martini habenda sit conventio, et fama est constans, Thorunii futuram. Confeci enim equos meos continuis per diocesim meam itineribus. Considerans autem tempus jam esse valde angustum ad conscribendas ac dimittendas per regnum tot literas conventuales, scripsi mox, acceptis literis vre. Dtionis. Rme., et non expectato illius nuncio, quem se missuram scribit, per hunc, qui mihi tum obtigit, mittendas censui, ne qua esset negligentia, que semper officialibus impingi solet. Non visum est etiam ipsas literas prolixis verbis, presertim eandem cantilenam canendo extendere, unde nihil aliud commodi, nisi labor inanis notariorum et mora longior provenire solet, facilis erit fartio, si quid necessarium videbitur. Reliquum, quod erit scribendum, mittam citra moram per nuncium Dtionis. vre. Rme. Constitueram hodie hinc versus Brzozow solvere, sed cogor ad diem Lune subsistere, quod dominus Tarnoviensis ad me huc invisendum veniet. Me vre. Rme. Dtioni. humiliter commendo. Ex Radimno, sabbato post f. S. Francisci. MDXXV.

CXXXIII. Andreas Cricius, Eps. Premisliensis, P. Tomicio, Epo. Vicecancellario.

Rme. etc. Post discessum vre. Rme. Dtionis. nihil est hic innovatum preter literas ex Hungaria, quas per dominum Choienski misi. Cod. Korn.

Dominus Gamrath dicit, nullius sibi usui futuras literas absque manu regia, itaque mavult expectare illas ex Piotrkovia; dictavi tamen ipsas literas tam illi quam monachis de Claro Monte, quas doctori dedi.

Mi Rme. domine. Scribitur mihi ex Posnania, quantas adversitates sustineant illic et mei et mea negotia. Dominus etiam Volski provisione domini episcopi exturbare conatus fuit nepotes meos, alterum scholasticum, alterum canonicum de domo domini Goczalk, in qua cum se acriter tueri statuissent, tum demum ad vram. Rmam. Dtionem. confugit, multa antea deblateratus, me nondum esse prepositum ante receptionem, idque suggerentibus domino Gorski et dno. Charbowski. Talibus hominibus, ut velis juxta ventum expositis, durissimum est benefacere et presertim cum tunica propior erat pallio, tamen cum vra. Dtio. Rma. sic voluit, necesse est, ut ita fiat, cum mea omnis voluntas ex illius nutu dependeat. Me humiliter vre. Rme. Dtioni. commendo. Datum Cracovie in vigilia S. Catharine.

CXXXIV.

CXXXIV. Secundum Responsum a Sigismundo, Rege Polonie datum Nunciis Gedanensibus ad eorum Apologias.

Cricius fecit, Tomicius dixit.

MDXXV. Cod. Korn. B. Hactenus sacra Mtas. regia vos hic detinuit, ut que a vobis prolixe cum dicta sunt, tum scripta, diligentius expenderet et, que denique scitu opus erant, pervestigaret.

Miratur inprimis S. Mtas. regia, ut quum eam in prefationibus vris. et sacrarum literarum peritam et summa justitia, summisque de re christiana meritis preditam, nec immerito fateamini, ea vos coram ejus Mte. non puduerit proponere et confiteri ac testari pro his stare velle usque ad aras, que cum universali ecclesia cum divinis et humanis institutis cumque omni ordine et bono statu rei christiane, tanquam ex diametro pugnare ac dissidere liquido videntur.

Si enim prudentem et peritam rei divine Mtem. suam sincere et candide profiteremini, qua fronte vobis ea coram ipsa producenda putaretis, que dudum per universum cetum christianum damnata sunt et explosa? Quove piaculo ea vana stultorum somnia duceretis appellanda, que Mtas. sua cum ecclesia catholica sequitur et observat?

Si ejus Mtas. justum principem ex animo judicaretis, qua ratione jussa ejus Mtis. et decreta fateri potuissetis, non alia de causa, nisi ob contractum in Eberhardum Ferberum odium per vos non esse suscepta?

Si potentem defensorem fidei catholice serio confiteremini, quo pacto veriti non fuissetis, ea coram ejus Mte. proponere, que crimen lese Mtis. divine, crimen lese Mtis. sue manifestissime continent et declarant? Unde rectius congruere videatur in vos ipsos illud: populus hic meus labiis me honorat, cor autem illius longe est a me.

Que autem impudentia est verbum dei novandis rebus, seditionibus intestinis, rapinis, et sacrilegiis pretendere? Que vesania, evangelium hactenus in tenebris fuisse, hactenus verbum dei subductum humano generi dicere et quiritari? Id coram eo principe, qui ab ineunte etate verbum dei quotidie audit, quotidie osculatur et adorat, qui pro verbo dei, pro fide sancta catholica gladium suum vibrat et vitam suam exponit? Qui non ignorat, ut verbo dei facta et creata sunt omnia, ita cum omnibus aliis, tum mox homini, quantumlibet adhuc tum justo et innocenti, legem fuisse positam, ut et justus legem haberet, qua dirigeretur et quam sponte impleret; id enim est justi, non qua cogeretur vel arceretur ut injustus.

Qui non ignorat, idem verbum dei viguisse semper olim in prophetis, quorum monumenta nihil magis quam legem et normam et instituta salubria continentur; demum verbum ipsum incarnatum et mundo patefactum non solvisse leges, et traditiones prophetarum, sed etiam illas ut umbras et figuras futurarum adimplevisse.

Constituisse synagoga perfectiorem ecclesiam sanctam catholicam non in arena, ut fluctibus dejiceretur, non in sinu demisso, ut abscondi posset, sed in solida petra, ne unquam labe-

retur,

retur, sed in monte excelso, ut evangelium et doctrina ejus nullo tempore latere neque abscondi posset, quum potius celum et terra quam verbum dei sint transitura; tantum abest, ut tot seculis suppressum evangelium ac absconsa veritas nunc demum per hec egregia instrumenta, que videmus, e tenebris eruatur in lucem. MDXXV.

Ejus autem ecclesie, que corpus est Christi, ipsum quidem esse caput, ipsum ovilis ejus pastorem Jesum Christum; sed illum cum immigraturus esset in celum, huic corpori visibili ecclesie militanti, que ex malis et bonis constat, uti sagena missa in mare, visibile et congruum membris caput et ovili presentem et visibilem pastorem preficere voluisse, clavibus regni celestis et officio pastorali, uni precipue ex discipulis delegato, ut unus esset inter ceteros, qui omnem potestatem ligandi et solvendi haberet in terris, reliquisque impartiretur et ex cujus ore, ut ipsemet in Actis testatur, audirent gentes verbum evangelii crederentque, ne quis pro libitu suo expendere et pronunciare de evangelio doctrinaque ecclesiastica posset, unde omnia incerta, omnia scissa et confusa redderentur, ut verissime dicit Cyprianus: non aliunde oriri hereses, quam ubi sacerdoti dei non obeditur, neque unus esse in ecclesia vice Christi creditur.

Contra hanc unam in ea petra edificatam ecclesiam promisisse idem verbum dei portas Inferorum non prevalituras, ut patet tot jam hereticis ad eam petram collisis; promisisse non defecturam ejus unius sedem, ut liquet reliquorum apostolorum sedibus collapsis, ea sola regnante, et non ex hereticis solum, sed et ex ipsis regibus et imperatoribus sibi adversis semper triumphante, quam qui non audierit, habendum esse pro Ethnico et Infideli, veritas ipsa pronunciavit.

Ad eam vineam excolendam cum mitteret olim operarios suos ille celestis paterfamilias, non eum precepisse illis, ut scriberent, ut in omnibus ad amussim scripture culturam exercerent: litera enim occidit, spiritus vivificat! sed misisse predicare: se missurum esse spiritum sanctum, qui doceret et suggereret illis omnia, seque cum eis futurum usque ad consumationem seculi promisisse. Hoc etiam atque etiam a patre precatum: ut sui unum essent, sicuti et ipse cum illo unum sit semper.

Proinde ad eam unitatem conservandam, qui horum operariorum visibilium visibilem vicarium summi illius patrisfamilias et ejus corporis ministeriale caput non recognoscit, ipsum verum patremfamilias, ipsum verum et invisibile caput Christum et ejus verbum, quo hec autoritas fundata et ordinata est, negare necesse est. Et qui ecclesiam errare putat, qui traditionibus et potestatibus in ecclesia constitutis resistit, Christum et spiritum sanctum errare credere, Christo et ejus ordinationi resistere illum oportere, cum non ecclesiastice solum, sed etiam omnes alie potestates a deo constitute sint, quibus etiam quantumlibet pravis obediendum precipitur, cumque non contineat evangelium edificatam ecclesiam, sed edificandam, tantum abest, ut omnia que ad eam opportuna sunt contineat, traditam vero jurisdictionem regiminis: pasce oves meas, traditam potestatem statuendi: qui vos audit, me audit, manifestissime contineat.

Unde ordinationes orthodoxe fidei, traditiones ecclesie catholice non doctrinas esse hominum, non vana commenta nec somnia stultorum, ut insanos et sceleratos prevaricatores blaterare et garrire non pudet, sed esse ipsam meram doctrinam, meras traditiones et evan-

 gelium

MDXXV. gelium Jesu Christi ecclesiam suam spiritu sancto dirigentis, quandoquidem ipsum scriptum evangelium solo decreto et traditionibus ecclesie creditur, tenetur et observatur.

Que quidem traditiones si fidem et auctoritatem non haberent, neque evangelium in sua fide consistere posset. Cum vero ecclesia edificata sit super fundamentum apostolorum et prophetarum, fundamenta vero sola ad constituendum domum non sufficiunt, nisi reliqua superedificentur, stultissimum est contendere, solam Christi et apostolorum doctrinam ad statum et regimen ecclesie sufficere etiamsi tota literis mandata fuisset, quanto magis, quum Joannes testetur, minimum esse gestorum Christi, quod scriptum sit, mundumque si omnia scriberentur ad capiendos libros non esse capacem, cumque apostolus scribat, se reliqua dispositurum, que non scripsit.

Spectatam igitur hujusmodi nebulonum, verbis duntaxat evangelium crepantium et ad scriptum evangelium omnia exigentium, opere vero nihil non nefarium, non scelestum et sacrilegum ejus pretextu practicantium, spectatam, inquam, impudentiam jactare, verbum dei et germanum illius sensum nunc demum veluti e tenebris illuxisse; quasi vero Christus, ecclesia sua contra promissum suum tot seculis derelicta subductoque ab illis spiritu sancto, qui nobis religionem sanctam per manus tradiderunt eamque doctrina et miraculis confirmarunt, resedisset nunc demum longo postliminio et effudisset sese in excuculatis istis libidineque ac insolentia perditis prevaricatoribus, qui veluti magis idonea spiritus sancti tabernacula, quam hactenus ulli sancti, ulli doctores fuerunt, arguerent mundum de peccato.

Qui docerent, nos sola fide posse salvari, quod sola nusquam scriptum est, sed ea fide, quam apostolus declarat, que per charitatem operatur, quandoquidem nec ea fides, que montes transferat, valere possit quicquam absque charitate, nedum ea, que in religione prevaricatur.

Qui docerent, violatum impie Christi testamentum, subtracto sanguine illius communi populo, satis argute illo: bibite ex hoc omnes, quasi omnes illi aliqui fuissent, quam apostoli, qui jam sacerdotes constituti erant, aut quasi Christus de solo corpore non recte dixisset: hic est panis vivus, cum vivum corpus esse nequit sine sanguine: quasi non sepius solius panis mentio fiat in evangelio absque vino et in Actis apostolorum non contineretur, quemadmodum erant perseverando in communione et fractione panis, ut ecclesia etiam ex scriptura nedum ex optimis rationibus recte id statuisse liquido videri possit.

Ceterum, qui docerent, deum non esse adorandum in templis manufactis proindeque non servandum in ecclesia sacramentum, quasi non manufactum fuerit templum, de quo negotiatores ejecit Christus, dicens eam domum suam, domum orationis futuram, aut quasi apostoli errarent descendentes sepius in templum adorandum.

Qui preterea docerent, sanctos non invocandos, quos Christus jam non servos sed amicos suos vocavit et assessores fecit judiciorum suorum, tantum abest, ut invocari illos et se ab eis rogari egre pati possit, presertim cum doceat scriptura: orationem justi multum valere, et propheta dixerit: pro hac orabit omnis sanctus; honorandos autem eos, quis dubitet, quos honorari a deo patre filius ipse testetur?

Qui item docerent, imagines e templis eliminandas, quod scriptum sit: non facies tibi sculptile, non addentes causam, que antecedit. Non adorabis deos alienos, et quod sequitur ad sculptile adorandum, quasi ullus sit nunc adeo expers rationis christianus, qui vel deos alienos

alienos, vel lignum aut colores adorare vel venerari deberet et non eos sive Christum sive sanctos ejus, quos picture designarent, quasique ecclesia non optima ratione illas admisit, ut pro libris essent ignare plebi, aut quasi expediret magis depictos apostatas cum columbis et radiis, quam Christum aut sanctum quempiam in domo vel in templo foveri. MDXXV.

Qui demum docerent, impiam esse monachorum institutionem, quod scriptum est: in sudore tuo vesceris pane tuo et ipsi alieno viverent: quasi hec scriptura preceptum sit et non maledictum in omne genus humanum, quod in omnes cujuslibet ordinis homines est derivatum. Omnis enim vita labor. Et quasi non sit alius labor et sudor, quam hic, qui in agendis remis aut malleis quatiendis excutitur, quasique non ex evangelio fluxerint ordines monachorum, qui relictis omnibus sequuntur Christum, aut cum illis usus opum alienarum objicitur, non pari ratione objici posset et apostolis, quibus sub pedes omnia bona subjiciebantur?

Denique qui docerent, omnes Christianos esse reges et sacerdotes et proinde equalitatem popularem esse inter omnes debere: quasi quis neget, quemlibet posse esse regem spiritu, qui sensus suos regit, similiter et eum esse sacerdotem, qui fidem et orationes suas offerat deo patri: non autem propterea equales esse omnes, omnes reges, omnes sacerdotes ordine externo esse posse; cum precipiatur obedientia regibus et ducibus omnemque animam potestatibus sublimioribus subditam esse debere, et cum assumatur ex hominibus et vocetur a deo, qui offerat dona et sacrificia pro peccatis, jubeaturque, ut non unicuique cito manus imponantur, ut singularis sit ordo sacerdotii, qui conferatur et sacramentum constans per inspirationem gratie spiritus sancti et potestatis peccata remittendi.

Qui docerent postremo et prescriberent nobis, quales esse debeant episcopi, quibus dotibus prediti ex doctrina apostoli, quam ille pro exacto archetypo ad imitandum proposuit, ad eo interim non excludens eum, qui usque adeo non assequatur, ut etiam quodammodo talem pontificem exigere videatur, qui homo sit et condolere possit his, qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et qui quemadmodum pro populo, ita etiam pro se met ipso offerret pro peccatis.

In summa qui nobis, si deo placet, novas constitutiones, novas ceremoniasque edificarent, nihil interim de hac potestate sua docentes, quasi ecclesie universalis traditiones et ceremonie non edificent, si quis ea pietate illis, ut initio statute sunt, utatur, aut quasi he nostre non e meris fontibus et fundamentis apostolorum et prophetarum emanassent: ut clarius sit in sacris literis, quam ut ullis documentis sit opus, aut expediat ea in presens explicare, quasique vel ceci non videant, quam adeo nihil edificent nunc hec nova dogmata et cerimonie in vicinia, ut etiam prorsus destruant et pessundent omnia.

Non potest itaque Mtas. sacra regia satis mirari, non potest non indignissimo ferre animo, ea a vobis coram se pio et christiano principe producta esse et confessa pretextu et allegationibus verbi dei, que ipsum sincerum verbum dei prorsus impurant, infamant et extinguunt. Non enim e vestigio recte dicit, qui scripturam allegat. Si quidem nemo unquam hereticorum non scripturam allegavit, non scripturis est nixus, ut et demon dominum tentans scripturam adduxerit, sed perverse, quemadmodum et nunc per instrumenta

 sua

MDXXV. sua facit insanam plebem et perditos ac sceleratos homines ad pravam libertatem, ad rapinas, ad sacrilegia, ad cedes et incendia exagitando.

Ne autem Mtas. regia frustra terat tempus declarando vobis exactius, quantum erga religionem sanctam catholicam ac etiam erga se excessistis et quod illa nihil faciunt pro vobis, quibus nitimini, quibus novatum ritum religionis sacramentum eucharistie de ecclesiis ejectum, monasteria et templa spoliata, plebanos, sacerdotes, monachos et monachas expulsas, burgrabium ac consules et alios officiales civitatis exauctoratos, census dari prohibitos, sacra profanis mixta contegere et excusare contenditis, cum satis sit, vos ritum et instituta universalis ecclesie, tot seculis, tot miraculis, tanta autoritate conciliorum, pontificum, imperatorum, regum, regnorumque et nationum christianarum confirmata, unde reliqua omnia manant, violasse et que dudum sunt damnata in civitate vestra exuscitasse ac officiales dejecisse idque autoritate propria, cum ab initio id muneris fuerit semper principum, prefectorum et seniorum, et de his, que tam in ecclesia, quam etiam in republica impendeant dispicere et statuere.

Proinde justissime sacra Mtas. sua vos et totam civitatem suam gedanensem, juxta omnia divina et humana jura, juxta etiam edicta sua jam punire et condemnare posset, ne tamen aliquid in negotio tanti momenti precipitanter adversum vos egisse videretur, suspendendam duxit ejus Mtas. sententiam suam in hac re ad conventum generalem proximum, ubi cum pleno senatu tam regni, quam etiam terrarum Prussie id decernet, quod justum, pium et christianum principem decebit.

Interim vero cum hcc ipsa negotia determinari adhuc non poterunt, quorum gratia ad Mtem. suam venistis, vult et mandat ejus Mtas., ut tantisper hic Cracovie maneatis et expectetis, donec a Mte. sua ultimum responsum habueritis, et interea vos hic mansuete et continenter, uti hospites decet, conservetis.

Quod autem petiistis, ut Mtas. sua executionem decreti in causa Ferberiana lati suspenderet ad suum in terras Prussie adventum, aut ipsa consuleret vobis, quid in tam ardua causa agere debeatis, vel saltem permitteret, ut cum amicis aut inter vos ipsi super illa consilia capere possetis, non videtur Mti. sue decens et honestum, ut in ipsa causa tanto tempore solenniter acta et cum pleno senatu decisa suspendere et mutare decretum suum, sed vult illud in suo robore et firmitate conservari.

Quod etiam Tilmanus Hirszfelt cum Ferbero compromiserunt in causa sua coram regia Mte. ad judicium Majdeburgense et illi judices expensis eorum rationibus et calculis sententiam tulerunt, quam Mtas. sua confirmavit, non etiam videtur ejus Mti. illam a se vel debere, vel posse citra injuriam alterius partis retractari, aut ad alios judices seu arbitros remitti.

Pronunciat autem ejus Mtas. contumaces eos omnes, qui citati coram Mte. sua non comparuerunt:

Pronunciat autem et civitatem suam gedanensem, quod mandata sue Mtis. exequuta non sint, in penas in literis et mandatis suis contentas incidisse.

Interea autem dum retinentur Cracovie Gedanensium nuncii, regia Mtas. evocavit ad se Cracoviam Eberhardum Ferberum, proconsulem ac burgrabium, consules item ac scabinos illos

illos priscos, qui erant recens per seditionem popularem exauctorati, citavit preterea edictis penalibus autores seditionis, novos proconsules, consules, scabinos et qui loca magistratuum propria auctoritate occuparant, ut personaliter comparentes, causam pro se dicerent. Sed his non comparentibus, rex ab illis exauctoratis obedientibus et se sistentibus plene informatus de patratis excessibus, de moliminibus nefariorum civium, deque coacto ac per vim extorto a bonis civibus consensu in perniciosas constitutiones et de tumultibus rusticorum, qui in Prussia arma in dominos sumpserant, rem totam ad comitia regni, que proxime instabant, rejecit. MDXXV.

CXXXV. Litere pro exauctoratis ab officio per seditionem popularem Proconsulibus, Consulibus, Scultetis, Scabinis Gedanensibus.

Decretum regium et provisio honoris Consulum Gedanensium per seditionem depositorum.


Quod hec eorum depositio et coacta criminum agnitio honori et fame eorum non sit unquam nocitura.

Sigismundus dei gratia Rex Polonie etc. Manifestum facimus etc. Quia cum intellexeramus, graves motus et seditiones intestinas fuisse excitatos in civitate nostra Gedanensi et preter alia multa facinora adversus religionem sanctam et auctoritatem nostram regiam insolentissime commissa, etiam burgrabium nostrum, proconsules, consules, scabinos et alios officiales nostros exauctoratos nosque cum ante per nuncios et oratores nostros, tum novissime advocatis ad nos nonnullis tam ex novo, quam etiam antiquo consulatu, diligenter causas tantorum malorum scrutati essemus, comperissemusque evidentibus argumentis, rationibus et testimoniis: proconsules, consules et officiales ipsos predictos non aliqua culpa vel de merito suo, sed insolentia plebis et seditione populari tumultuarie depositos et exauctoratos et ad inscriptiones aliaque indigna metu coactos fuisse, presentibus literis et decreto nostro regio pronunciavimus et decrevimus, quod hec eorum per plebem depositio et exauctoratio eorumque coacta quevis inscriptio ac quicquid adversus illos per communitatem vel quemvis alium de causa excitati tumultus in civitate et republica male administrata et aliud id genus dictum sit aut etiam scriptum, culpa ipsorum careat neque quicquam eis vel eorum posteris in honore vel bona existimatione officere debeat nunc et in posterum, et presertim cum ipsi se exhibuerint et parati fuerint, omnibus quicunque eos quomodolibet culpare vellent, coram nobis respondere suumque honorem et innocentiam tueri. Cod. R.

CXXXVI. Litere private pro singulis consulibus et aliis officialibus exauctoratis.

MDXXV. Cod. Korn. Sigismundus etc. Manifestum facimus universis etc. Quia cum intellexissemus etc. etiam burgrabium nostrum, proconsules, consules, scultetum, scabinos et alios officiales exauctoratos, hos videlicet: Georgium Brant, Henricum Wise, Mathiam Lange, proconsules; Ulricum Huckfer, Detardum Brandis, Reinoldum Fellsstet, Hedwardum Ederhoff, Henningum Szum, Joannem Thukinek, Jacobum Apczagen, Eggerdum von Kempen, Ebrehardum Boge, Michaelem Keszler, Michaelem Borenfoth, Casparem Ewerth, Joannem Varendorp; Georgium Barow, Gerhardum Aferran, Casparem Memell, Nicolaum Haczke, consules; Georgium Schepper, scultetum; Philippum Angermunde, Joannem Stutte, Andream von dem Wasser, Henricum Frederik, Herrmanum German, Herrmanum Goldberg et Michaelem Thiele, scabinos; nosque cum ante per nuncios et oratores nostros, tum novissime advocatis ad nos nonnullis tam ex novo quam etiam antiquo consulatu et scabinatu, diligenter causas tantorum malorum scrutati essemus, comperissemusque evidentibus argumentis, rationibus et testimoniis, proconsules, consules et officiales ipsos predictos non aliqua culpa vel de merito suo, sed insolentia plebis et seditione populari tumultuarie depositos et exauctoratos et cum ad alia indigna, tum etiam ad inscriptiones, obsignationes ac recognitiones eas videlicet, quod ipsi una cum quibusdam concivibus suis, videlicet Petro Szoltz, Joanne Apczagen, Joanne Howner, Joanne Angermundo, Laurentio Szoltz, Georgio, Baltazaro et Jacobo Melman, Petro von Hamburg, Joanne Gleser, Laurentio Holck et plerisque aliis bonis et fidelibus civibus causam motibus et seditionibus predictis prestiterint, metu coactos fuisse, presentibus literis et decreto nostro regio, pronunciamus et decernimus, quod hec eorum per plebem depositio et exauctoratio eorumque coacta quevis inscriptio, obsignatio et recognitio, ac quicquid adversus illos per contumeliam, convicia, libellos et cantilenas famosas domi et apud exteras gentes, per nonnullos quosdam cives temerarios et seditiosos de communitate vel quemvis aliam de causa excitati tumultus in civitate et republica male administrata, et aliis id genus dictum sit aut etiam scriptum, culpa ipsorum careat neque quidquam eis eorumque posteris in honore et bona existimatione officere debeat nunc et in posterum, et presertim cum ipsi se exhibuerint et parati fuerint et sint, omnibus quicunque eos quomodolibet culpare vellent, coram nobis respondere suumque honorem et innocentiam tueri. In cujus rei testimonium sigillum nostrum est presentibus appensum. Datum Cracovie die S. Martini, gloriosi episcopi et confessoris.

CXXXVII.



CXXXVII. Litere honoris pro Mathia Lange Proconsule exauctorato.

Eodem exemplo pro ceteris consulibus litere sunt scripte.

Sigismundus etc. Manifestum facimus etc.... etiam famatum Mathiam Lange, proconsulem, inter alios proconsules, consules, scabinos et reliquos officiales exauctoratum nosque diligenter causas tantorum malorum pervestigantes comperissemus evidentissimis argumentis, rationibus et testimoniis, eundem Mathiam Lange non aliqua culpa vel demerito suo sed insolentia etc. ut supra usque ad finem. MDXXV. Cod. Korn.

CXXXVIII. Provisio honoris Hermanni German, Scabini exauctorati.

Eodem exemplo ceteris scabinis litere date.

Sigismundus etc. Manifestum facimus etc. ut supra.. famatum Hermanum German, scabinum, inter alios scabinos et alios officiales non solum exauctoratum, sed etiam in carcerem conjectum cautioneque fidejussoria per novos consules, per plebem suffectos, obstrictum fuisse, comperissemusque evidentibus argumentis, rationibus et testimoniis, eundem Hermanum German non aliqua culpa vel demerito suo, sed insolentia plebis et seditione populari tumultuarie depositum et exauctoratum et cum ad alia indigna, tum etiam ad inscriptiones, obsignationes et recognitiones eas videlicet, quod ipse una cum quibusdam concivibus suis causam motibus et seditionibus predictis prestiterit, metu coactum fuisse, propterea que in carcerem conjectum et vinculo ipsius cautionis fidejussorie obstrictum, quod egisset apud eosdem novos consules, ut mandata nostra, nedum ad illos, verum etiam ad scabinos et totam communitatem illius civitatis nostre gedanensis scripta et directa, ipsis etiam scabinis et communitati communicarent, presentibus literis et decreto nostro regio pronunciamus et decernimus, quod hec illius per plebem depositio et exauctoratio ejusque coacta quevis inscriptio, obsignatio et recognitio ac etiam incarceratio et cautionis fidejussorie prestitio, et quicquid adversus illum per contumeliam, convicia, libellos et cantilenas famosas domi et apud exteras gentes per nonnullos cives temerarios et seditiosos de communitate vel quemvis alium de causa excitati tumultus in civitate et republica male administrata et aliis id genus dictum sit aut etiam scriptum, vel per novum magistratum gedanensem attentum, culpa ipsius careat, neque quicquam ei ejusque posteris in honore et bona fama, existimatione officere debeat nunc et in posterum et presertim cum ipse se exhibuerit et paratus fuerit et sit omnibus quicunque eum quomodolibet culpare vellent, coram nobis respondere suumque honorem et innocentiam tueri. Cod. Korn.

Cujus

MDXXV. Cujus quidem Hermani fidejussores ab ipsa cautione fidejussoria per illas pro eo prestita absolvimus et liberos facimus in tuitionemque nostram recipimus per presentes. Quibus in testimonium sigillum nostrum est impressum. Datum Cracovie.

CXXXIX. Susceptio in protectionem regiam Civium Gedanensium infrascriptorum.

Cod. Korn. Sigismundus etc. Significamus tenore presentium, quibus expedit, universis. Quia nos famatum N., civem nostrum gedanensem, cum uxore, liberis ac familia, bonisque ipsius omnibus mobilibus et immobilibus ob ejus erga nos et rempublicam regni nostri fidem et merita in nostram protectionem regiam suscepimus et harum serie literarum suscepimus hinc ad voluntatis nostre beneplacitum ita ut ipse hac nostra protectione fretus possit una cum uxore ac liberis predictis bonisque suis omnibus libere, secure et absque cujusvis hominis impetitione ac molestia in civitate nostra gedanensi inque terris nostris Prussie et universo regno Polonie et Mg. ducatu nostro Lithuanie manere, mercari et negotia sua quecunque per se vel factores aut familiares suos exercere et ubi ei libuerit ire ac rursum redire, persona bonisque ipsius ac uxoris ac liberorum ejus predictorum sub nostra protectione salvis permanentibus, et ut census, quos habet in civitate nostra gedanensi et alias ubilibet, libere percipiat eosque nemo illi retinere aut arestare audeat. Eximimus preterea illum ac uxorem et liberos ejus prefatos autoritate nostra regia legibus et plebiscitis dicte civitatis nostre gedanensis ac aliarum civitatum terrarum nostrarum Prussie regnique Polonie et Mg. ducatus Lithuanie, quarumcunque in contrarium non obstantibus ab omnium officialium nostrorum ac judicum quorumcunque potestate et omni impedimento ita ut in causis quibuscunque quantecunque importantie fuerint, coram nemine illorum, nisi coram nobis ipsis vel coram commissariis nostris comparere et respondere teneatur nemoque illum propterea contumacem dicere, vel ad judicium quodcunque aliud quam nostrum regium vocare audeat, exceptis tamen creditoribus, si quos habet, vel interim habere illum contigerit, quibus duntaxat pro debitis in jure et coram judice competenti respondere sit astrictus. Eundemque etiam N. cum uxore et liberis bonisque ipsius omnibus ab omni aresto persone vel personis quibuscunque concesso vel concedendo liberum ac immunem facimus, ita ut nemo subditorum nostrorum, cujuscunque status et conditionis existat, illum vel bona sua aut uxorem, liberos et servitores ipsius tam in regno nostro inque terris nostris Prussie, quam in Mg. ducatu Lithwanie mercaturas vel negotia quecunque alia exercendo interea arestare, seu aliquo alio impedimento afficere audeat. Quapropter vobis omnibus dignitariis, officialibus ac aliis subditis nostris, quibuscunque in regno nostro et terris nostris Prussie inque magno ducatu nostro Lithuanie presertim vero in civitate nostra gedanensi predicta constitutis districte precipientes mandamus: quatenus hanc nostram securitatem ac protectionem, in quam N. prefatum recepimus, nulla in parte infringere seu cavillis aliquibus summovere aut illi quovis pacto derogare

derogare audeatis, sed illam in omnibus ejus clausulis et articulis firmiter et inviolabiliter observetis et observari faciatis, eidemque ipsi N. ac suis omnibus nullam vim seu molestiam inferre audeatis sub pena decem milium flor. ungaricalium et gravissima indignatione nostra sic et non aliter facturi. Dat. Cracovie die S. Martini, episcopi. MDXXV.

Nomina Civium gedanensium, quibus suprascripte litere regie singulis seorsum date sunt.

Proconsulibus:

Georgio Brant,
Henrico Wise,
Mathie Lange,
Ulrico Hukfer,
Detardo Brandis,
Reinoldo Felstett,
Edwardo Ederhoff,
Georgio Schepper,
Joanni Tukinek.

Consulibus:

Jacobo Abczagen,
Erhardo von Kempen,
Ebrehardo Boge,
Michaeli Keszler,
Michaeli Borenfoth,
Georgio Barow,
Georgio Cherman,
Heningo Szum, } citatis et
Caspari Ewerth, } excusatis.

Scabinis.

Philippo Angermunde,
Joanni Stutte,
Andree vom Wasser,
Hermanno German et fratribus ejus,
Casparo Memell,
Henrico Frederik,
Hermanus Goldberg,
Michaeli Thiele.

Nomina privatorum hominum.

Jacobo Howener,
Jacobo Melman,
Laurentio Szulcze,
Joanni von Werden,
Joanni Forste,
Ambrosio Storme,
Mathie Czimerman,
Jacobo Campe,
Joanni Fischer,
Georgio Schembe cum uxore et fratribus et sororibus uxoris sue,
Georgio Sidichusen,
Joanni Stulche
Joanni Angiermunde,
Joanni Abczagen,
Laurentio Holck,
Petro Kressler,
Arnoldo de Schelinge,
Laurentio Ferber,
Hermanno Bremer,
Joanni Conrath, cum matre suo,
Hermanno Gise, cum fratre Georgio,
Reinoldo Angermunde, cum Bartolomeo Senger et Margareta sorore Bartolomei
Adriano Czernchok,
Joanni Cherman,

MDXXV. Henrico Boll,
Henrico Sparembarg,
Joanni Torbeke,
Henrico von Rese,
Arnoldo von Stelinge,
Hertingo Blome, uxori et liberis,
Georgio Ederhoff,
Christofero Baier,
Wilhelmo von Rese,
Theoderico Falke,
Georgio Schepper.

CXL. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto Duci in Prussia Magistro Livonie, Waltero, et Lubucensibus.

De inhibendis cantilenis in officiales gedanen., indigne exauctoratos, confectis.

Cod. Korn. Illme. princeps etc. Intelleximus, nonnullos cives nostros gedanenses, per quos tumultus popularis illic erat non pridem excitatus, improba et temeraria loquacitate ductos et ad suum negotium cuncta reflectentes favoremque et presidia rebus suis laborantibus captantes, quasdam cantilenas famosas adversum proconsules, consules, scabinos et nonnullos alios officiales atque cives primores ejusdem civitatis, per plebem tunc depositos et exauctoratos, edidisse et imprimi fecisse ad diversasque provincias, quo eorum temeritas et insolentia notior fieret et scandalorum materiam diffusius seminarent, mittere presumpsisse. Proinde nos cupientes quantocius e medio submoveri easdem cantilenas vel potius libellos famosos in gravamen bone existimationis ac ignominiam dictorum proconsulum et consulum aliorumque officialium exauctoratorum malitiose et indigne divulgatis, quos non aliqua culpa vel demerito suo, sed insolentia plebis et seditione populari tumultuarie depositos et exauctoratos esse comperimus, postulamus a vra. Illte., committere et mandare velit universis suis officialibus, quod in civitatibus et aliis locis Dtioni. vre. Illti. subjectis hujusmodi cantilenas cantari et circumferri palam vel occulte nequaquam permittant et cantantes vel divulgantes eas ipsas cantilenas, aut honori predictorum officialium et civium gedanensium quomodolibet detrahentes debita animadversione puniant proinde atque ipsos autores. Factura vra. Illtas. rem officio boni principis consentaneam nobisque multo gratissimam. Que feliciter valeat nosque diligat. Dat. Cracovie.

CXLI.

CXLI. Sigismundus, Rex Polonie, ad Dominia externa.

De inhibendis cantilenis.

Universis et singulis principibus, tam ecclesiasticis quam secularibus, comitibus, baronibus, palatinis, castellanis, capitaneis, nobilibus, militibus et eorum prefectis, civitatum et oppidorum presidibus, magistris civium et quorumvis locorum prefectis eorumque vices gerentibus ac aliis quibuscunque, ad quorum notitiam presentes litere nostre pervenirent, amicis et benevolis nostris sincere et grate dilectis. Salutem et omne bonum, subditis vero nostris gratiam regiam. MDXXV. Cod. Korn.

Rmi. ac Rdi. in Christo patres ac Ill. Spectabiles et Mgci., Generosi, Nobiles, famati et providi sincere et grate nobis dilecti. Intelleximus, nonnullos cives nostros gedanenses etc. ut supra in literis ad ducem Prussie.

Postulamus a vobis amicis et benivolis nostris, subditis vero nostris strictissime precipimus et mandamus, ut in civitatibus, oppidis ac aliis locis vris. hujusmodi cantilenas cantari et circumferri palam vel occulte istic nequaquam permittatis et cantantes vel divulgantes eas ipsas cantilenas, aut honori predictorum officialium et civium gedanensium quomodolibet detrahentes debita animadversione perinde atque ipsos autores puniatis, officium vestrum mutua vicissitudine compensandum remque nobis multo gratissimam facturi. Subditi vero nostri omnia et singula premissa facere et exequi teneantur pro gratia nostra. Datum Cracovie die S. Elisabethe.

CXLII. Sigismundus, Rex Polonie.

De cantilenis inhibendis in Polonia, Lithuania, Russia et Prussia.

Universis et singulis dignitariis et officialibus, palatinis, castellanis, capitaneis, vicecapitaneis, burgrabiis, civitatumque et oppidorum proconsulibus et consulibus et quorumvis locorum prefectis ac aliis subditis nostris in regno ac terris Prussie, Mg. ducatu Lithuanie, Russie ubilibet constitutis sincere et fidelibus dilectis. Mgci. generosi etc. Intelleximus etc. ut supra. Cod. Korn.

Itaque mandamus vobis, ut hujusmodi cantilenas cantari et circumferri palam vel occulte nequaquam permittatis et cantantes vel divulgantes eas ipsas cantilenas aut honori predictorum officialium et civium gedanensium quomodolibet detrahentes debita animadversione proinde atque ipsos autores supprimatis. Et ne quisquam de premissis suam ignorantiam pretendat, volumus et mandamus, ut hanc inhibitionem seu mandatum nostrum per publicas proclamationes et scripta vestra valvis pretoriorum et aliorum locorum publicorum per vos applicanda ad universorum notitiam deduci faciatis pro officio vestro et gratia nostra. Datum Cracovie die S. Elisabethe.

CXLIII. Responsum a Rege datum Civibus Gedanensibus ad se evocatis in dimissione eorum.

MDXXV. Cod. Korn. Sacra Mtas. regia cum intellexerat ea, que patrata sunt in civitate sua gedanensi adversus deum et religionem catholicam et adversus etiam autoritatem suam regiam, mirata fuit vehementer, quod ea tam nefaria facinora ejus Mti. non mox declaraveritis, difficilius enim ignis extinguitur, cum incendia vires sumpserunt.

Utcumque est factum, Mtas. sua nolens rem tam indignam et perniciosam diutius tolerare, vos huc ad se vocari voluit, ut et consilium vestrum et alia que Mti. sue scitu erant necessaria a vobis pervestigaret.

Cum ejus autem Mtas. accepit jam a vobis ad plenum id quod opus habebat, dimittit vos cum gratia sua regia, ut quisque quo velit discedere possit.

Et hortatur vos, ut, sicut decet fidos subditos et viros catholicos, curet pro se quisque una cum amicis suis, ut hoc exitiale virus possit citra difficultatem ex civitate illa eliminari. Nam propterea ejus Mtas. tam mature negotium hoc aggressa est, propterea ad conventum generalem suspendit, ut tanto exactius solidiusque illud exequi posset. Non vult ejus Mtas. vos ulla in parte deserere, non vult tam insignem civitatem suam in tam fedo errore diutius ferre et tanta improborum facinora impunita relinquere.

Literas vero et alia omnia, que vobis necessaria fuerint, pro honore et securitate vestra, Mtas. sua vobis liberaliter concedere dignabitur.

Series

Series Actionum, Legationum, Literarum etc. quae in hoc septimo Tomo continentur.

Emendanda.

fol.	28	v.	7	in felicitate	legas	infelicitate
„	31	„	7	tendentem	„	tendente
„	89	„	7	fier	„	fieri
„	127	„	4	Ssidloricio	„	Ssidlovicio

Posnaniae, typis Ludovici Merzbachiensis.



